Digitized by Google

XIII
C
1

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
C
1
NAPOLI

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MEDITATIONUM EVANGELICARUM
Volumen Tripartitum,

Hoc eſt:

Trifaria Textuum Evangelicorum, tam Dominicalium, quàm Feſtivalium tractatio, & ad pios uſus Accommodatio:

M. HARTMANNI CREIDII,
Paſtoris b. m. ad D. Annæ Templum Auguſtanum.

Ad multorum rogatum, & implendum deſiderium exoticarum Auguſtanæ noſtræ Confeſſionis Nationum,

Latino Sermone luci expoſitum.

OPUS POSTHUMUM.

FRANCOFURTI ad MOENUM.
Sumptibus FRIDERICI KNOCHII.
Typis JOHANNIS ANDREÆ, Anno M DC LXXXII.

Digitized by Google

Ad
B. L.

P*Rodit, mi Lector, hâc vice Meditationum Evangelicarum, B.* Domini M. HARTMANNI CREIDII, Volumen Tripartitum, *eâdem Ejusdem cura & induſtria, ut antehàc Meditationes Apoſtolico-Epiſtolicæ, non minus & ex iisdem cauſis, quas in Præfatione ad Lectorem inibi adductas invenies, Latino idiomate veſtitum. Utere hoc & illis pro DEI gloria, & B. Authori ne invideas, quòd poſt funus ipſius adhuc vivit virtus. Vale.*

M. C. H.

DOMINICA I. ADVENTUS

Evangelium Matth.21.verſ.1.10.

LEgitur 1. Reg.1.v.34.ſeqq. quomodo Salomo Rex unctus & à populo cum acclamatione exceptus fuerit.

Salomo eſt typus Chriſti.

1. Ratione appellationis : Salomo idem eſt quod princeps pacis; Talis eſt Chriſtus Eſa.9.v.6.

2. Ratione unctionis : Ungitur enim in Regem ſuper Iſrael; Ita Chriſtus, Act.10.38. Pſal.45.v.8.

3. Ratione equitationis, ſedet enim ſuper mulum Regis: Ita Chriſtus ſuper aſinum & pullum aſinæ.

4. Ratione acclamationis : Ita populus Chriſto acclamat: Hoſianna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſianna in altiſſimis, ex Pſ.118.v.26.

5. Ratione obtrectationis : Joab enim & Abjathar invidebant ipſi hunc honorem, & Adoniam Regem volebant; Ita Pontifices, Phariſæi & Scribæ Chriſtum contemnebant, ſed regnum nihilominus ipſi confirmatum eſt in æternum. Videbimus.

I. Chriſti ingreſſum.
II. Populi applauſum.

J. J.

EXEGESIS.

ECce venio, inquit Pſ.40.v.8. Hoc impletum eſt in hodierno Evangelio, ubi conſideranda nobis ſeſe offerunt

I. *Sublimia*, quæ ſpectant ad ſtatum exaltationis, & gloriam ipſi per unionem perſonalem communicatam ſatis ſuperque teſtantur: Manifeſtat enim per ablegationem diſcipulorum ſuorum

1. Omniſcientiam. Videbat enim aſinam alligatam, videbat locum, videbat herum, & ſermones noverat, quos cum diſcipulis habiturus erat.

Notent Pii *in Conſolationem*, Pſ.10.v.14.
Impii *in Emendationem*, Pſal.94.v.7.8.9. Syr.23.v.25.26.27.28.

2. Omnipotentiam. Cum enim diſcipuli hero aſini dicerent: Dominus opus habet, mox aſinam dimittit & obtemperat. Hanc omnipotentiam ſuam exerit adhuc. Pſal.135. v.6. Prov.21.v.1. Luc. 1. v.51.52.

II. *Humilia*, quæ ſpectant ad ſtatum exinanitionis, ut ſunt

1. Equitatus. Non enim Caballo ſed aſino inſidet, quo ſubinnuit

1. Regni ſui proprietatem, quod non eſt de mundo, Joh.18.v.36.

2. Vaticinii prophetici veritatem, ita enim Zacharias prædixerat, c.9.v.9. hoc oportebat impleri, 2.Pet.1.v.19.

2. Comitatus. Non enim Pontifices & Scribæ, aut quidam ex ordine Senatorio, multò minus Herodes cum aulicis ſuis, ſed

Digitized by Google

plebs vilis & ignobile vulgus ipſum ſtipant & comitantur. Ne mirere. Eccleſia vera ſemper fuit & adhuc eſt grex puſillus, quem mundus aſpernatur & perſequitur, Luc.12. v.32. Zeph.3. v.12. 1.Cor.1.v.26.

De Secundo.

SEquitur *pars altera*, nempe *populi applauſus*, qui deſcribitur

I. *Ratione ordinis.* Quidam enim ex populo præcedunt, quidam ſequuntur. Præcedentes ſunt Pii Novi Teſtamenti, ut Lutherus ipſe in Poſtilla Eccleſiaſtica hoc explicat. Omnes enim Chriſtum reſpiciunt & venerantur, qui agnus eſt occiſus ab origine mundi, Apoc.13. v.8. hinc Petrus Act.15. v.11. typum vide Num.13. v.24. & applica.

II. *Ratione operis.* Nam

1. Veſtimenta ſubſternunt. Ita nos bonis temporibus cultum divinum promovere debemus, Deut.18. v.3. ſeqq. Prov.3. v.9.10. Gal.6. v.6. Sed hodie nemo eſt, qui Chriſto veſtimenta ſua ſubſternit, ſed plerique tunicam propriam ipſi rapiunt, & miniſtris Eccleſiæ ſalaria ab antiquis conſecrata præcidunt. Hinc maledictio Mal.3. v.8. ſeq. Hagg.1. v.5. nolite errare, Deus non irridetur, Gal.6. v.7.

2. Palmides præcidunt, ut Johannes indicat c.12. v.13. Et ceu palmites ſunt ſignum victoriæ, 1.Maccab.13. v.51. 2.Macc.10. v.7. Ita Chriſtum palmitum oblatione Triumphatorem illum agnoſcunt, de quo Eſ.15. v.8. & Oſ.13. v.14.

Sequimini vos mei, & pari modo Chriſtum excipite, qui in mundum ideò venit, ut opera Diaboli deſtrueret, 1. Joh.3. v.8. & vinctos educeret per ſanguinem teſtamenti ſui de lacu, in quo non eſt aqua, Zach.9. v.11.

3. Hymnum canunt. Oſianna filio David, Oſianna in altiſſimis. Canamus & nos Regi noſtro Canticum novum, qui propter nos factus eſt egenus cum eſſet dives, ut ipſius inopia diteſceremus, 2.Cor.7. verſ.9. tunc nos etiam aliquando ſuſcipiet in cœleſtem Hieroſolymam, ubi plauſus & jubilus erit ſempiternus, Eſ.65. v.14. Pſ.84. v.5. Eò nos deducat JEsus noſter, Amen.

Dominica II. Adventus

Evangelium Luc. 21. v. 25.36.

POſtquam Deus Ter Optimus Max. decreviſſet populum ſuum liberare ex ſervitute Ægyptiaca, multa per Moſen ſigna edidit & prodigia, quibus affligebantur Ægyptii in decem plagis, quorum numerum & ordinem ſequentes continent verſiculi:

Sanguis, rana, cynips, inſectum, peſtis & ulcus,
Grando, locuſta, tenebræ, mors primogenitorum.

Exod.7. v.20. ſeqq. Sicut autem plagæ iſtæ ſignum erant liberationis Iſraelitarum ex ſervitute Ægyptiaca: Ita ſigna, quæ Chriſtus prædicit in Evangelio, certiſſimam filiorum Dei liberationem important. Videbimus jam

I. Judi-

Digitized by Google

I. Judicii annunciationem.

II. Dignam præparationem.

Qui Judex mundi, certò venturus es olim,
Auxilio ne me deſere Chriſte tuo.

EXEGESIS.

MEmorare noviſſima, & in æternum non peccabis, inquit Sir.c.7.v.39. Praxin hujus dicti habemus in hodierno Evangelio, ubi conſideranda veniunt

I. *Signorum evidentia*, quæ variæ erunt

1. Supra nos, in Sole, Luna & Stellis, vide explicationem Matth.24.v.29. Obſcuratio hîc intelligitur non tantum vulgaris, ut fieri ſolet in eclipſibus, ſed ſupernaturalis, qualis fuit in Ægypto, Exod.10.verſ.22. Sap.17.v.21. Item tempore paſſionis, Matth. 27.v.45. de qua Dionyſius Areopagita: *Aut Deus naturæ patitur, aut machina mundi diſſolvetur*, vid. Joel.2.v.30. & 3.v.15.

2. Intra nos. Erit enim in terris, inquit Chriſtus, preſſura gentium, id eſt, multiplex calamitas, ut emphaſis græca ſatis teſtatur. Nam συνοχὴ eſt coarctatio cordis: **Eine ſolche Bangigkeit / die dem Menſchen das Hertz abtrucken wil.** Ἀπορία conſilii inopia, cum extrema deſperatione conjuncta. Ἀποψύχωσις eſt deliquium animi, **wann einer in Ohnmacht fällt / daß ihm die Seel wil außbleiben.** Vide parem locum Rom.8.v.19.

3. Infra nos, in mari ac fluctibus ejus. Non manebit in terminis, ſibi præfixis, ſed erumpet cum impetu, & terram inundabit, ut Anno 1623. Vinariæ in Thuringia, & & Anno 1551. in Selandia accidit, de quo vide Hiſtoricos.

Quid vobis videtur dilecti? Vidimus ſigna in cœlo, ſigna in terris, ſigna in mari, ah ultima hora adeſt! reſipiſcite igitur, ne vos imparatos judex ille venturus inveniat. Deus enim judex juſtus, &c. Pſ.7.v.12. conf. Eccl. 11. v. 3. Cavete ne dicatis cum ſervo improbo: Tardat dominus meus, &c. Matth. 24. v.48. ſed potius ſciamus, judicem eſſe in januis, Jac.5. v.9. beatus qui ornavit lampades ſuas, Matth.25.v.1.

II. *Judicis apparentia*: Deſcribitur enim

1. Perſonæ autoritas, quis nempe futurus ſit judex, & appellatur filius hominis, cui poteſtas judicandi data eſt, Joh.5.v.27. Act. 17. v. 31. quod quidem Impiis terribile, Apoc.1.v.7. Piis verò amabile eſt, videbunt enim fratrem ſuum, Ebr.2.v.11. & gaudebunt cum Jacobo, Gen.31.v.30.

2. Tribunalis ſublimitas. Veniet enim in nubibus cœli. Hinc David Pſ.113.v.5.6. Ergò ſurſum corda, Col.3. verſ.2. πολίτευμα noſtrum in cœlis, Phil.3. v.20.

3. Adventus qualitas. nam veniet

1. In potentia. 2.Theſſ.1. v.8. quis ipſi reſiſtet? Joh.18. v.6. unico verbo proſtravit hoſtes ſuos cum adhuc erat in ſtatu exinanitionis, quid tunc fiet? Certè cum dicit ad impios, diſcedite: uno impetu præcipitabuntur in infernum.

2. In gloriæ eminentia, non ut in adventu primo, Zach.9. v.9. ſed angelis & archangelis ſtipatus, Matth.25. verſ.31. omnes Reges & Principes terræ coram ipſo concident, & coronas deponent, Apoc.4.v.10.

Judicabit judices judex generalis,
Ibi nihil proderit dignitas papalis,
Sive ſit Epiſcopus, ſive Cardinalis,
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.
Ibi nihil proderit quicquam allegare,
Nihil vel excipere, nihil replicare,
Vel ad Apoſtolicam ſedem appellare.
Reus condemnabitur, nec dicetur quare.
Cogitate miſeri, qui & quales eſtis,
Quid in hoc judicio dicere poteſtis,

Digitized by Google

Ubi non eſt Codici locus aut digeſtis.
Idem erit dominus, judex, actor, teſtis.

III. *Similitudinis convenientia*, quâ Chriſtus adumbrat extremi diei

1. Jucunditatem. Sicut enim veris amœnitatem omnes deſiderant: Ita Chriſtus jubet nos attollere capita noſtra, cum videmus ſigna prædicta jam impleri, eò quod appropinquet tunc

1. *Dies Liberationis.* Hic captivi ſumus & compedes geſtamus in corpore noſtro peccati & mortis, Rom.7.v.24. Ibi canemus cum Davide Pſ.116.v.16.17.

2. *Dies Renovationis.* Ut enim tempore veris facies terræ quaſi innovatur, Pſ.104. v.30. ita corpora noſtra tunc renovabuntur, 1.Cor.15.v.42.ſeq. Phil.3.v.20. Dan.12.v.3. Matth.13. v.43.

2. *Propinquitatem.* Quando tempore veris arbores protrudunt gemmas & folia emittunt, quilibet inde colligere poteſt æſtatem imminere: ita etiam ſigna prædicta, quando incipiunt impleri, ultimũ judicium inſtare certò demonſtrant, quod Chriſtus porrò conſuetâ jurandi formulâ confirmat, adjuncta ſignificatione temporis, eventura nimirum iſta ſigna exiſtentib⁹ adhuc Judæis per totum orbem diſperſis, qui per ætatem hanc metonymicè intelliguntur, & ut nemo dubitet, addit emphaticè: cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Unde apparet, totalem Judæorum converſionem ante extremum diem non eſſe expectandam, qualẽ Chiliaſtæ ſomniant, & Pontificii per Enochi & Eliæ prædicationem ſibi imaginantur, vel etiam quidam noſtrorum & Calvinianæ ſectæ Theologorum ex Rom.11.v.25. colligere volunt. Ut enim plenitudo gentium non notat ſingulas & univerſas gentes, ac ſingula eorum individua, ſed ingentem numerum ex gentilium populo: ſic etiam per omnem Iſraelem non ſignificatur univerſus populus Judaicus, & omnia illius individua, ſed inſignis quædam Judaicæ gentis multitudo, qualis autem & quanta præcisè futura ſit, unus ſolus novit & unigenitus ejus, inquit Origenes:

Notemus conſolationem de verborum Chriſti firmitate. Eſa.54. v. 10. nec fruſtrabitur eventu, quod impiis minatus eſt, Pſ. 50. verſ.21.

De Secundo.

Fuit denunciatio, ſequitur præparatio, quæ requirit

I. *Fugienda.*
II. *Facienda.*

Fugienda ſunt

1. Ebrietas, in græco κραιπάλη, quo vocabulo habitus bibendi connotatur, eſt enim dolor capitis, qui ex ebrietate oritur. Hinc Chriſtus ebrietatẽ ita deſcribit, quod hâc ipsâ corda graventur, & ad orationem inepta reddantur. Aliàs tres uvæ recenſeri ſolent, neceſſitatis ſcil. 1.Tim.5.v.23. hilaritatis, Pſ.104.v.15. ebrietatis, Sap.2.v.7. Duæ priores conceſſæ ſunt ultima damnatur, 1. Cor.6.v.10. Eph.5.v.21.

Ambulemus ergò ut filii lucis, Eph.5.v.9. qui ebrii ſunt, noctu ebrii ſunt, nos autem qui diei ſumus, ſobrii ſimus, 1.Theſſ.5.v.7.8.

2. Cura nimietas, vulgò Bauchſorg/ quæ diffidentiam erga Deum includit, & gentium propria eſt, Matth.6.v.32. Cura illa prorſus eliminanda eſt, ſi læto vultu Chriſtum Judicem aliquando aſpicere velimus, nam quæſtus magnus pietas cum ſua ſorte contenta, 1.Tim.6.v.6. Ergò revela Domino vias tuas, & ſpera in eo, Pſ.37.v.5. conf. Pſ.55. v.23.

Verum

Digitized by Google

Verum enim verò de victu & amictu ac rebus ad vitæ hujus ſuſtentationem neceſſariis cogitationes aliquas ſuſcipere, non eſt prohibitum. Dum enim in hac vita ſumus, διατροφαὶ καὶ σκεπάσματα nobis ſunt neceſſaria. 1. Tim. 6. v. 8. ac proinde etiam de illis honeſtè parandis cogitare non eſt illicitum, ſed maximè neceſſarium, 1. Tim. 5. v. 8. Sed curæ quibus cor gravatur ut nō elevari poſſit ad cœleſtia, vitandæ ſunt. 1. Tim. 6. v. 9.

Cauſa moventes ſunt

1. Periculum. Veniet enim dies illa inopinatò, ſchnell wie der Blitz / Matth. 24. v. 27. Ergò cave ebrietatem, quæ ſenſus obruit, & devotionem impedit, Of. 4. v. 11. Cave etiam curas hujus ſeculi, quæ ſemen verbi divini ſuffocant, Luc. 8. v. 14.

2. Damnum. Sicut enim aves quæ capiuntur, ſtatim necantur, & ad ignem poſteà coquuntur: Ita qui vino & curis ſeculi implicantur, nil niſi mortem & gehennam loco ſtipendii accipiunt, Eſ. 5. v. 11.

Facienda ſunt

1. Vigilantia, ne dormiamus in peccatis, ut virgines fatuæ, Matth. 25. verſ. 5. ſed parati ſimus omnibus momentis, quia nec diem nec horam novimus, Matth. 25. v. 13. conf. Rom. 13. v. 12. Beati illi ſervi, quos cum venerit Dominus, vigilantes invenerit, Luc. 12. v. 37.

2. Orationis inſtantia. Quia enim vigilare, & ad diem noviſſimum ſe præparare, non eſt opus noſtrarum virium, ſed Dei donum, quod non niſi per preces obtineri poteſt, ideò Chriſtus has cum illa conjunxit, ut, quod vigilantiæ deeſt, per preces pias & ſerias, reſarciatur. Hinc Paulus orationem præfert omnibus armis, quæ Chriſtiano militi neceſſaria ſunt, Eph. 6. v. 18.

Cauſa moventes ſunt

1. Mali evitatio, ut poſſimus effugere iſta omnia, quæ ventura ſunt, nimirum mala noviſſimum diem anteceſſura, de quibus in præcedentibus egerat Dominus, vel maximè ea, quæ in ipſo judicii die impios ac imparatos oppriment;

Quamvis enim mala noviſſimum diem anteceſſura videantur omnibus fore communia, quin imò Pios gravius preſſura, quàm Impios, cum illi perſecutiones ſuſtineant, hi verò inferant: Pii tamen per Dei gratiam multis & variis modis illa mala effugere poſſunt, vel, quia Deus placidâ morte illos ex hac vita evocat, antequā mala illa ingruant: vel, quia Deus piis precibus invocatus mala illa mitigat, vel, quia ſpiritum roboris & virtutem tolerandi ipſis concedit, ac largiſſimâ cœleſtium & æternorum præmiorum reſtitutione, quicquid mali perpeſſi ſunt, in vita, abundè compenſat, adeò ut mala illa Impiis ſint initia æternorum cruciatuum, Piis verò exercitia fidei, patientiæ & aliarum virtutum, adeoque ſalutis quædam quaſi adminicula, Act. 14. v. 22. Rom. 8. v. 18. 2. Cor. 4. v. 17.

2. Digna collocatio. Ut poſſimus conſiſtere coram filio hominis. Omnes nos oportet manifeſtari coram tribunali Chriſti, 2. Corinth. 5. verſ. 10. ſed non omnes coram ipſo ſtabunt, hoc eſt, non poterunt illius vultum & ſententiam intrepidè ſuſtinere, quemadmodum de Impiis dicitur, non ſtabunt in judicio, Pſalm. 1. v. 5. Hoc igitur Chriſti eſt ſententia, eos qui boni Chriſtiani eſſe & videri velint, debere vigilare & orare, ut in multa confidentia aliquando ſtare poſſint in judicio contra faciem eorum, qui anguſtiaverunt eos, Sap. 5. v. 1. &

non ad ſiniſtram ſicut Impii ſed ad dextram ſuam per fidem collocari mereantur, ut benedicti Patris cœleſtis, quibus hæreditas vitæ æternæ deſtinata eſt ab æterno, Matth. 25. v. 34. id quod facit SS. Trinitas, Amen.

Dominica III. Adventus

Evangelium Matth. 11. verſ. 2. 11.

UNcto meo præparavi lucernam, inquit Jehova, Pſal. 132. v. 17. Unctus ille Chriſtus eſt, Pſ. 5. v. 8. Act. 10. v. 38. Lucerna Johannes, Joh. 5. v. 35. Sicut enim lucerna præfertur Domino: Ita Johannes Chriſto viam præparavit, & in carcere etjam diſcipulos ſuos ad ipſum ablegavit, ut agnoſcerent unctum illum, cujus lucerna tantùm ille præparatus erat.

Videbimus nos in Evangelio prælecto

I. Johannis ad Chriſtum legationem.

II. Chriſti ad populum Orationem.

Spiritus alme veni, & linguamque animumque guberna,
Ut tibi quod gratum eſt, proficuumque loquar.

EXEGESIS.

MOſes ex miraculis agnitus eſt quod ſit futurus liberator Iſraelitarum, Exod. 4. v. 1. ſeqq. Idem de Chriſto audimus in Evangelio. Cum enim Johannes audiret ipſius opera in carcere, ablegat duos ex diſcipulis ſuis, ut quærerent: Tune es qui venturus erat, an alium expectemus?

Tria hic conſideranda ſunt:

I. *Occaſio*, quæ duplex

1. *Johannis cuſtodia*, cujus cauſam vide Matth. 14. v. 3. quia igitur nullam liberationem ſperare poterat, ſed ex ingenio Herodis vitæ ſuæ finem inſtare videbat, alium diſcipulis ſuis Magiſtrum quærit, & ad Chriſtum ablegat, ut ex reſponſione ipſius agnoſcerent, quod ſit promiſſus Meſſias. Verè Hieronymus: Amara eſt veritas, & qui prædicant eam implentur amaritudine. Expertus eſt Micha, 1. Reg. 22. v. 8. Jeremias, c. 32. v. 2. Elias, 1. Reg. 19. v. 3. & alii. Hodie idem accidit, die Welt wird nicht frömmer/ ſed in maligno poſitus eſt, 1. Joh. 5. v. 19. Solatium noſtrum eſt, Joh. 15. verſ. 18. 19. 20. Matth. 5. v. 11. 12.

Vir bonus eſt cœli, malus eſt telluris alumnus,
Quos igitur cœlum diligit, odit humus.

2. *Chriſti fama.* Nam in vinculis audierat Chriſti opera, quibus movetur ad legationem illam, qua tamen non ſuæ ſed diſcipulorum ignorantiæ conſultum voluit, ut Hilarius inquit.

Notent captivi: Der HErr verachtet ſeine Gefangene nicht. Pſ. 69. v. 34. Sed ipſos quoque ſolatium præbet in carcere, quò ad patientiam magis magisq; animentur. Exemplo etiam eſt Petrus, Act. 12. v. 7. Paulus & Silas, Act 16. v. 20. ſeq. Joſephus, Sap. 10. v. 13. qui locus valde eſt notabilis.

II. *Propoſitio.* De Meſſia quæſtio eſt, quem diſcipuli Johannis nondum plenè noverant, quare ad Chriſtum ipſos ablegat cum quæſtione:

Digitized by Google

ſtione: Tu nè es qui venturus eſt, juxta Scripturam, Gen.3.v.15.c.12.v,3.c.22.v.18.Deut. 18.v.18. Eſa.7.v.14.&c.

Imitemur hanc ſcrutandi diligentiam, Joh.5. v.39. exemplo Berhoënſium, Act.17. v.11. ut verum DEI & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti agnitionem nobis comparemus, in qua vita æterna conſiſtit, Joh.17.v.3.

III. *Chriſti reſponſio.* Hæc directa non eſt, ſed obliqua, & operum ſuorum conſiderationem flagitat, quæ duplicia hic enumerantur.

1. Viſibilia. Nunciate Johanni, inquit Chriſtus, quæ videtis. Cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, & ſurdi audiunt, ex vaticinio Eſa.35.v.6.

2. Audibilia. Et quę auditis, pergit Chriſtus, pauperibus ſc. Spiritu, Matth.5.v.3. Evangelium prædicatur, ex Eſa.61.v.1.2.

Inde colligit Chriſtus: Quod Meſſias facere debuit, ego facio, ut videtis: Ergò ſum Meſſias, & addit: Beatus qui non in me, id eſt, propter me, ſeu propter ſervilem formam, quam in me videt, offenſus fuerit.

Hæc eſt principalis doctrina, quæ contra Judæos probè notanda eſt Chriſtum nimirū eſſe venturum illum Meſſiam. Docent hoc

1. *Prophetarum vaticinia.* Act.10.v.43.

2. *Miraculorum ſuffragia*, Joh.14. v.11.

3. *Doctrina κριτήρια*, Eſa.61.v.1.2. quem locum Chriſtus de ipſo interpretatur Luc.4. v.17.21. Sicut autem Chriſtus ſe demonſtravit verum eſſe Meſſiam ex operibus de ipſo prædictis: Sic veri Chriſtiani ex operibus debent demonſtrare ſe eſſe veros Meſſianos, h. e. Chriſti diſcipulos, ut vocantur Pſal.105. verſ.6. Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico, inquit Chriſtus Luc. 6. verſ. 46. conf. Johan. 13. v.17. Matth. 7. v.21.

De Secundo.

JAm ſequitur *Oratio Chriſti*, quā diſcipulis abeuntibus laudes Johannis Baptiſtæ coram populo prædicat, & tacitā reprehenſione levitatem eorum perſtringit, qui ſiniſtra quæq; de Johanne ſuſpicabantur. Comendat autem in perſona Johannis.

1. Fidei conſtantiam. Non eſt arundo inquit, quæ hinc inde à vento agitatur, ſed conſtans fidei confeſſor, qui veritatem ad mortem uſque defendet, Sir.4. v.33. ô egregiam virtutem, cui omnes verè Chriſtiani ſtudere debent, Eph.4.v.14.1.Joh.4.v.1. bonum enim eſt cor ſtabiliri, Ebr.13.v.9. Exemplo ſit Daniel cum ſociis, Dan.3.v.16.17. Mathatias & filii ejus, 1.Macc.2.v.19. ſeq. Eleaſar, 2.Macc.6.v.19. mater ſeptem filiorum 2.Macc.7.verſ.5. ſeqq. Promiſſiones habes, Matth.24.v.13. Apoc.2.v.10. Contrà 1.Reg. 18.v.21. ſeqq. Apoc.3.v.16.

2. In victu & amictu temperantiam. Non enim ut aulici veſtitu molli, victuq; delicato utebatur. Ein Stück wild Honigſeim / und ſeine Heuſchrecken habẽ ihm beſſer geſchmeckt / als die köſtliche Lampreten / und was ſonſt die Welt in deliciis hat.

Sequamur. Sir.29.v.28.29. Veſtes pretioſæ & cibus delicatus ad luxuriam inſtigant, & pœnas merentur, Eſā.3.verſ.16.17. Zeph.1. v.8. Amos 6.v.4. præſertim Paſtores, 1.Tim. 3.verſ.2. Mollia veſtimenta animi mollitiem indicant. Bernhardus. Ebrietas in laico crimen, in ſacerdote ſacrilegium eſt. Concil. Laodic.

3. Conſcientiæ obſervantiam. Iſt kein Selbſtretter oder Pulſter-Prediger geweſen/ ſed ſine reſpectu perſonarum vitia taxavit, nihil quicquam curans mundi odium & perſecutionem. Id quod adhuc hodie omnibus Paſtori,

ſtoribus incumbit, Ezech.3.v.17. 1.Tim.5. v. 10. 2.Tim.4.v.2. aliàs canes muti, Eſa.56. v. 10. predigen die Zuhörer zum Land hinauß / Thr.2.verſ.14. & ſeipſos æternæ damnationi mancipant, ceu ſal fatuum, quod pedibus conculcatur, Matth.5.v.13.

4. *In officio vigilantiam.* Nam plus quàm Propheta eſt, inquit Salvator. Prophetæ eminus Chriſtum venturum prædicabant, ſed Johannes cominus exhibitum & promiſſum digito monſtrabat, Joh. 1.v.29. Satisfaciamus & nos officio noſtro pro virili, 1.Pet. 4. v.11. Rom.12. v. 7. maledictus enim, &c. Jer.48.v.10.

5. *Vocationis præſtantiam.* Cujus præclarum habet teſtimonium, Mal. 3. v. 1. quod Chriſtus ipſe hîc in medium profert. Ita quilibet Eccleſiæ miniſter ſuam vocationem habere debet, Ebr.5.v.4. ne audire cogatur illud Jeremiæ c.23.v.21. hîc finis eſto.

Dominica IV. Adventus

Evangelium Johan. 1. verſ. 19. 29.

MAtth.4.v.8.9. Satanas CHRISTUM transfert in montem excelſum, & monſtrat ei regna mundi & gloriã eorum, dicens: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me.

Idem accidit præcurſori ejus Johanni Baptiſtæ in hodierno Evangelio, dum Judæi ſpecioſâ legatione honorem Meſſiæ ipſi offerunt, quem tamen ille non acceptat, ſed ingenuè fatetur, non ſum Chriſtus.

Videbimus

I. Judæorum legationem.

II. Imperioſam expoſtulationem.

J. J.

EXEGESIS.

REctè Diabolus vocatur ſerpens directus & tortuoſus, Eſ.27,v.1. quod enim dolo non poteſt efficere, vi tentat. Et hoc ipſum à Magiſtro ſuo didicerunt Judæi in hodierno Evangelio, dum primò quidem ſpecioſam legationem adornant, & blandis verbis Johannem Baptiſtam ad ſe pertrahere ſtudent, poſteà verò ubi vident conatum iſtum fore irritum, minis tentant aſſequi, quod blanditiis non valebant. De legatione prius agamus, illa fuit, ut in Evangelio deſcribitur

I. *Specioſa*, ratione loci à quo mittitur. Nam ex Hieroſolymis miſerunt Judæi Sacerdotes & Levitas, inquit Evangeliſta. Hęc erat metropolis totius palæſtinæ, cujus prærogativam ſcriptura hinc inde prædicat, Eſa. 2. v.3. c.31.v.9. Jer.14.v.21. Deut.17.v.8.9.10. Habitabat ibi ſummus Pontifex, ſeptuaginta ſeniores, vulgò Sanhedrim, & tot Doctores & Profeſſores, quibus collegia quadringenta triginta & unum vix ſufficiebant. Nihilominus hîc errant, dum Johanni honorem Meſſiæ offerunt, contra expreſſa vaticinia, Eſa.7.v.14. Mich.5.v.2. Vides ergò Concilia etiam poſſe errare. Vide Diet. Anal. part. 1. pag.49.50.

II. *Pompoſa.* Nam Sacerdotes mittunt & Levitas, & quidem ex ordine Phariſæorum, quorum eruditio & pietas in magna apud Judæos

Judæos erat authoritate. Similem pompam vides hodie in Papatu, ubi tot Cardinales, Epiſcopi, Prælati, Sacerdotes, monachi & moniales, ut nil ſupra. Siquidem in Concilio Conſtantienſi Cœnobia Benedictini Ordinis in Europa 15107. numerata ſunt, quid ſi reliqui etiam numerentur ordines? Cave tu, ne pompâ iſtâ decipiaris. Eccleſia vera gaudet uno capite, quod eſt Chriſtus, & unam etiam fidem amplectitur, Eph. 4. v. 5.

III. *Ponderoſa*, ut patet

1. ex quadruplici quæſtione. Nam

1. *Quærunt*: tu quis es? nimirum ut ex reſponſione Johannis apparet, interrogare debebant, num ſit promiſſus Meſſias. Convicti enim erant in propria conſcientia, tempus adeſſe, quod adventus Meſſiæ à Prophetis deſtinatum erat, Gen. 49. v. 10. Dan. 9. v. 24. Ideoque Johanni Baptiſtæ honorem iſtum offerunt, quod probè notandum adverſus hodiernos Judæos, qui adhuc expectant Meſſiam, ſed fruſtrà. Non enim veniet alius, quàm noſter ille Jeſus Nazarenus in extremo die, ubi dolores, furoris ſui dividet in omnes illos, qui adventum ſuum primum aſpernati ſunt, Job. 21. v. 17.

2. *Dicunt*: Esne Elias? quem Mal. 4. v. 5. antequam magnus ille dies Domini veniret, ſe miſſurum Deus promiſit. Intelligebant enim illam prophetiam de Elia Thesbite, qui vixit tempore Ahabi, & curru igneo vivus in cœlum ſublatus eſt, 2. Reg. 2. v. 11. ſed perperam, Matt. 11. v. 14.

3. *Inſtant*, num ſit Propheta? Nam à tempore Malachiæ Prophetas nullos habuerant, inde quærunt, num ſit Propheta ille magnus, de quo Deut. 18. v. 15. Poteſt etiam intelligi de Propheta ſingulari magno & eximio, qui Prophetico non ſolùm Spiritu ornatus, ſed & Politico gladio inſtructus populum regeret, & à jugo Romano liberaret, ut Dieter. habet part. 1. Anal. pag. 48.

4. Tandem *Categoricam petunt*, & geminatâ inſtantiâ reſponſionem urgent. Quis igitur es? quid dicis de te ipſo, ut reſponſum dare poſſimus iis qui miſerunt nos.

Diſcant inde Magiſtratus Eccleſiaſtici & politici, quid eorum ſit officii, quando novus aliquis Doctor exurgit, & ſtatum Eccleſiæ nova doctrinâ rurbat. Nimirum examinandus eſt, 1. Joh. 4. v. 1. Tu quis es? quid doces? quid credis? Suntne tua dogmata fidei analoga, Rom. 12. v. 7. nam hæreſis, niſi principiis obſtetur, ſerpit ut Cancer, 2. Tim. 2. v. 17. & more locuſtarum Ægyptiacarum omne viride depaſcit, Exod. 10. v. 12. Hæc cura incumbit Magiſtratui, Eſa. 49. v. 23.

2. Ex ingenua reſponſione, quæ eſt

1. *Negativa*, & tria quæſtionis propoſitæ membra complectitur. Nam 1. inquit, *non ſum Chriſtus*. Non vult videri is cujus nuncius & ſervus erat, ut Chryſoſtomus interpretatur. Sancti enim gloriam, quæ Dei propria eſt, non aucupantur, Pſ. 115. v. 1. *2. Non ſum Elias*, nimirum ut vos putatis, Elias Thesbites. Aliâs verè erat Elias, teſte Chriſto Matt. 11. v. 14. & 17. v. 12. Quod igitur Dominus fatetur de ſpiritu, hoc Johannes negat de perſona, ut rectè hîc notat Gregorius. v. Strack. Poſtill. fol. 40. *3. non ſum Propheta*. Quæſtio enim erat de Propheta illo ſingulari, Deut. 18. v. 15. ut ſupra notavimus. Talis non erat Johannes. Erat tamen Propheta, Luc. 1. v. 76. imo plus quàm Propheta, ut Chriſtus teſtatur in Evangelio, quia Chriſtum præſentem digito monſtrabat, quem reliqui venturum prædicabant, Joh. 1. v. 29. hinc lex & Prophetæ uſque ad Johannem, Matth. 11. v. 13.

Digitized by Google

Imitemur hoc exemplum, & honorem mundi contemnamus, ne ſimus in eorum numero, qui magis diligunt gloriam hominum, quàm gloriam Dei, Joh. 12. v. 43. & tandem in confuſionem rapiuntur, Phil. 3. v. 19.

2. *Affirmativa*, ex Eſa. 40. v. 3. ubi officium Johannis exprimitur.

1. *Ratione qualitatis*, quod ſit vox clamans in deſerto, non canis mutus, Eſa. 56. v. 10.

2. *Ratione utilitatis*, quod præparet viam Domino, per concionem pœnitentiæ, ut domicilium ſibi faciat in cordibus hominum, Luc. 1. v. 76. 77.

Officium Johannis eſt etiam officium omnium Eccleſiæ Paſtorum, Eſa. 58. v. 1. ita via Chriſto præparatur, ut ſine offendiculo cor noſtrum ingredi, & cum Patre & Sp. S. manſionem ibi facere poſſit, Joh. 14. v. 1.

Principalis & generalis doctrina in hac 1. parte notanda eſt *de confeſſione fidei*, quæ 1. *intrepidè, 2. apertè, 3. firmè*, uſque ad extremum vitæ halitum, exemplo Johannis reddenda eſt. Vide Dieter. Analyſ. par. 1. pag. 53. 54. ſeqq. & Heerm. Conc. L. S. part. 1. p. 9. ſeq.

De Secundo.

Reſtat adhuc pars Evangelii altera, quam breviter percurremus, nimirum *imperioſa Legatorum cum Iohanne expoſtulatio*. Ubi tria potiſſimum conſideranda veniunt.

I. Vocationis examinatio. Cur igitur baptizas, inquiunt, ſi non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta, quis tibi hanc poteſtatem dedit? Pari modo hodierni Jeſuitæ Luthero vocationem ſuam diſputant, Vide Meiſn. ſuper 14. art. Aug. Conf. p. 501. ſeqq.

II. Modeſta Iohannis declaratio, quâ prædicat.

1. *Baptiſmi dignitatem* 1. ratione *efficientis principalis*, qui non eſt Johannes, ſed Chriſtus ipſe, imò tota Trinitas, in cujus nomine baptizamur, Matth. 28. v. 19. interim unus eſt baptiſmus, quem miniſter aquæ aſperſione, & Sp. Sanctus interiori cordis regeneratione præſtat, Eph. 4. v. 6. 2. ratione *cauſæ materialis*, quæ gemina ponitur, externa & interna. *Externa* eſt elementum aquæ, non quivis liquor, ut Beza putat. Nam ego baptizo aquâ, inquit Johannes, hinc baptiſmus lavacrum aquæ, Eph. 5. v. 26. de quo Chriſtus Joh. 3. v. 5. & Petrus 1. c. 3. v. 21. *Interna* materia eſt Spiritus Sanctus, vel ſanguis Chriſti, vel tota Trinitas, vel etiam verbum Dei, quod in & cum aqua eſt, ut in Catechiſmo Lutherus ait. Quicquid hic accipias perinde eſt. Nam tota Trinitas in baptiſmo præſens eſt, & gratiam regenerationis infanti largitur. Hinc Auguſtinus ſcribit, baptiſmum rubere ſanguine Chriſti. Et Eccleſia canit:

Das Aug allein das Waſſer ſieht/
Wie Menſchen Waſſer gieſſen.
Der Glaub im Geiſt die Krafft verſteht
Des Blutes Jeſu Chriſti/ꝛc.

2. *Chriſti ſublimitatem*.

1. *Per naturarum diſtinctionẽ.* Nam juxta divinitatem fuit ante Johannem, juxta humanitatem verò poſt eum venit. Ergò in Chriſto ſunt duæ naturæ perſonaliter unitæ, quod contra Judæos, Arianos & Photinianos notandum eſt.

2. *Per ſui ipſius extenuationem*. Non enim ſum dignus, inquit Johannes, ſolearum ejus ſolvere corrigiam. Major ipſo non ſurrexerat inter natos mulierum, Matt. 11. v. 11. & ecce, tantoperè ſe demittit, ut corrigiarum ſolutione, abjectiſſimo & viliſſimo ſervitio ſe indignum reputet. Ita vos quoque dlecti,

Digitized by Google

dilecti, ſub potenti manu Dei humiliamini. ut extollat vos ſuo tempore, 1.Pet.5. v.6.

III. *Hiſtorica loci notatio*, ubi hæc omnia peracta fuerint, nempe in ripa Jordanis, ad quam ſitum erat oppidum Bethabara, ſic dictum, quaſi domus tranſitus, quia ibi fluvius iſte uel vado, vel navigio trajici poterat, & multi ibi homines quotidie convenirent. Sine dubio tamen etiam in literali ſenſu myſtica latet ſignificatio, ut, quemandmodum Iſraelitæ olim in hoc loco per Jordanem in terram benedictam tranſiverunt: Ita nos quoque per baptiſmum cœleſtem patriam ingredimur, qui in ripa Jordanis à Johanne primum adminiſtrari cœpit. Vide Tit 3. v.5. Gal. 3. v.27. 1.Pet.3. v.21. Id quod tandem fiat per J C. Amen.

In Feſto Nativitatis Feria I.

Evangelium Luc. 2. v. 1, 15.

GEneſ. 5. v.29. Lamech gaudet nato ſibi filio Noacho, & hic, inquit, conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus. Fefellit quidem Lamechum ſua ſpes, tempus enim Meſſiæ nondum aderat Gal.4..v.4. Sed nos Chriſto nato meritò gaudemus, qui verus Noah vel conſolator eſt, deſideratus nempe cunctis gentibus, Hagg.2.v.8. Et ut Noah tempore diluvii arcam ingrediens totum genus humanum ab interitu ſervavit: Ita Chriſtus per incarnationem humanitatis noſtræ arcam ingrediens ab æternæ damnationis diluvio univerſum genus humanum eripuit, & æternam redemptionem invenit, Ebr. 9. v.12.

Hoc ipſum Feſto hodierno ſancta mater Eccleſia ruminat, & ex prælecto Evangelio natales Chriſti celebrat. quod in duas partes dividi poteſt.

I. Deſcribit *Chriſti nativitatem.*

II. Promulgationis ſolennitatem.

J.J.

EXEGESIS.

BEatus populus, qui ſcit jubilationem, inquit David, Pſ. 89. v.16. Si unquam tempus fuit jubilandi, hâc quidem die illuxit, quam Dominus ideò fecit, ut exultemus & lætemur in ea, Pſ.118.v. 24. nam ille natus eſt, qui conſolari debet omnes lugentes, & oleum gaudii pro lucto diſtribuit, Eſa.61. v.3. Nativitas illa deſcribitur in Evangelio prælecto juxta circumſtantias.

I. Notetur *tempus*, quando Chriſtus natus ſit, & quidem dupliciter, 1. *regimine ſublato*, cum Auguſtus Cæſar regnaret, & ſceptrum à Judæis ablatum eſſet juxta vaticinium Jacobi, Gen. 49. v.10. 2. *Orbe deſcripto*, id eſt, Imperio Romano ſubjecto. Judæi aliàs populus liber erant, & privilegio ſuo gaudebant: nemo tibi dominabitur, caput non cauda, ſupra & non ſubter eris,

Digitized by Google

Deut. 28. v. 13. hinc Chriſto occinunt, Joh. 8. v. 33. Sed tempore nati Chriſti libertatem illam amiſerant, & deſcriptione illâ publicè fatebantur, ſe Romani Imperii ſubditos eſſe. Quod in confirmationem fidei noſtræ contra Judæos probè notemus. Vide Diet. Anal. part. 1. p. 73. 74. ſeqq. ubi hanc doctrinam fusè pertractat.

II. *Locus*, ubi natus ſit, nempe

1. *In oppidulo*, cui nomen Bethlehem, ut Micha prædixerat c. 5. v. 1. ubi nota *1. Chriſti humilitatem*, qui non in Hieroſolyma totius palæſtinæ metropoli, ſed in Bethlehem micropoli naſci voluit. Cauſa Luc. 16. v. 17. O igitur dignare humilis eſſe propter Deum, qui humilis eſſe dignatus eſt propter te, monet Auguſtinus. Si etiam in corde tuo Chriſtus naſci debet per fidem, cujus intuitu tam recens nobis debet eſſe Chriſti nativitas, ut ſi hîc ipſa horâ natus fuiſſet, ut Lutherus dicere ſolebat. 2. *myſterii ſublimitatem*. Bethlehem idem eſt quod domus panis. Bene igitur in Bethlehem naſcitur Chriſtus, ipſe enim eſt, qui ait: Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendit, inquit Gregorius. Qui hoc pane veſcitur, huic mors in olla non nocebit, 2. Reg. 4. v. 40.

2. *In diverſorio*, quod viatores ſibi pro ſolatio applicent, dum in locis peregrinis pernoctare coguntur. Chriſtus enim ſanctificavit omnia diverſoria ſuo ingreſſu, & ubique terrarum fidelibus ſuis adeſſe poteſt, ut exempla docent, Gen. 12. v. 1. ſeqq. & c. 26. v. 3. ſeqq. Exod. 2. v. 21. 1. Reg. 17. v. 10. 2. Reg. 4. v. 8.

3. *In ſtabulo*. Quia enim locus non erat in diverſorio præ multitudine hominum ibi divertentium, Maria cum Ioſepho in ſtabulum ſecedere cogitur. Hinc Cyprianus. Exigua eſt magni pompa puerperii. Civitas parva, domus paupercula, ſuppellex exigua, mater in fœno, filius in præſepio. Vide ne offendaris paupertate Chriſti. Nam propter te factum eſt, 2. Cor. 8. v. 9.

III. *Genus*, quod deſcribitur hîc

1. *Ratione ſtirpis*. Nam de Joſepho dicitur, quod fuerit ex domo & familia David. Quia igitur Maria uxor erat ipſi deſponſata, ut in textu eſt, ſequitur ipſam quoque Mariam ex eadem domo & familia fuiſſe, juxta expreſſam legem, Num. 36. v. 6. Ergò Chriſtus eſt Filius David, adeoque verus Meſſias, 2. Sam. 7. v. 12. Pſal. 132. v. 11. Act. 2. v. 30. Jer. 33. v. 15.

2. *Ratione matris*, quæ Maria dicitur, & Joſepho quidem deſponſata erat, ſed nondum convenerant, ideoque prægnans erat non à Joſepho, ſed è Sp. Sancto, Matt. 1. v. 18. 20. debebat enim Chriſtus à Virgine naſci, Eſa. 7. v. 14. ſine virili ſemine, Luc. 1. v. 34. 35. contra naturæ ordinem, Jer. 31. v. 11.

Notate 1. *Conjugati*. Chriſtus enim à deſponſata virgine naſci voluit. Ergò in ſtatu eſtis non carnali, ſed licito & honeſto, qui ſecus docet, doctrinam dæmoniorum profitetur, 1. Timoth. 4. v. 3. 2. *Deſolati*. Salvatorem habetis omnipotentem, qui contra naturæ ordinem clauſo utero naſci potuit, & adhuc ſuperabundanter facere poteſt plus quàm petimus & intelligimus, Eph. 3. v. 20. Huic confidete, & rebus omnibus deſperatis dicite cum Ezech. c. 37. v. 3. Tu noſti modum Domine, nam magnus conſilio, Ier. 32. v. 19. & novit pios de tentatione eripere, 2. Pet. c. v. 9.

IV. *Modus*, ubi

1. *Partus conſideratio*. Nam conſueto tempore, humano etiam more peperit Maria clauſo tamen ventris cubiculo, Ezech. 44. v. 2.

2. *Faſcia-*

2. *Faſciarum Explicatio*, quæ laceræ fuerunt & obſoletæ, his ipſa ſine obſtetricis vel aliarum muliercularum adminiculo infantem ſuum involvit. O ſummam paupertatem & miſeriam. Sed quadrat huc typus Jacobi, qui pellibus hædorum à matre Rebecca veſtiebatur, ut benedictionem ab Iſaaco conſequeretur, Gen. 27. v. 6. 15.

3. *Cunarum contemplatio*, nam in præſepi reclinavit eum, ſcribit porrò S. Lucas in Evangelio. O dulces Cunas, ò beatum præſepium, in quo ſalus mundi jacet. Cunæ & præſepium hoc ſunt verbum & Sacramenta, ibi puer ille delectabilis adhuc invenitur, ſcrutamini igitur Scripturas, Joh. 5. v. 39.

De Secundo.

JAm ſequitur altera pars Evangelii, quæ continetur

I. *Angelorum apparitio*, quæ deſcribitur.

1. *Ratione objecti.* Nam paſtores erant in ea regione, inquit Lucas, vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum, his apparet angelus Domini multitudine cœleſti ſtipatus, & nativitatem Chriſti, poſthabitis Sacerdotum principibus & prælatis Hieroſolymitanis, primo omnium annunciat. Nam non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, 1. Cor. 1, v. 26.

2. *Ratione adjuncti*, fuit enim

1. *Nocturna.* Coram Deo tenebræ non obſcurantur, ſed nox ſicut dies illuminatur, Pſal. 139. v. 12.. Si igitur in tenebris ſedes, noli timere, Dominus lux tua, Pſ. 27. v. 1. noctu videbat Jacob ſcalam cœli, & angelos deſcendentes, Gen. 28. v. 12. noctu comitabatur Deus Iſraelitas in columna ignis, Exod. 13. v. 21. noctu apparebat Ioſepho & fugam præcipiebat, ne infans ab Herode interficeretur, Matt. 2. v. 13. hinc David, Pſ. 121. v. 4. Ecce non dormitat neque dormit, qui cuſtodit Iſrael, &c.

2. *Improviſa*, quod vocula ecce, quæ admirationis ſignum eſt, ſatis indicat, ut & paſtorum timor & perculſio. Deus enim differt quandoque ſuum auxilium, ſed tandem venit ἀπὸ μηχανῆς, & ita juvat, **daß jederman ſagen muß/ das hat Gott gethan/ und mercken/ daß ſein Werck ſey**/ ut Lutherus pulcrè vertit, Pſ. 64. v. 10. Exempla ſunt 1. Sam. 23. v. 25. ſeqq. 2. Reg. 6. v. 15. 17. Act. 12. v. 7. Joh. 20. v. 19. Ergò confide Deo, qui adjutor eſt in opportunitate, Pſ. 9. v. 10.

3. *Splendida.* Nam claritas Domini circumfulgebat ipſos, inquit Evangeliſta. In tali claritate apparebat etiam Angelus Gabriel Danieli, c. 10. v. 6. Angeli enim ſunt flammæ fulgentes, Pſ. 104. v. 4. videte ergò vos mei, quam claritatem habitura ſint corpora noſtra in vita æterna; nam ἰσάγγελοι erimus, Matt. 22. v. 30.

II. *Habita Concio*, quæ tribus partibus abſolvitur.

1. *Eſt exhortatio*, quâ triſtitiam omnem ex paſtorum animis ſecedere jubet. Adam lapſus abſcondebat ſe in horto paradiſi, ex timore, ut ipſe fatetur, Gen. 3. v. 10. nolite timere, venit alter Adam reparaturus quod primus Adam deſtruxerat, Rom. 5. v. 18.

2. *Annexa ratio*, cur non debeant timere, videlicet.

1. *propter nuncii hilaritatem.* Nam bonus eſt nuncius, qui hodie venit. Ergò etiam lætum nuncium audacter ab eo expectare poſſumus, non quale Gen. 37. v. 32.

2.Sam.18. v.32. aut. Job. 1. v.14. ſeqq. aut hodie plerunque de becillis tumultibus ad nos defertur, ſed talem in quo conſcientia noſtrâ meritò acquieſcere poteſt.

2. *Propter Salvatoris nativitatem.* Captivi detinebamur ſub poteſtate tenebrarum, Col. 1. v. 13. ſed ecce, Salvator adeſt, Ebr.2.v.14.

3. *Propter meriti univerſalitatem.* Nam omni populo gaudium illud annunciatur, nemo excluditur, quia Chriſtus Salvator eſt omniũ, maximè fidelium, 1.Tim.4.v,10.

3. *Specialis notatio.* Et hoc vobis ſignum, inquit Angelus, invenietis infantem faſcis involutum, & in præſepi poſitum. Videte chariſſimi, humilitas & paupertas ſunt ſignum recens nati infantuli. Ubi igitur ſuperbia regnat, domicilium Chriſtus non habet, Eſa.57. v.15.

III. *Artificioſa Cantio*, quæ tribus conſtat verſiculis.

1. *Glorificatio.* Nam Deo in excelſis gloriam tribuunt, nempe gloriam juſtitiæ, cui Chriſtus ſatisfecit, Matth. 3. v. 15. miſericordiæ, quam miſſione filii prædicavit, Rom. 5. v. 8. veritatis & conſtantiæ, quam promiſſionem præſtando ſervavit, Gal. 4. v. 4. ſapientiæ & omnipotentiæ, quâ mirabile fecit conſilium & magnificit juſtitiam, Eſa. 28. v. 29.

2. *Congratulatio*, quod pax in terris per Chriſtum inſtaurata floreat. Ipſe enim eſt princeps pacis, Eſa. 9. v. 6. & dirigit pedes noſtros in viam pacis, Luc. 1. v. 79.

3. *Apprecatio.* Nam beneplacitum optant hominibus tam divinum in Chriſto, Eph. 1. v. 6. quam humanum in Deo Deique verbo, ut libenter audiant, in Chriſto ut fide apprehendant, in angelis ut eorum virtutes imitentur, in piis & pauperibus, ut ipſorum inopiæ ſubveniant. Vide Meiſn. in Medit. ſuper hunc locum Fer. II. Nat. Qui enim in Domino delectâtur, omnes concupiſcentias cordis ſui accipiet, Pſal. 37. v. 4.

Feria II. Nativitatis

Evangelium, Matth, 23, v. 34. usque ad fin.

Exod. 4. verſ. 25. Zipora Moſen vocat Sponſum ſanguinum propter circumciſionem filii ſui. Vide ibi gloſſam Lutheri marginalem. Chriſtus verè eſt Sponſus ſanguinum, & Eccleſiam, quam ſibi ſponſavit in fide, Oſ. 2. v. 19. ſanguine fundat, fœcundat & conſervat in hoc mundo. Hinc Sponſa Cant. 5. v. 10. Amicus meus candidus & rubicundus. Teſtatur illud hiſtoria Stephani protomartyris, quæ feriâ ſecunda Nativitatis explicari ſolet in Eccleſia, imò prælectum Evangelium, in quo Chriſtus de occiſione, crucifixione, flagellatione & lapidatione diſcipulorum ſuorum concionatur.

Habet autem tres partes.

I. Eſt *Gratia Chriſti ineffabilis.*

II. Ingra-

II. Ingratitudo mundi execrabilis.

III. Vindicta Dei formidabilis. J.J.

Exegesis.

David faciebat miſericordiam ſuper Hanon & mittebat ad eum ſervos ſuos, qui conſolarentur eum ſuper obitu patris ſui. Sed Hanon raſit dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias usque ad nates, & dimiſit eos, quam contumeliam ſervis ſuis illatam David poſteà ſeveriſſimè vindicavit, 2. Sam. 10. v. 1. ſeqq. Applica Hiſtoriam & habebis allegoricam delineationem totius Evangelii, ubi gratia & benevola Chriſti affectio primò omnium conſideranda proponitur, de qua alias Eſ. 5. v. 4. civium Hieroſolymitanorum judicium requirit: quid eſt, inquit, quod ultra facere debui vineæ meæ, & non feci? Jam gratiam ſuam commendat.

1. *Ablegando*, ecce, inquit, ego mitto. Conveniens erat, ut nos ad ipſum mitteremus, ſicut Gibeonitæ ad Joſuam, Joh. 9. v. 3. ſed ille mittit ad nos, & ſervos ſuos reconciliationem offert, 2. Cor. 5. v. 20. O quàm magna eſt miſericordia Domini! exclamat Sirach c. 17. v. 28.

Gratia illa magis magisque apparebit, ſi conſiderabis iſtam ablegationem.

1 *Ratione ſubjecti.* Mitto ad vos, inquit, Prophetas, Sapientes & Scribas, quo nomine intelliguntur non ſolum Prophetæ V. T. ſed etiam S. Apoſtoli, qui tanquam Prophetæ de lupis gregi non parcentibus, Act. 20. v. 29. itemque de Antichriſto & extremo judicio vaticinati ſunt, 2. Theſ. 2. v. 3. 1. Theſſ. 5. v. 3. tanquam ſapientes locuti ſunt ſapientiam Dei in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula, 1. Cor. 2. v. 7. tanquam Scribæ in Schola Chriſti ſacras literas didicerunt, & poſteà Spiritu S. donati ex Scriptis Moſis & Prophetarum potenter evicerunt, quod Jeſus Nazarenus ſit promiſſus Meſſias & Salvator mundi. Imò ad omnes fideles Eccleſiæ Paſtores hæc epitheta pertinent. Sunt enim Prophetæ, 2. Pet. 1. v. 19. ſunt ſapientes, & Sp. S. illuminati de æterna ſapientia, Prov. 8. diſſerere poſſunt, ſunt Scribæ, & Scripturam Sacram dies noctesque ſcrutantur, Joh. 5. v. 39. Sir. 38. v. 25. c. 39. v. 1.

Ecce viros hos eximios mittit Chriſtus, ut voluntatem ſuam nobis revelent, gratiam offerant, & æternam ſalutem procurent, Eſa. 41. v. 27. Pſ. 68. v. 12. Jer. 3. v. 15. Eph. 4. v. 11.

2. *Ratione objecti.* Non mittit eos ad amicos, ſed ad hoſtes ſuos infenſiſſimos, quales erant Judæi, qui ſibi nato locũ in diverſorio non conceſſerant, ſed in ſtabulũ ad boves & aſinos relegaverant, poſteà verò cũ miniſterium ſuum in Judæa & Gallilæa inciperet, non quieverunt, donec ipſum cruci affixiſſent, ut Petrus ipſis exprobrat, Act. 10. v. 39. Idem facit adhuc, Pſ. 103. v. 7. ſeqq. 2. Pet. 3. v. 9. Sap. 15. v. 1. Exod. 34. v. 6. Has divitias bonitatis, longanimitatis, & patientiæ ejus non debemus contemnere, qua nos ad pœnitentiam adducit, Rom. 2. v. 4. 5. ſed potius ad exemplum ipſius hoſtibus noſtris benefacere, Matth. 5. v. 44. Rom. 12. v. 20.

2. *Congregando*, ubi jucundam gallinæ ſimilitudinem adhibet, cui ſemetipſum comparat.

1. *Ratione*

1. *Ratione exinanitionis.*
2. *Ratione incubationis.*
3. *Ratione deductionis.*
4. *Ratione nutritionis.*
5. *Ratione defenſationis*
6. *Ratione patientiæ & tolerationis.*
7. *Ratione collectionis.* Vide Dietericum in Analyſ. part. 3. pag. 6. & ſeqq.

De Secundo.

SEquitur *ingratitudo Iudæorum*, quâ Chriſti gratiam compenſarunt. Duo enim ipſis vitia exprobrat maximè enormia.

Primum eſt *inobedientia*, quod benigniſſimam illam Chriſti invitationem per Prophetas, Sapientes, & Scribas factum admittere noluerunt. Noluiſtis, inquit Chriſtus, ſcilicet obedire, & ſub alas gratiæ meæ congregari. Hæc fuit via tua ab adoleſcentia, Jer. 22. v. 21.

Videtis hîc cauſam reprobationis & damnationis non in Deo, ſed in ipſis hominibus eſſe, qui conſilium Dei adverſus ſemetipſos ſpernunt, Luc. 7. v. 30. Hinc Oſ. 13. v. 9. Obedite ergò præpoſitis veſtris &c. Ebr. 13. v. 17.

Secundum eſt *truculentia*, cujus quinque ſpecies enumerantur

1. *Occiſio.* Hanc ſortem expertus eſt Johannes Baptiſta, Marc. 6. v. 27. Jacobus major, Act. 12. v. 2. Jacobus minor, qui ut Epiphanius teſtatur 30. miniſterii ſui anno de pinna templi Hieroſolymitani præcipitatus, & cum adhuc vivus ſeſe ad preces erexiſſet, lapidibus petitus, & tandem fullonicâ clavâ trucidatus eſt. Bartholomæus vivus excoriatus. Thomas haſtâ transfoſſus eſt, ut Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur.

2. *Crucifixio.* Hæc obtigit Petro, ut quidem Chriſtus ipſi prædixerat. Joh. 21. v. 18. & Andreæ fratri, ut ſcribit Nicephorus.

3. *Flagellatio*, quam Paulus expertus eſt, 2. Cor. 11. v. 24. & reliqui Apoſtoli, Act. 5. v. 40. Notandum verò imprimis quod in Synagogis Flagellationem ſuſcepturos eſſe Chriſtus dicit, quaſi pergratum Deo facinus, Joh. 16. v. 2.

4. *Perſecutio.* Nonnullos perſequemini, inquit Chriſtus, ex urbe in urbem, quod Paulo obtigit Damaſci, Act. 9. v. 25. 2. Cor. 11. v. 32. Philippis, Act. 16. v. 39. Theſſaloniæ, Act. 17. v. 10. Corinthi, Act. 18. v. 12. Hieroſolymis, Act. 22. v. 22. & 23. v. 10.

5. *Lapidatio*, quam iterum Paulus, Act. 14. v. 19. & Stephanus noſter, cujus memoriam hodie recolimus, experti ſunt, Act. 7. v. 59.

En mercedem, quam fidelibus Dei miniſtris ingratus hic mundus pro labore rependit. Vetus hæc eſt mundi tragœdia, ut per inductionem exemplorũ, Noæ, Gen. 6. v. 4. 2. Pet. 2. v. 5. Lothi, 2. Pet. 2. v. 7. Moſis, Nũ. 12. v. 3. Eliæ 1. Reg. 18. v. 17. & 19. v. 2. ſeqq. Eliſæi, 2. Reg. 2. v. 23. Eſaiæ, c. 57. v. 4. qui tandem ſerrâ ligneâ diſſectus eſt, teſte Chryſoſtomo. Jeremiæ, c. 11. v. 19. 21. c. 18. v. 18. 23. c. 26. v. 11. 15. c. 32. v. 2. & 36. v. 26. c. 38. v. 6. Michæ, 1. Reg. 22. v. 24. Ezechielis, c. 33. v. 31. Amoſi c. 2. v. 12. c. 7. v. 12. & aliorum clariſſimè patet. Vide Dieteric. Anal. part. 3. pag. 67. ſeqq. ſed in cœlo merces ampla ipſis repoſita eſt, Dan. 12. v. 3. Matth. 5. v. 11. 12. quâ paſſiones hujus ſæculi non ſunt condignæ, Rom. 8. v. 18. 2. Cor. 4. v. 17.

De Ter-

De Tertio.

Reſtat adhuc pars tertia, in qua Chriſtus *vindictam divinam* Judæis denunciat, cujus *ſeveritas* exaggeratur,

I. *Ratione certitudinis*, quam conſueta jurandi formula Chriſtus aſſerit. Ut igitur verax eſt in promiſſis, Pſ. 33. v. 4. ita quoque verax eſt in minis, & ſecundum opera ſua impiis retribuit, Rom. 2. v. 6. ut ne unus quidem contumax impunitus abeat, Sir. 16. v. 11.

II. *Ratione magnitudinis.* Sequetur enim

1. *Sanguinis innocui participatio*, cujus pœnam luent ejusmodi Prophetícidæ à ſanguine Abel juſti, ad ſanguinem Zachariæ Barachiæ filii, qui occiſus eſt inter templum & altare, vide 2. Chron. 24. v. 20. nam ſanguis eorum precioſus eſt coram Domino, Pſ. 72. v. 14. & qui unctos ejus tangit, pupillam oculi ejus tangit, Zach. 2. v. 8.

2. *Urbis & templi devaſtatio*, quam animo poſt natum Chriſtum 73. poſt crucifixum autem & reſuſcitatum 40. ſub Tito Veſpaſiano experti ſunt, & adhuc experiuntur, dum hinc inde diſperſi nullibi fixam ſedem habent, ſed in jusjurandum, & in ſtuporem, & in maledictum, & in opprobrium facti ſunt omnibus populis, Deut. 28. v. 65. Jer. 45. v. 18. & hæc ipſa ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio. Dan. 9. v. 27.

Felix quem faciunt hac ipſa pericula cautum.

Certè Judæis in peccatis ſimiles ſumus, verbum Dei pro ludibrio habetur, Jer. 6. v. 10. Prophetæ, Sapientes & Scribæ, quos Deus ad nos mittit, ſubſannantur, 2. Chr. 36. v. 16. quidni igitur ſimilem quoque pœnam experiamur. Vaſtatio & deſolutio quæ Judæis hîc à Chriſto denunciata eſt, totam Germaniam invaſit. Hoſtes omnia corrumpunt in ſanctuario, vid. Pſ. 74. v. 3. ſeqq. Ergò oremus cum Davide Pſal. 80. v. 15. & ſeqq.

III. *Ratione latitudinis.* Nam perſequetur Deus vindictam ſuam

1. *Pro individuorum pluralitate.* Omnis ſanguis, inquit Chriſtus, omnium & ſingulorum Prophetarum veniet ſuper vos, non ſolùm is, quem vos effudiſtis, ſed etiam, quod valde notabile eſt, is qui à Patribus veſtris effuſus eſt.

Videte, quomodo Chriſtus guttas numeret ſanguinis Prophetarum ſuorum, & pro ſingula gutta tyrannis & perſecutatoribus eorum propriam pœnam infligere minatus ſit, Pſ. 56. v. 9. expertus eſt Ahab cum ſua Jeſabele, 2. Reg. 9. v. 33. Rex Jojakim, Jer. 26. v. 22. 23. & 36. v. 30. Saul, 1. Sam. 22. v. 19. c. 31. v. 5.

2. *Pro injuriarum varietate.* Non enim tantummodo crucifixionem & lapidationem, ſed etiam flagellationem, perſecutionem, & quamcunque afflictionem ſervorum ſuorum ſe vindicaturum Chriſtus minatur. Hinc. Pſ. 105. v. 15. nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Quando enim Paſtores in officio gemunt, hoc non expedit auditoribus, Ebr. 13. v. 17.

IV. *Ratione longitudinis.* Dico enim vobis, inquit Chriſtus, quod me non videbitis ab hoc tempore, uſque dum dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini, hoc eſt; donec tandem aliquando in extremo die nolentes volentes me benedictum mundi Meſſiam cognoſcetis, cui illud Pſ. 118. v. 26. acclamari debuit: Benedictus qui venit in

C nomi-

nomine Domini. His verbis Chriſtus Judæis & omnibus contemptoribus gratiæ, viſionis ſuæ privationem interminatur.

1. *In vita præſente*, ubi videmus eum in ſpeculo verbi, 1. Cor. 13. v. 12. hoc ſubtrahit aſpernantibus, Amos 8. v. 11. Deut. 28. v. 29. Matth. 21. v. 43. Act. 18. v. 46. **daheiſt es**: Væ illis ubi ego diſceſſero. Oſ. 9. v. 12.

2. *In vita ſequente*. Ibi videbunt eum beati à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. ſicut eſt, 1. Joh. 3. verſ. 2. hæc ſumma erit felicitas, Joh. 16. v. 22. Tyranni verò & perſecutores piorum in hoc mundo à facie ipſius gratioſa præcipitabuntur in lacum infernalem, ubi non Deum & beatos Angelos, ſed Diabolum in forma terribili videbunt, & clamabunt: ô colles cadite ſuper nos, ô montes abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ ejus, & quis poterit ſtare? Apoc. 6. v. 16. 17.

Feria III. Nativitatis.

Evangelium Joh. 21. v. 20. 25.

ZAch. 1. v. 8. Chriſtus apparet in equo ruffo, quem ſequebantur adhuc multi equites, ruffis, puniceis & albis equis inſidentes. Per equitatum illum nihil aliud, quàm regni Chriſti conditio nobis adumbratur. Quemadmodum enim ipſe ſedet in equo ruffo, quo paſſio ipſius ſignificatur, Gen. 49. v. 11. Eſai. 63. verſ. 1. ita omnes qui ipſum ſequi volunt, per tribulationes, imagini ejus conformari oportet, Rom. 8. v. 29. Matth. 16. v. 24.

Sed Crux & tribulatio non omnibus una eſt. Quidam ſequuntur eum *in equis ruffis*, ut ſancti martyres, quidam *in equis puniceis*, ut Elias & multi alii Confeſſores Evangelii, qui licet ſanguinem & vitam non effuderunt, exilia tamen & multas perſecutiones perpeſſi ſunt, de quibus Paulus, 1. Cor. 4. v. 11. quidam *in equis albis*, & horum parvus eſt numerus, qui ſine martyrio & perſecutione publica Chriſtum ſequuntur, domeſticâ verò & privatâ cruce non carent, aliàs ſpurii & non filii eſſent, Ebr. 12. v. 8.

Quia igitur regnum Chriſti eſt regnum Crucis, non immeritò ſancta mater Eccleſia ſtatim à nativitate conditionem ejus conſiderat, & feriâ 2. Stephanum in equo ruffo, feriâ 3. autem S. Johannem Evangeliſtam in equo puniceo producit.

Videbimus Evangelium, & duo potiſſimum excerpemus γνωρίσματα, quæ omnes ii, qui Regis hujus recens nati ſubditos ſe profitentur, obſervare debent.

Primum eſt *Sequela*.
Alterum *Cautela*. J. J.

EXEGESIS.

DOmine Jeſu, exclamabat olim D. Bernhardus, omnes volunt venire ad te, ſed nemo ſequi. Vetus hæc querela eſt omnium Prophetarum. Hinc Chriſtus ad Petrum in prælecto Evangelio, Petre, inquit, ſequere me, quam etiam vocem ad nos pertinere arbitrabimur. Chriſtus enim in vita & morte nobis exemplum reliquit, ut ſequeremur ipſius.

ipſius veſtigia, 1.Petr.2.v.21. Sequimini igitur ô mei præcurſorem veſtrum Chriſtum

1.*Properè.* Quàmprimum clamat: ſequeteme, nolite differre pœnitentiam veſtram, Pſ.95. v. 8. quære Dominum in juventute, ut Ioſias, 2.Chron.34.v.3. maledictus enim qui florem juventutis Diabolo, feces autem ſenectutis Deo conſecrat. Hinc Sirach.c. 5.v.8. non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Jam habetis infantem recens natum in præſepio. O igitur oſculamini filium, Pſal. 2.v.12.

2. *Promptè*, willig und mit Frewden/ Petrus ad martyrium vocabatur, hoc ſenſu, ut Theophylactus exponit: Crucifixus ſum, ſequaris & tu per eadem veſtigia. Si ruffum tibi equum adducit, & ad martyrium te vocat, ſequere prompto animo, & cum Polycarpo tyrannis inſulta: Occideris me, beaveris me. Nam qui vitam perdiderit, ſervabit eam, inquit Salvator Matth. 10. v.39.

Si puniceo equo te vocat, ſequere prompto animo, & Lutheri apophthegma tibi in ſolatium applica: Si terra nos non capit, cœlum capiet; nam in domo patris mei ſunt multæ manſiones, Ioh.14.v.2.

Sin verò equo albo te inſidere jubet, ſequere itidem prompto animo, & gratias age Salvatori tuo, quod modicè te caſtigat, ne tibi videaris innoxius, Ier. 30.v.11. Si enim voluntas prompta eſt, accepta eſt, inquit Paulus 2. Corinth.8.v.12.

3. *Cantè.* Sequere me, inquit Chriſtus ad Petrum. Hoc tibi etiam dictum puta.

Non ſequere *mundum*, quando clamat Sap.2.v.6. Venite & fruamur bonis &c. Nã mundus in maligno poſitus eſt.1.Ioh.5.v.19.

Non ſequere *Diabolum*, quando tibi oſtendit regna mundi, & dicit: hæc omnia tibi dabo, Matth. 4.v.9. nam Spiritus mendax eſt, 1. Reg.22.v.22.

Non ſequere *Carnis concupiſcentias*, quæ militant adverſus animam, 1.Pet.2.v.11.

Non ſequere *rationem*, quando illa in rebus fidei probabilibus argumentis à recto tramite deflectit, nam cœca eſt, Eph 4.v.18. & non intelligit, quæ ſunt Spiritus Dei. 1. Cor.2.v.14.

Non ſequere *Papam aut Concilia*, quando ſine Scripturarum fundamento aliquid decernunt, nam omnis homo mendax, Pſal. 116.v.11.

Chriſtus eſt via, veritas & vita, qui ipſum ſequitur non errat, Ioh. 14.v.6. eſt lux vera, qui ipſum ſequitur, non ambulat in tenebris. Joh.8. v.12. eſt petra ſalutis, qui ipſum ſequitur, in deſerto non peribit, ſed ad cœleſtem patriam tutus pertranſibit, 1.Cor.10. v.4.

4. *Purè.* Non reſpiciendum cum Petro, ſed rectà progrediendum eſt. Qui enim manum admovet aratro, & reſpicit poſteà, non aptus eſt regno Dei, inquit Chriſtus Luc.9.v.62.

In regno Chriſti omnia parva ſunt et vilia. Infans jacet in præſepio, paſtores gaudent de nativitate ipſius, Herodes verò et Pontifices imò tota Hieroſolyma perturbatur. Hinc multi ſcandalizantur, et reſpiciunt cum uxore Lothi, Gen.19.v.26.& Iſraelitis, Num.11.v.5.

Vide ne offendaris. Nam regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, Joh.18. v. 36. Ergò ſurſum corda, Col. 3.v.1. obliviſcamur quæ retrò ſunt, & ad ea quæ priora ſunt extendamur cum Paulo, Phil.3.v.13.

5. *Piè*, Hîc Petrus invidet Johanni, quod

quod nullum ipſi Chriſtus martyrium prædicit. Domine inquit, quod autem hic patietur, propter nomẽ tuum, egone ſolus tam crudeli morte afficiar? Invidia Petri adhuc graſſatur in Eccleſia, multi enim felicitate proximi offenduntur, & contra Deum murmurant, Job.21. verſ.7. Pſalm.73. v.3. Jer. 12. v.1. Sed quid judicas proximum? Tu potius ambula in vocatione quâ vocatus es, 1. Cor.7. v.17. & crucem ſine invidia perfer, quam tibi Chriſtus immittit, proximus abſque tribulatione non manebit. Nam dimenſum eſt ab æterno, quantum unusquiſque pati debet, Act.9. v. 16. Pſalm.75. v.9.

6. *Firmè*, ad mortem uſque, exemplo Petri, qui morte crucifixionis Deum glorificavit, ut Chriſtus ipſi prædixerat. Nam qui fidelis eſt uſque ad mortem, huic Chriſtus aliquando coronam vitæ imponet, Ap. 2. v. 10. ſequetur ipſum in gloria, Apoc. 14. v. 4. & ſocietatem habebit cum Patre & Filio, 1. Joh.1. v. 3.

De Secundo.

FUit ſequela, ſequitur *Cantela*, quam adhibere debent omnes verè Chriſtiani.

I. *Ratione proximi*, ne felicitatem ſuam ipſi invideant, quod certè diabolicum vitium eſt, cujus invidia mors intravit in mundum, Sap.2. v. 24. & longè lateq; per omnes ſtatus graſſatur, Eccl. 4. v. 4. ſed contrariatur Chriſtianæ charitati, quæ non invidet, 1. Cor. 13. v.4. & omnium malorum cauſa eſt. Ubi enim invidia & contentio eſt, ibi ſequitur πᾶν φαῦλον πρᾶγμα, Jac. 3. v. 16.

II. *Ratione ſui*, ut vitent curioſitatem

1. *In Theologicis*, ubi quidam inveniuntur, qui ſcrupuloſis quæſtionibus ſe macerant, vel etiam extra, præter & contra ea quæ nobis in ſcripturis manifeſtata ſunt, altiora inveſtigare præſumunt, & interim nucleum verbi revelati faſtidiunt. Sed altiora non quæras, Sir.3. v.22. quid ad te, quod in ſcripturis non revelatum eſt? ſequere me, inquit Chriſtus ad Petrum. Habes Moſen & Prophetas, Luc.16. v. 29. Scrutare has Scripturas, quæ ad hunc finem exaratæ ſunt, ut haberes vitam æternam, Johan. 20. v. 31. non eſt tuum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater in ſua poteſtate poſuit, Act.1. v.7. Hinc Auguſt. Compeſcat ſe humana temeritas, & id quod non eſt non quærat, ne illud quod eſt, non inveniat. Hæ ſunt quæſtiones profanæ, 2. Tim. 2. v.16. inutiles, 1. Tim. 1. v.4. ſtolidæ, nil niſi lites generantes, 2. Tim. 2. v. 23.

2. *In Politicis*, ut multi ſolent, qui officii & vocationis ſuæ metas tranſiliunt, & Eccleſiaſtici cum ſint, temerè ſe politicis immiſcent, vel Politici cum ſint, miniſterii Eccleſiaſt. ſacra præſumptuosè attrectant. Sed quid hæc ad te, ſequere tu me inquit Chriſtus ad Petrum, unusquiſq; prout vocatus eſt, contendat eſſe quietus & res ſuas agat, 1. Theſſ.4. v.11. qui miniſterium habet, verſetur in miniſtrando, qui docet in docendo, qui præeſt, in ſolicitudine, Rom. 12. v.7. 8. adde Sirac. exhortationem c.3. v.23.

3. *In Oeconomicis.* Nam in communi vitæ ſocietate multi reperiuntur, qui de felicitate vel etiam infortunio proximi curioſe judicant, & feſtucam in oculo fratris optimè vident, ſed trabem in oculo proprio non conſiderant, Luc. 6. v. 41. Quid hoc ad te? Servus alienus ſtat vel cadit Domino ſuo, Rom. 14. v. 4. Conſidera te ipſum, ne & tu tenteris, unusquiſque onus ſuum portabit, Gal. 6. v. 1. 5.

III. *Ra-*

Digitized by Google

III. *Ratione Dei.* Duo enim vitia hîc in diſcipulis Chriſti notantur, quæ Deum reſpiciunt & maximè fugienda ſunt.

Primum eſt *ſuperficialis auſcultatio*, quod non rectè percipiunt verba Chriſti ſed obiter tantùm, & ſine attentione debitâ loquentem audiunt. Hoc ſit adhuc hodie. Plerique enim cum Iſraelitis nauſeant ſuper Evangelio, Num. 21. v. 5. & vel planè non audiunt, Ier. 6. v. 10. vel audiunt ſomnolenter, ut *Eutychus*, Act. 20. v. 9. vel negligenter, ut diſcipuli in hodierno Evangelio, vel impœnitenter, ut auditores Ezechielis, c. 33. v. 31. Sed magnum hoc peccatum eſt. Proinde abũdantius oportet nos obſervare ea quæ audimus. *μήποτε παραῤῥυῶμεν*, Eb. 2. v. 1.

Alterum eſt, *verborum Chriſti depravatio.* Hypotheticè enim locutus erat Dominus. Si velim iſtum manere, donec veniam, quid ad te? Sed diſcipuli ex conditionata faciunt abſolutam, & indè colligunt, Iohannem non moriturum. Ita facilis eſt in errorem prolapſus, quando ſenſus verborum Chriſti genuinus non attenditur. Exempla ſunt, Matth. 20. v. 21. Luc. 22. v. 24. Iohan. 6. v. 35. 52. & 60. ſed v. 63. Chriſtus ſe explicat. Matt. 16. v. 18. ubi non ſuper Petrum, ut Pontificii putant, ſed ſuper petram Confeſſionis ipſius ædificaturum ſe promittit Eccleſiam. vid. Diet Anal. part. 3. p. 108. ubi multa alia exempla adducit. Ergò nolite verba Chriſti *ςρεβλῶν*, 2. Pet. 3. v. 16. ſed hærete in litera.

Multos ſpecioſa fefellit
Gloſſa: Dei verbo nitere tutus eris.

Hinc Chriſtus Iohan. 8. v. 31. Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

Dominica poſt Nativitatem Domini

Evangelium Luc. 2. v. 31. 41.

Cum arca fœderis templo inferretur, Salomo congregavit Seniores Iſrael, qui concentu Muſico ſolennitatem illam condecorabant, 2. Par. 5. v. 12.

Chriſtus eſt vera arca fœderis, non legalis V. T. ſed Evangelici, Jer. 31. v. 31. Eb. 7. v. 22. Hic cum offerretur in templo tanquam primogenitus, Simeon & Hanna ſeniores Iſrael concentus muſicos inſtituerunt & alternatim, quod vox *ἀνθωμολογεῖν* importat, Dei beneficia per miſſionem filii, humano generi præſtita, deprædicant, ſicut hodiernum Evangelium teſtatur, quod tribus conſtat partibus.

I. eſt *Prophetica Sim. benedictio.*
II. *Reſponſoria Hannæ Confeſſio.*
III. *Hiſtorica infantiæ Chriſti deſcriptio.* J. J.

EXEGESIS.

Johan. Fridericus Dux & Elector Saxoniæ flavâ cruce in tergo notatus ex utero materno prodiit, de qua admirantibus pa-

rentibus ſenex quidem Theologus ita vaticinando exclamavit: ***Hic puer crucem geſtabit toti mundo conſpicuam.*** Quod eventus quoque ita comprobavit pari modo prodit in hodierno Evangelio Simeon ex ordine Sanhedrim, vir pietate & juſtitia inſignis, & ut Bernhardus loquitur, tam plenus virtutum, quàm dierum, hic benedictione ſuâ Chriſtum & parentes ejus in templo congregatos more Patriarcharum, Gen. 27. v. 28. c. 48. verſ. 9. c. 49. 1. ſeqq. de futuris inſtruit, quid de hoc infante ſtatuendum ſit, deſcribitur in Evangelio

I. *Occaſio*, quæ benedictioni huic Simeonicæ anſam dedit, nimirum admiratio parentum Chriſti ſuper his quæ dicebantur de eo. Ubi idem Simeon Chriſto in ulnas ſuſcepto: Domine, inquit, nunc dimittis ſervum tuum in pace. Hanc Simeonis Confeſſionem conferebant cum his, quæ ab Angelis, Paſtoribus & Magis audiverant, & meritò in ſummam propterea admirationem rapiuntur, non ex ἀπισίᾳ & ignorantia, ſed propter objecti magnitudinem, ſicuti mirari ſolemus curſus ſolis velocitatem, vel orbium cœleſtium altitudinem, vel terræ capacitatem, vel maris profunditatem, quamvis de hiſce non dubitemus. Vid. Dieter. Anal. part. 1. pag. 106.

Conſiderate vos etiam Dilecti, quæ de Chriſto dicta ſunt per Prophetas, & miramini cum parentibus ejus

1. *Myſterii hujus novitatem*, in conceptione, quæ facta eſt ſine virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine, ut Eccleſia canit, & Lucas teſtatur c. 1. v. 35. in partu, qui illæſa virginitate perpetratus, Eſa. 7. v. 14. in perſona, quæ in Deo-homine conſiſtit, Gal. 4. v. 4. De his Jerem. 31. v. 22.

2. ***Profundiſſimam Salvatoris humilitatem***, qui ab uno extremo ad alterum quaſi delapſus è Creatore creatura è Domino ſervus, è ſummo imus factus eſt, Phil. 2. verſ. 6.

3. ***Excellentiarum in Chriſto ſublimitatem.*** Nam à primo ſtatim puncto conceptionis unctus eſt non ſolùm Spiritu S. præ conſortibus, Act. 10. v. 38. Pſ. 45. v. 8. ſine menſura, Ioh. 3. v. 34. ut ſit plenus gratiâ & veritate, Ioh. 1. v. 14. Sed & omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ in eo abſconditi ſunt, imò omnis plenitudo Deitatis in ipſo habitat σωματικῶς, Col. 2. v. 3.

4. *Officii dignitatem*, quod triplex, ut Propheta docendo, Ioh. 1. v. 18. ut Sacerdos ſeipſum immolando, Eph. 5. v. 2. 1. Pet. 2. v. 24. 1. Joh. 2. v. 2. ut Rex defendendo, Pſal. 110. v. 1. Pſ. 2. v. 9. & gubernando per ſceptrum Verbi & Sacramentorum exequitur, Pſal. 45. v. 7. Vide Dieter. Anal. part. 1. pag. 108.

II. *Relatio*, quam dirigit

1. *Ad infantem.* 2. *Ad matrem.*

De infante tria prædicat. Vocat enim

1. *Lapidem offenſionis*, qui poſitus ſit ad πτῶσιν, non per ſe ex abſoluto DEI decreto, ſed per accidens ex culpa hominum, Oſ. 13. v. 9.

Videamus igitur ut cautè ambulemus, ne lapis anguli fiat nobis etiam petra ſcandali. Non amat Chriſtus perniciem noſtram, ſed venit ſalvare quod perierat, Luc. 19. v. 10. hinc ſuaviſſimè nos invitat, Matth. 11. v. 28. Væ illis qui culpâ ſuâ impingunt & pereunt. Nihil enim habent quod prætendant. Pater diligit, filius ſatisfacit Spiritus S. annunciat. Habemus verbum ex quo gignitur, & Sacramenta quibus confirmatur fides noſtra. Qui hæc media ſpernit, conſilium Dei ſpernit adverſus ſemetipſum, Luc. 7. v. 30.

2. *An-*

2. ***Anſam reſurrectionis***, videlicet à carnali ſecuritate & peccatorum ſomno, Eph. 3. v. 14. Hæc enim eſt reſurrectio ſecunda, Apoc. 20. v. 6. cujus non omnes, ſed tantùm multi in Iſrael, qui ſcilicet in Chriſtum credunt, & ita ſecundùm fidem ſunt Iſrael, Rom. 4. v. 12. participes fiunt. Surge igitur qui dormis, Eph. 5. v. 14. habes Dominum qui eſt vita & reſurrectio, Joh. 11. v. 25. Si perges in ſomno peccatorum, excludet te ſponſus cum fatuis virginibus, Matt. 25. v. 12. Vis tandem in extremo die reſurgere ad vitam, reſurge jam ad pœnitentiam, Apoc. 20. v. 6.

3. ***Signum contradictionis***, ſimilitudine ab iis ſumptâ, qui ad propoſitum ſcopum ſagittis ſuis jaculantur, Thr. 3. v. 12. Job. 16. v. 13. Act. 28. v. 22. Per ſe erectus eſt in ſignum ſalutis, ut quæratur, Eſa. 11. v. 10. ſed per accidens ponetur, ait Simeon, in ſignum cui contradicetur à Diabolo omnibusque tyrannis & hæreticis. Fieri illud cœpit in paradiſo, Gen. 3. v. 4. & continuatur adhuc à tyrannis crudeli perſecutione, ab hæreticis Scripturarum depravatione, ab impiis quibusque ſtudioſâ Decalogi violatione.

Caveamus ab hoc ſcelere, & ſignum quidem Chriſtum ſtatuamus, ad quod tempore neceſſitatis unicè vota noſtra dirigenda ſunt, ſed non ſignum contradictionis & blaſphemiæ. Qui enim contradicit Chriſto in hac vita: huic itidem contradicet in altera, & ab æterna gloria ipſum penitus excludet, 2. Theſſ. 1. v. 8. 9.

Jam *ad matrem* ſe convertit, & prædicit ipſi

1. ***Summam afflictionem.*** Nam gladius, inquit, pertranſibit animam tuam. Quâ phraſi dolores acerbiſſimi, qui cor Mariæ, cùm Jeſum amitteret, Luc. 2. v. 48. & poſteà tempore paſſionis & crucifixionis ejuſdem, transfixerunt, exprimuntur.

Ita typus eſt Eccleſiæ, cujus animam ſemper gladius tribulationis pertranſit; Eſt enim paupercula illa tempeſtate convulſa, abſque ulla conſolatione, Eſa. 54. v. 11. in mundo vivimus, ubi preſſuram habemus, Joh. 16. v. 33. in militia ſumus, ubi hoſtes à dextris & ſiniſtris irruunt, Pſal. 3. v. 2. in via ambulamus, ubi tempeſtatis inclementia, & periculorum varietas nos divexat, Luc. 10. v. 30. Sed confidite, dilecti, tempus erit, quo gladius tribulationis ceſſabit, & tempus refectionis ſuccedet, Act. 3. v. 20. non enim relinquet Deus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, Pſ. 125. v. 3.

2. ***Salutarem directionem***, adjectâ cauſâ finali ut cogitationes cordium multorum detegantur. Felicitas plerunque eſt hypocriſeos nutricula, ſed cum veniunt ſcandala, & pericula premunt, tum revelantur hypocritæ, & probantur fideles. Ita Deus mala quæque ad bonum finem poteſt dirigere, mirabile facit conſilium, ſed magni facit juſtitiam, Eſ. 28. v. 29.

De Secundo.

Sequitur *Reſponſoria Hannæ Confeſſio*, quâ benedictionem Simeonis quaſi excepit, duo autem circa illam notatu digna occurrunt.

I. *Perſonæ Commendatio.*
II. *Confeſſionis Ponderatio.*

Perſona commendatur

1. ***Ratione nominis.*** Hanna enim dicitur, quod gratioſam ſignificat, ein Gnadenkind. Tales eſſe debent omnes Chriſtiani; nam gratiâ ſalvati ſumus, Eph. 2. v. 8. inprimis jucundum eſt audire, quod non tantùm

Sime-

Simeon, ſed etiam Hanna nominibus ſuis hiſtoriæ Evangelicæ inſeruntur. Ita enim omnes fideles in manibus ſuis deſcripſit Deus, Eſa. 49. v. 16.

2. *Ratione luminis.* Prophetiſſa enim erat, quod ſexui fœmineo valde glorioſum eſt, contra omnes illos, qui honori ipſarum detrahunt, & num etiam homines ſint, in dubium vocant. Tacianus dicebat: Mulierem eſſe opus Diaboli. Alii malum neceſſarium vocant. Sed refutantur hoc exemplo; nam Spiritus Sanctus cujus donum prophetia eſt, 1. Cor. 12. v. 10. in piis & fidelibus tantum hominibus templum ſuum habet, 1. Cor. 3. v. 16

3. *Ratione generis.* Nam filia Phanuel dicitur, ex tribu Aſer, qui octavus erat filius Jacobi, ex Silpa natus, Geneſ. 30. v. 3.

Gloria filiorum patres eorum, inquit Salomo, Proverb. 17. v. 6. imò benedictio divina per pios parentes ad filios quoque derivatur, teſte Davide, Pſ. 112. v. 1. ſeqq. & Salomone Prov. 14. v. 26.

4. *Ratione ætatis.* Erat enim vidua quaſi annorum octuaginta quatuor, quibus ſi annumeres annos ſeptem quos vixit cum viro in conjugio, & octodecim virginitatis, habebis annos centum & novem, quos nemo facilè aſſequitur, Pſ. 90. v. 10.

Quod ſi in pace etiam vultis ſeneſcere, dilecti, timete Deum, honorate parentes, obſervate conſcientiam. Nam timor Domini auget dies, Prov. 10. v. 27. vide etiam Prov. 3. v. 1. ſeqq.

5. *Ratione caſtitatis*, quam inviolatam ſervavit

1. *In ſtatu virginali.* Virgo enim erat, cum nuberet, ut Lucas teſtatur. Diſcant ergò virgines virginitatem, irreparabilem illum theſaurum, intactam ſervare, dum conſenſu parentum præmiſſis precibus ad matrimonium tranſeant. Hæc eſt voluntas Dei, 1. Theſſ. 4. v. 3.

2. *In ſtatu conjugali.* Nam cum marito ſuo vixit, & non cum aliis per adulterium ſe commiſcuit, ut hodie quandoque fieri ſolet. Hanc laudem omnes piæ matronæ ſectentur, ut fidem maritis ſuis illibatam, & torum ſervent immaculatum, Ebr. 13. v. 4. Viris itemque ſubjectæ ſint, Col. 3. v. 18. Concordiam ament, quod etiam phraſis illa cum viro vivere ſubinnuit. Venerentur maritos, & dominos appellent cum Sara, 1. Pet. 3. v. 6.

3. *In ſtatu viduali.* Nam vidua erat, inquit Evangeliſta, quaſi annorum octuaginta quatuor. Septem tantùm annos cum marito vixerat in conjugio, & ecce mors divortium facit, viroque ipſam tanquam capite privat, & ſic optimo quidem jure ad ſecunda vota tranſire potuiſſet, Romanor. 7. verſ. 2. 3. 1. Tim. 5. v. 14. Sed vidua manſit, & turturis inſtar in ſolitudine vitam ſuam tranſegit.

Hoc exemplum Hannæ omnes viduæ ſibi imitandum proponant, & obitum maritorum honeſtè lugeant. Poſteà verò ſi continere ſe nequeant, in Domino nubant, 1. Tim. 5. v. 14. Sin verò libeat ipſis permanere in ſtatu viduali, caſtè vivant, in Deo ſperent, & obſecrationibus vacent die & nocte, ſecus ſi fecerint viventes mortuæ ſunt, 1. Tim. 5. v. 6.

6. *Ratione Pietatis*, quam declaravit

1. *Sedulâ templi viſitatione.* Non enim diſcedebat à templo, inquit Lucas, non quod ſemper ibi fuerit, ſed frequenter, ut Lyra interpretatur, cum ſacra tractabantur, nunquam abeſſe voluit. Egregium exemplum, quod nos etiam ſequi debemus. Templum enim

Digitized by Google

enim locus eſt, in quo memoriam nominis ſui Dominus collocavit, & benedictionem, omnibus ibi convenientibus & orantibus promiſit, Exod. 20. v. 24. Sed pauci obſervant, libentius viſitantes domum compotationis, quàm orationis, propterea tandem à juſto Deo ad domum luctûs detrudentur, Eccleſ. 7. v. 3.

2. *Indefeſſa oratione.* Nam Deo ſerviebat orationibus die ac nocte. Oratio enim juſti multùm valet, ſi ſeria ſit, Jac. 5. v. 16.

3. *Rectâ corporis moderatione.* Nam ſobriè vixit, & jejuniis carnem ſubegit, quæ aliàs adverſus ſpiritum concupiſcere ſolet. Gal. 5. v. 17. Jejunium eſt orationis adjutorium, ut inquit Chryſoſtomus, quæ à corde cibo & potu gravato ad cœlos difficulter aſcendere poteſt Luc. 21. v. 34.

Et hæc eſt inſignis illa Hannæ Propheteſſæ commendatio, jam *Confeſſio* ejus quoque ponderanda eſt, quam edit

1. *Intrepidè.* Nam eo ipſo momento, quo Simeon Chriſto benediceret, ſuperveniebat, **ſie trat auch hinzu /** vertit Lutherus. Non timet Pontifices, Scribas, & Phariſæos, qui filium illum fabri pro Meſſia agnoſcere nolebant; non timet etiam Herodem & ejus miniſtros, qui infanti huic inſidiabantur, ſed accedit intrepidè, & confeſſionem ſuam de Chriſto publicè profert, quod & nos imitari oportet. Nam qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Deo, Matth. 10. v. 32.

2. *Devotè.* Nam cum gratiarum actione orditur, & Deum ob promiſſionem & exhibitionem filii ſui glorificat. Idem & nos decet. Nam bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime, Pſ. 92. v. 2.

3. *Congruè,*

1. *Ratione ſubjecti.* Nam de Chriſto loquitur, quod is ipſe ſit promiſſus patribus Meſſias, & ita benedictionem Simeonis confirmat. Loquamur etiam de Chriſto in omnibus ſermonibus noſtris, & omnem turpitudinem aut ſtultiloquium aut ſcurrilitatem vitemus, quæ Chriſtianos non decent, Eph. 5. v. 4.

2. *Ratione objecti.* Nam ad omnes loquitur, qui expectabant redemptionem Hieroſolymis viventium, quorum numerus certè fuit perexiguus. Nam vera Eccleſia non conſiſtit in multitudine, ſed grex puſillus eſt, Luc. 12. v. 32. populus pauper & egenus, Zeph. 3. v. 12. quem Chriſtus grano ſinapi comparat, Matth. 13. v. 31. Cave igitur, ne offendat te facies Eccleſiæ vilis & deſpecta, ſemper aliquos relinquit Deus, qui genua ſua non incurvant ante Baal, 1. Reg. 19. v. 18.

De Tertio:

Reſtat adhuc pars Evangelii tertia, quam breviter percurremus. Duo enim potiſſimum ibi notanda occurrunt

I. Eſt, *parentum reverſio.*

II. *Chriſti accretio.*

Reverſio deſcribitur

1. *à temporis adjuncto.* Nam peractis ſecundum legem Domini peragendis, reverſi ſunt, inquit Evangeliſta. Hodie multi vix ingreſſi templum de egreſſu cogitant, & prælectionem textus non expectant, aut in media concione ſe foras proripiunt, de precibus aut benedictione Eccleſiaſticâ, parum ſolliciti. Sed hypocritæ ſunt, & ſacra tantùm obiter tractant, contra Sir. 1. v. 36. c. 18. v. 23. Matth. 15. v. 8.

2. à domicilii termino, qui eſt Civitas Nazareth, ſita in Galilæa, ubi Joſeph & Maria habitarunt, hinc urbs ipſorum dicitur. Regio tota propter ſterilitatem contemta erat, vide Joh. 7. v. 52. & inprimis urbs Nazareth. Hinc Nathanael ad Philippum: nunquid à Nazareth, inquit, aliquid boni venire poteſt? Joh. 1. v. 46. Sed Joſeph & Maria cum Filio ſuo, ibi degebant. Hoc tibi in ſolatium applica, cum in parvulo etiam & contempto oppidulo habitas. Si enim Chriſtus cum verbo & Sacramentis ibi domicilium ſuum habet, oppidulum illud Româ præſtantius eſt. Proinde contentus es ſorte tuâ. In magnis Civitatibus enim magna etiam peccata graſſari ſolent. Hinc Paulus, ignobilia inquit, mundi & contemtibilia elegit Deus, 1. Cor. 1. v. 28.

Accretionem Chriſti quod attinet, illa triplex eſt.

1. *Externa*, ratione ſtaturæ, quâ ſicut alii pueri quotannis crevit, ut per omnia fratribus ſimilis eſſet, excepto tamen peccato. Eb. 2. v. 17.

2. *Interna*, ratione donorum ſpiritualium, nam ſapientia, intellectus judicium, & alia dona habitualia magis magisque ſe in ipſo exeruerunt, ut aliis pueris ejusdem ætatis fuerit excellentior. Nam præcellere debuit aliis tanquam primogenitus.

3. *Superna*, ratione unionis perſonalis, quâ in ipſam τῦ λόγυ ὑπόςασιν caro evecta, & majeſtate omnipotentiæ, omniſcientiæ, omnipræſentiæ ab ipſo puncto Conceptionis donata eſt, ſed in ſtatu exinanitionis occultavit, & non niſi quando, ubi & quomodo voluit, particulariter tantum uſurpavit, Phil. 2. v. 7.

Hinc apparet, Chriſtum eſſe verum, ſed non nudum hominem, contra Marcionitas, Arianos, Photinianos, & alios, qui veritatem humanæ, & majeſtatem divinæ ejusdem naturæ impugnant. Quieſcite ab homine, qui ſpiritum habet in naribus, excelſus enim reputatus eſt, Eſ. 2. v. 22.

In Feſto Circumciſionis

Evangelium Luc. 2. v. 21.

IN veteri lege annum incipiebant Judæi eo tempore, quo agnus paſchalis mactabatur, & ſanguine ejus poſtes & ſuperliminaria domorum conſpergebantur, idq; in perpetuum liberationis argumentum, juxta mandatum Dei, quod in formalibus ita ſonat: Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni, Exod. 12. v. 2. ſeqq.

Nos hodie incipimus annum noſtrũ, quo Chriſtus JEſus agni paſchalis antitypus, 1. Cor. 5. v. 7. divina ita diſponente gratiâ ſanguinem ſuum in circumciſione cœpit effundere, & ita guttulas primas quaſi ſignum & pignus plenariæ redemptionis in Paſſione exanthlandæ, præmiſit, ut prælectum teſtatur Evangelium, quod duabus partibus conſtat.

I. Eſt

Digitized by Google

I. Eſt *Infantis Circumciſio.*
II. Nominis impoſitio. J.J.

EXEGESIS.

NOn immeritò Chriſtus vocatur τέλος νόμου εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι, Rom. 10. v. 4. quia noſtri loco ſe ſubjecit, & obedientiâ ſuâ tam activâ quàm paſſivâ omnem juſtitiam ejus implevit, Matth. 5. v. 17. id quod actus circumciſionis, quem Lucas deſcribit in Evangelio, ubertim docet. Tria autem circa illum actum notanda veniunt.

1. *Temporis integritas*, quando circumciſio illa facta ſit, nimirum octavo die à nativitate Chriſti, juxta præceptum Domini, Gen. 17. v. 12. quod præcisè obſervandum erat, licet octavus dies in Sabbathum inciderit, Joh. 7. v. 22.

Nos agnoſcimus inde ſummam Dei φιλανθρωπίαν, & benevolentiam, quod ante octavum diem circumciſionem non inſtituit perficiendam, ut imbecillitati recens natorum puſillorum parceret. Nam doloroſa erat circumciſio, Gen. 34. v. 15. Si verò ante octavum diem mortuus eſt infans circumciſionem non aſſecutus, ſaluti tamen ipſius nihil obfuit, ſed abſque circumciſione ſalvatus eſt. Ubi enim nulla lex, ibi nulla prævaricatio legis, Rom. 4. v. 15. ut exemplum filii Davidis teſtatur, qui ſeptimo die vitæ ſuæ moriebatur, & tamen David de ſalute ipſius nihil quicquam dubitat, 2. Sam. 12. v. 23.

2. *Perſonæ dignitas*, quæ eſt puer ille admirabilis Dei & Mariæ filius. Cauſæ igitur ponderandæ ſunt, cur legi circumciſionis ſe ſubjecerit, cum ſit Dominus legis, Marc. 2. v. 28. impollutus & ſegregatus à peccatoribus, Ebr. 7. v. 26. & ita fœdere circumciſionis non indigebat. Sed ipſe erat angelus fœderis, Mal. 3. v. 1. Circumciſus tamen eſt propter ſequentes cauſas, quarum

1. *Fidei firmamentum.* Ut oſtenderet, ſe in veritate carnem aſſumpſiſſe, contra Manichæum & omnes, qui dicunt, in ſpecie ipſum apparuiſſe, verba ſunt Epiphanii.

2. *Humilitatis documentum.* Licet enim ſit Deus ſuper omnia benedictus in ſecula, Rom. 9. v. 5. quem angeli adorant, & qui omnia portat verbo virtutis ſuæ, Ebr. 1. v. 3. 6. Legi tamen circumciſionis ſe ſubjicit in noſtram inſtructionem, ut ſine ulla tergiverſatione ordinationibus divinis pareamus, quantumvis rationi noſtræ viles & ridiculæ videantur. Confeſſio enim & magnificentia opus ejus, Pſ. 111. v. 3.

3. *Legis complementum.* Qui enim circumciſionem in carne admittit, debitor eſt univerſæ legis faciendæ, Gal. 5. v. 3. Quandoquidem ergò Chriſtus per ſe legi nequaquam ſubjectus erat, noſtri tamen gratiâ factus eſt legi obnoxius, ut nos qui ſub lege eramus, nec tamen, quia infirmabatur per carnem, Rom. 8. v. 3. implere poteramus, à lege redimeret, ut adoptionem reciperemus, Gal. 4. v. 4. 5.

4. *Amoris argumentum*, quod declaratur exemplo Sichem, Geneſ. 34. v. 19.

3. *Circumciſionis qualitas.* Duplex aliàs in Scripturis circumciſio prædicatur: Corporalis & Spiritualis. Corporalis ad Judæos tantùm; Spiritualis verò ad Judæos & Chriſtianos pertinet. De Corporali circumciſione agitur in Evangelio. Quia enim Chriſtus ex ſemine Abraham & David natus erat, Gen. 22. v. 18. 2. Sam. 7. v. 12. Circumciſionem etiam in carne ſuſcipere voluit, ne Judæis anſam aliquam ipſum rejiciendi præberet, ut rurſum teſtatur Epi-

phanius, ſed eo ipſo circumciſionem abrogavit, quæ duratura erat ad tempus *διορθώσεως*, Ebr. 9. v. 10. Sicut enim is qui theſaurum in agro abſcondit, ſignum certum loco apponit, theſauro verò ablato, ſignum etiam tollit: Ita quoque Deus noſter, cum pretioſiſſimum theſaurum mundi Salvatorem in Abrahæ poſteris abſconditum ſervaret, appoſuit ei ſignum circumciſionis. Veniente autem temporis plenitudine, quâ Chriſtus Salvator in carne exhibitus eſt, ſignum etiam theſauri, circumciſionem videlicet, abrogare voluit. Mutato enim teſtamento, Ebr. 8. v. 7. Jer. 31. v. 31. Sigilla etiam mutata ſunt, dum circumciſioni baptiſmum Chriſtus novi Teſtamenti mediator ſubſtituit, Col. 2. v. 11.

Spiritualis autem Circumciſio in vigore ſuo adhuc permanet, de qua Moſes Deut. 10. v. 16. Jer. 4. v. 4. Chriſtus, Matth. 18. v. 8. & Paulus, Rom. 2. v. 28. 29. hinc pii dicuntur circumciſi, non manufactâ, ſed Chriſti circumciſione, in expoliatione corporis peccatorum ſita, Col. 2. v. 11. Atque hæc eſt illa Spiritualis circumciſio, quam ſub initium novi anni inſtituere debemus, ut puro corde, ore, oculis, auribus, manibus, pedibus, &c. Deo ſerviamus, Eph. 4. v. 22. Notetur igitur ex Evangelio prælecto

1. *Tempus.* Octavo die ſtatim circumciſus eſt puer Jeſus: ita Spiritualis circumciſio non eſt differenda, Sir. 18. v. 22. Ziporæ exemplum vos terreat, Exod. 4. v. 24. Qui tardat converti, periculum facit animæ, quia mors non tardat, inquit Bernhardus.

2. *Modus.* Puer Jeſus circumciſus eſt cultro ferreo, vel lapideo, Exod. 4. v. 25. Joſ. 5. v. 3. vide Lutheri marginalia. Nos cultrum Spiritus uſurpemus, & membratim corpus peccati circumcidamus, ut moriatur vetus & exurgat novus homo, 2. Cor. 5. v. 17. tunc laus noſtra erit ex Deo, & non ex hominibus, Rom. 2. v. 29.

3. *Effectus.* Sicut enim infantes Iſraelitarum per circumciſionem gratiam & ſalutem æternam conſequebantur: Ita nos quoque per ſpiritualem circumciſionem, id eſt, per pœnitentiam à peccatis abſolvimur, & in numerum filiorum Dei adoptamur, Ezech. 18. v. 21. ſeqq.

De Secundo.

Reſtat altera pars Evangelii, *de nominis impoſitione*, ubi tria iterum ponderanda occurrunt

I. *Nominis elegantia.* Nam vocatum eſt nomen ejus Jeſus, inquit Evangeliſta, quod eſt

1. *Nomen peculiare*, ſoli Chriſto competens. Licet enim in V. T. aliis quoque perſonis aſſignatum inveniatur, typi tamen duntaxat fuerunt Jeſuli noſtri, ſicut omnia V. T. ſacrificia, Col. 2. v. 17.

Joſua Dux populi Iſraelitici, adumbravit officium ejus regium, Eccleſiam defendendo, hoſtes vincendo, quietem & tranquillitatem comparando, ut facilis inter Joſuam & Chriſtum eſt comparatio.

Joſua Sacerdos ſummus, qui populum Judaicum ex captivitate Babylonica in patriam reduxit & templum reſtauravit, Zach. 3. v. 1. Hagg. 1. v. 1. adumbravit officium ejus ſacerdotale, cujus vi peccata noſtra obtulit ſuper lignum *ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ*, 1. Pet. 2. v. 24. & adhuc ad dextram Dei interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

Oſeas Propheta ut & Siracides, adumbrave-

braverunt officium ejus Propheticum. Eſt enim Propheta magnus, Deut. 18. v. 15. qui voluntatē Patris nobis revelavit, Joh. 1. v. 18.

Vides igitur, quod hoc nomen Chriſto competat κατ' ἐξοχὴν, Perſonis verò nominatis ſaltem typicè & figuratè. Propterea honorandum eſt tanquam nomen ſuper omne nomen, Phil. 2. v. 9. invocandum eſt, tanquam arx munita & turris refugii noſtri, Prov. 18. v. 10. quisquis enim nomen Domini Jeſu invocaverit, ſalvabitur, Rom. 10. v. 13.

2. *Nomen ſalutare.* Jeſus enim idem eſt quod Salvator, ut ipſe angelus explicat, Matth. 1. v. 21.

Omnibus eſt nomen non nominis omnibus omen, ut exempla comprobant. David filium ſuum vocabat Abſolon, id eſt, Patrem pacis, qui tamen non pacis ſed belli pater & author exiſtebat, 2. Sam. 15. v. 1. Salomo filium ſuum appellabat Rehabeam, quod idem eſt ac dilatatio populi, qui non dilatator ſed diſſipator regni poſtmodum exiſtebat, nam decem tribubus amiſſis vix duos retinebat, 1. Reg. 12. v. 16. Zachæus ſimplicem notat, qui non erat homo ſimplex, ſed nequam duplex, Luc. 19. v. 2. At puer hic Jeſus vocatur, & nomen hoc ipſo opere comprobat tàm privativè, malum avertendo, Dan. 9. v. 24. 1. Joh. 2. v. 2. 1. Theſſ. 1. v. 10. Gal. 3. v. 13. Col. 1. v. 13. Oſ. 13. v. 14. 1. Cor. 15. v. 55. quàm poſitivè, ſalutem inſtaurando, 2. Cor. 5. v. 21. Rom. 5. v. 1. Gal. 4. v. 5. 1. Cor. 1. v. 30. 2. Tim. 1. v. 10.

Reſpirate ergò perditi, venit Jeſus quærere, & ſalvum facere quod perierat, exclamat Bernhardus. Nulla eſt tam magna perturbatio, quam non mitigat nominis hujus recordatio.

Premunt te peccata: habes Jeſum qui in ſe recepit, Eſ. 53. v. 4. Inſidiatur Satanas? habes Jeſum, qui contrivit caput ſerpentis, Gen. 3. v. 15. Urget crux & calamitas? habes Jeſum, qui ipſe paſſus & tentatus eſt, ideoque juvare poteſt eos qui tentantur, Ebr. 2. v. 18.

II. *Imponentis præſtantia.* Ab Angelo enim vocatum eſt, ſcribit Lucas, & intelligit per Synecdochen generis Archangelum Gabrielem, qui Mariæ Virgini hoc in mandatis dabat, ut nomen Jeſu filio ſuo imponeret, Luc. 1. v. 31. Aliàs parentibus hoc incumbit, ut liberis ſuis nomina imponant, vide Gen. 21. v. 3. c. 29. v. 32. & 41. v. 51. ſed nomen Jeſuli noſtri de cœlo venit, & ab angelo vocatur, ut cognoſcamus, ſalutem noſtram non in terris, aut in propriis meritis quærendam, ſed à ſolo Deo expectandam eſſe, Rom. 6. v. 23. Eph. 2. v. 8.

III. *Temporis Circumſtantia*, quando nomen hoc inditum, nempe priuſquam in utero conciperetur. Ubi rurſus aliquid novi contigit, nam ante conceptionem & nativitatem aliàs in rerum natura impoſitio nominis fruſtranea eſt, ſed hîc utilis valde & ſalutaris. Videmus enim, quod hic infans non ſit vulgaris infans, ſed aliquid magni in receſſe habeat, quia profuit antequam fuit, & ante conceptionem in V. quoque T. nominis ſui efficaciam in Patribus ſalvandis demonſtravit, Act. 15. v. 11. Apoc. 13. v. 8. Ebr. 13. v. 8. Hinc tribus vicibus nomen hoc ipſi impoſitum eſt. Primò ante conceptionem, Luc. 1. v. 31. Secundò poſt conceptionem, Matt. 1. v. 21. Tertiò poſt nativitatem in circumciſione, ut teſtatur Evangelium, quia futurus erat Salvator totius mundi, cujus nativitas omnibus hominibus prodeſſe debebat, qui ante, in & poſt adventum ejus in carnem, vixerunt, & adhuc vivunt, Act. 10. v. 43. 1. Tim. 2. v. 6. Joh. 3. v. 16.

Digitized by Google

Dominica poſt Circumciſionem Domini

Evangelium Matth. 2. v. 13. uſque ad fin.

NOn immeritò Chriſtus in titulo Pſalmi 22. vocatur cerva auroræ, id eſt, ſecundum Lutheri verſionem: Ein Hinde/die früh gejagt wird. Rationem hujus appellationis habemus in hodierno Evangelio, ubi infernalis Venator per moloſſum ſuum Herodem Cervam hanc in ipſa infantia aggreditur, & perſequitur, ut in Ægyptum confugere, & ibi tam diu manere opus habuerit, dum morerentur, qui vitæ ipſius inſidiabantur.

Evangelium habet tres partes.

I. Eſt *Chriſti fuga.*

II. Herodis ira.

III. Revocationis cura.

J. J.

EXEGESIS.

ECce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti à facie ejus, ita vaticinatus eſt de fuga Chriſti in Ægyptum Eſaias c. 19. v. 1. Tunc erunt quinq; Civitates in Ægypto, pergit Propheta, v. 18. 19. loquentes linguâ Canaan & jurantes per Dominum exercituum. Civitas Solis vocabitur una. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti.

Hoc vaticinium impletum eſt in hodierno Evangelio. Per nubem indicatur feſtinatio, quia periculum erat in mora. Per quinque urbes in lingua Canaan loquentes intelliguntur fideles in Ægypto Chriſtum agnoſcentes, confitentes, invocantes, celebrantes. Per Civitatem Solis notatur Heliopolis, Urbs non procul à Cayro ad Nilum ſita, vide Dieter. ſuper hoc Evangelium pag. 141. Conveniens enim erat, ut Sol juſtitiæ in civitate Solis hoſpitium ſuum haberet. Ara in medio Ægypti eſt Chriſtus ipſe, ut vocatur Ebr. 13. v. 10.

Fuga illa deſcribitur in 1. parte prælecti Evangelii, ubi duo potiſſimum conſideranda veniunt

I. *Angeli præceptum.*

II. *Joſephi obſequium.*

Angelus ſine dubio fuit Archangelus Gabriel, qui conceptionem quoque Virgini Mariæ anteà denunciaverat, Luc. 1. v. 26. unde apparet, quod omnes Angeli ſint adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis, Ebr. 1. v. 14. & caſtra metantur in circuitu timentium Dominum, ut eripiant illos, Pſ. 34. v. 8. magis tamen eluceſcet magnitudo hujus beneficii ſi conſideremus

1. *Temporis opportunitatem*, quando Angelus Joſepho apparuerit, nempe regreſſis Magis, qui ex Oriente venerant Chriſtum adoraturi, ut v. 1. legitur. Vacuâ manu parentes Chriſti iter tam longinquum ſuſcipere non potuiſſent, erant enim pauperes ambo. Propterea Deus Magos in

Digitized by Google

Oriente excitat, qui theſauros ſuos aperiunt, & recens nato, moxque in exilium abituro infanti aurum, thus & myrrham offerunt, ut viaticum haberet, unde non ſolùm in via, verum etiam in Ægypto poſtmodum neceſſaria vitæ ſubſidia ipſi ſuppeterent. Ita fidelis eſt adhuc, & ultra vires neminem tentare ſinit, 1. Cor. 10. v. 13. Si imponit nobis onus aliquod portandum, vires etiam confert, ne ſuccumbamus, Pſ. 68. v. 20. puſillum enim & magnum fuit, & æqualiter eſt ipſi cura pro omnibus, Sap. 6. v. 8. Exemplo eſt Jacob, Gen. 28. & ſeqq. Elias, 1. Reg. 17. v. 5. c. 19. v. 6. Daniel, c. 13. v. 32. Ergò curam tuam projice in Domino Pſ. 55. v. 23.

2. *Apparitionis modalitatem*, quomodo apparuerit, nimirum in ſomno, ſicut Jacobus ſcalam vidit, Gen. 28. v. 12. aliâs quoq; in viſibili ſpecie apparuerunt Angeli, ut Gideoni, Jud. 6. v. 11. & Paſtoribus, Luc. 2. v. 9. Hodiè verò iſtiusmodi apparitiones ceſſarunt, Ebr. 1. v. 1. propterea nec petamus, nec expectemus, nec præſumamus temerè, ne à Satana decipiamur, qui ſe novit transformare in angelum lucis, 2. Cor. 11. v. 14. olim locutus eſt Deus per ſomnia, Num. 12. v. 6. nunc verò ad filium nos remittit, Matth. 17. v. 5. ad legem & ad teſtimonium, Eſa. 8. v. 20. ad Moſen & Prophetas, Luc. 16. v. ult. ideoque lectioni ſcripturarum non ſomniis jubemur attendere, 1. Tim. 4. v. 16.

3. *Mandati ſeveritatem*, quod tribus imperativis conſtat

I. *Surge*, id eſt, ſomnum excute, alias de ſalute tua actum erit. Ecce, non dormitat, neque dormit qui cuſtodit Iſrael, Pſ. 121. v. 4. exempla ſimilia vide Gen. 28. v. 12. 1. Reg. 19. v. 5. Act. 12. v. 6. Ergò Sir. 34. v. 16.

II. *Aſſume*, Nihil te moretur, omnia libenter deſere, hoc tantum age, ut puer incolumis ſervetur, in quo ſalus mundi repoſita eſt. Pari modo pro infantibus noſtris adhuc hodie curat, & per Angelos ſuos ab omni malo ipſos tuetur, ut probat exemplum Agar, Gen. 16. v. 7. 8. Iſraelitarum in Ægypto Exod. 1. v. 16. Moſis in fiſcella ſcirpea, Exod. 2. v. 3. ſeqq. imò Angeli eorum ſemper rident faciem patris cœleſtis, Matth. 18. v. 10.

III. *Fuge*, hic non eris tutus, aliam tibi monſtrabo regionem, ut gladium Herodis poſſis effugere. Vides igitur fugam eſſe licitam in perſecutione perſonali, juxta Chriſti monitum, Matth. 10. v. 23. habemus inſuper exemplum Davidis, 1. Sam. 19. v. 12. Eliæ, 1. Reg. 17. v. 5. Pauli, Act. 9. v. 25. qui enim periculum amat, peribit in eo, Sir. 3. v. 27. ſi verò perſecutio ſit communis, fugæ medium non arripiendum, ſed manendum eſt, Joh. 10. v. 12. 13.

4. *Impulſivæ gravitatem*, quam his verbis Angelus exprimit: Futurum eſt ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. En omnium hoſtium conſilia Deo cognita ſunt, nec eſt ſapientia, nec prudentia, nec conſilium contra Dominum, Prov. 21. v. 30. ille diſſipat conſilia malignorum, ne poſſint implere manus eorum, quod cœperant, Job. 5. v. 12. vide etiam Sir. 42. v. 20. Ergò confide Deo, & hoſtibus tuis occine illud Eſai. 7. v. 9.

5. *Loci qualitatem*, qui Ægyptus eſt, terra barbara & idololatrica, ut jurisdictionem Herodis declinaret, & ſimul indicaret, ſe verum eſſe Meſſiam, qui ex ſpirituali Ægypto populū ſuum liberaturus, & in cœleſtem terram promiſſionis educturus erat. Vide plures rationes in Meiſnero & Dieterico.

Notetur

Notetur Conſolatio pro omnibus Chriſti exulibus: Hîc Pater cœleſtis filio ſuo locum indicat, ubi tuto latere potuit. Confide ipſi, ſicut pro filio curavit: ita etiam curabit pro te, & perſecutionis tempore aſylum tibi monſtrabit, ubi tutus eris. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit juſtus & exaltabitur, Prov. 18. v. 10.

6. *Commorationis diuturnitatem*, nimirum dum dixero tibi, q. d. non ſemper in Ægypto eris, ego te ſuo tempore traducam in terram hanc. Omnia enim coram Deo ordinata ſunt in numero, pondere & menſura, Sapient. 11. verſ. 22. ita ejus momentum, Pſalm. 39. verſ. 6. etiamſi affligit, miſeretur tamen ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum, Thren. 3. verſ. 32. Iſraelitæ non ſemper in Ægypto, non ſemper in deſerto, non ſemper in captivitate Babylonica, omnia certis terminis definita erant, Dan. 11. verſ. 36. exilium tuum etiam aliquando finietur, quando in cœleſtem patriam transfereris ubi communionem habebis cum Patre & filio, 1. Johan. 1. verſ. 3. ibi πολίτευμα noſtrum, Philip. 3. verſ. 20.

Conſideravimus Angeli præceptum, conſiderabimus etiam *Joſephi obſequium*, quod hîc deſcribit

I. *Ratione modi.* Obtemperat enim

I. *Alacriter*, dum experrectus quam primùm è lecto ſurgit, & ſine tergiverſatione, quod in mandatis habebat exequitur. Sequamur hanc alacritatem, quando per Angelos ſuos, fideles Eccleſiæ miniſtros Deus Pater cœleſtis nos ad pœnitentiam vocat, ne cunctemur aut procraſtinemus, ſed ſtatim ſurgamus, & vocationi divinæ morem geramus, Pſal. 95. v. 8. Sirach. 5. v. 8. & 18. v. 22. & 26.

2. *Simpliciter*, abſque ulla diſputatione. Poterat replicare: quid in Ægypto agam inter homines iſtos barbaros & idololatricos. Somnium fuit, quod attendere prudentis non eſt, Sirach. 34. verſ. 2. Si puer hic filius DEI eſt, ut quidem ex Angeli relatione percepimus, Herodes certè ipſum non interficiet, fortior eſt Pater cœleſtis, & conatum illius reprimet. Sed captivat Joſephus omnem rationem, & verbis mandati angelici ſimpliciter inhæret, aſſumendo puerum & matrem ejus, ut Evangeliſta teſtatur. Idem nos quoque decet. Talis obedientia cuſtos & mater eſt omnium virtutum, ut Auguſtinus loquitur. Si igitur verbum habes, firmiter inhære, & cum Abrahamo crede contra ſpem in ſpem, planiſſimè ſciens, quæcunque promiſit DEUS, quod ea etiam facere poteſt, Roman. 4. verſ. 21. vide etiam dicta, Deuter. 12. verſ. 8. & ult. Ezech. 20. verſ. 19. & applica ad articulum de S. Cœna contra Calvinianos, qui à litera recedunt, & ſapientiam ipſam juſtificant, Matth. 11. v. 19.

II. *Ratione termini* quamdiu in Ægypto commoratus fuerit, nempe usq; ad obitum Herodis. Nam habent quoque ſua fata tyranni. Conterit tandem Deus ſceptrum exactoris, Eſa. 9. v. 4. & dicit: hucusque venies & non amplius procedes, Job. 38. v. 11. nam viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos, Pſal. 55. v. 24.

III. *Ratione ſcopi*, ut nimirum Prophetia impleretur, quæ legitur, Oſ. 11. verſ. 1. ex Ægypto vocavi filium meum. Chriſtus enim eſt ſumma totius Scripturæ, omnes Prophetæ teſtantur de ipſo, Actor. 10. verſ. 43. imò omnes promiſſiones divinæ in ipſo ſunt etiam, & in ipſo ſunt Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

De

Digitized by Google

De Secundo.

JAm alteram partem Evangelii ventilandam ſuſcipimus *de Herodis ira*, cujus hîc deſcribitur

1. *Inflammatio.* Cum enim Herodes videret, inquit Evangeliſta, quod illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde. Promiſerant quidem Magi ſe reverſuros ad Herodem, ſed divinitus admoniti, aliâ viâ poſtmodum utuntur, & rectè: Deo enim magis obediendum quàm hominibus, Act.5.v.29. Hinc Iſidorus: In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod autem Herodes inde ad iram commovetur, ipſius malitiæ potius, quàm culpæ Magorum adſcribendum eſt. Dolet enim, quod animi ſui deſiderium ipſorum morte, ceu decreverat, implere non poteſt, & inprimis relatione illorum de novo Rege Judæorum fruſtratus eſt.

Tyranni ſunt mancipia Diaboli, & ſicut ille homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, Joh. 8.v.44. ita quod vulpinâ non poſſunt leoninâ aggrediuntur, & in prima, quod ajunt, herba, eccleſiam ejusque membra, perimere ſtuden, ſibique gratulantur quaſi Deo cultum præſtiterint, Johan. 16.v.2.

2. *Operatio.* Nam

1. *Servos emittit*, qui ſine dubio fuerunt milites, turba ferox & crudelis, horum operâ in perpetrando ſuo infanticidio utitur Herodes, quod adhuc apud milites receptum eſt, dum contributiones armatâ manu colligunt, & direptis omnibus tam pecora quàm homines catervatim ſecum abducunt. Vide quid facias. Hâc in parte centurioni tuo, non obligaris ad obedientiam. Mandatum ejus impium eſt, noli parere, habes exemplum miniſtrorum Saulis, 1.Sam.22.v.17. Cæſari militiam, Chriſto innocentiam debes, quod olim Mauritius martyr Imperatori ſuo regerebat. Centurio non reſpondebit pro te in extremo judicio, ſed unusquisque pro ſe rationem reddet Deo, Rom. 14. v.12.

2. *Infantes occidit.* Quorum nota

1. *Innocentiam.* Bimuli enim erant & infra, & neq; Herodem, neq; ſervos ejus offenderant, diſcrimen inter dextram & ſiniſtram non noverant, Jon.4. v.11. nec bo-num nec malum fecerãt, Rom.9.v.11. Comparatè tamen hęc innocentia ſaltem & in ſenſu politico intelligenda eſt, reſpectu aliorum hominum, coram Deo enim innocens non eſt innocens. Ex. 34. v.7. in peccatis enim nati & concepti erant hi infantes, Pſ.51.v.7. propterea mortis rei, quæ peccati ſtipendium dicitur, Rom. 6.v.23. ad hæc parentum incredulorum ingratitudinem, præſertim in Bethlehemiticorum Civium, Mariam Chriſti matrem in ſtabulum ablegantium, in filiis viſitare Dominus voluit, Exod.20.v.5. Saluti tamen ipſorum laniena hæc nil obfuit, ſed rapti potius ita ſunt à peccatoribus, ne malitia cor eorum perverteret, aut falſa doctrina animam deciperet, Sap.4.v.11.

2. *Copiam.* Non enim tantum unum & alterum, ſed omnes pueros, nec Bethlehemitos ſolùm ſed finitimos quoque trucidare juſſit. Tutius ſcilicet fore judicabat tyrannus, bimulos & inferioris ætatis omnes truculentæ huic llanienæ mancipando, in exceſſu peccati, quàm mitius procedendo, Jeſum manibus ſuis elabi. Imò tanta fuit Herodis in hoc negotio crudelitas, ut propriis filiis non pepercerit, proinde Cæſar Auguſtus teſtre Macrobio, poſt quam hoc audivit, diſcere ſolitus eſt: Se malle potcuin Herodis

quàm filium eſſe, quod ſimulatâ ſuperſtitione porcos mactare non ſoleat.

Libido dominandi multorum ſemper malorum cauſa eſt, Exod. 1. v. 16. Jud. 9. v. 5. 2. Sam. 15. v. 10. 2. Reg. 11. v. 1. Tu cave, ne imperium dominandi libidine vel affectes, vel vi invadas, vel tyrannide occupes vel cæde conſerves.

Crede mihi bene qui latuit bene vixit, & intra.
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

3. Patriam. Nam in Bethlehem & finibus ejuſdem cædes hæc perpetrata eſt, quod adhuc hodie fieri amat. Ubi enim vera Eccleſia eſt, ubi Chriſtus in præſepio jacet, ubi verbum & Sacramenta ipſius purè adminiſtrantur, ibi perſecutio, Crux & Calamitas præſtò eſſe ſolet. Lilium inter ſpinas nota eſt Eccleſiæ, Cant. 2. v. 2.

3 Vaticinatio. Factum enim eſt, inquit Evangeliſta, ut impleretur prædictio Jeremiæ, quæ extat c. 31. v. 15. Rama eſt nomen Civitatis ſitæ in tribu Benjamin, Joſ. 18. v. 25. ponitur hîc per ἀυξησιν, ut intelligamus, tantam fuiſſe hujus ploratus & ejulatus, vocem, ut etiam in longè diſſitis locis extra Bethlehemiticos fines in tribu Bnnjamin audita fuerit. Per Rahel uxorem Jacobi, quæ in finibus Bethlemiticis olim mortua & ſepulta eſt, Gen. 35. v. 19. matres Bethlehemiticæ & in vicinia ejuſdem habitantes intelliguntur. Literaliter quidem prophetia hæc in captivitate Babylonica, ut contextus innuit, per ſimilitudinem verò hîc quoque impleta eſſe dicitur. Vide Dietericum.

Deus omnia quæ fiunt in tempore, ſecundum præſcientiam ſuam ab æterno decrevit: Imò capilli noſtri numerati ſunt, & ſine voluntate ejus nullus decidit, Matth. 10. v. 30.

De Tertio.

Reſtat pars tertia, nempe *cura revocationis*, quam probat

1 Legati autoritas. Defuncto enim Herode Angelus Joſepho apparet in Ægypto, modo quo anteà etiam apparuerat, cum fugam ipſi præciperet, nimirum in ſomno. Ubi de ſomniis dicendi anſam habebis, quæ ſunt triplicia. 1. naturalia, Eccleſ. 5. v. 1. 2. diabolica, qualia Weigeliani & Enthuſiaſtæ venditant, 3. divina, Gen. 28. v. 12. c. 31. v. 24. c. 37. v. 5. ſeqq c. 40. v. 5. c. 41. v. 1. Dan. 2. & 4. v. 10. Naturalia nihil moremur, Sir. 34. v. 1. divina non appetamus, habemus enim Moſen & Prophetas, Luc. 16. v. ult. diabolica deteſtemur, & benè provideamus ne quacunque ratione illis implicemur. Omnes enim qui faciunt hæc, abominatur Dominus, Deut, 18. v. 12.

2. Nuncii ſuavitas, quod hactenus in Ægypto parentes Chriſti magno deſiderio expectaverant. Quadruplici tamen potiſſimùm ſcatet ſolatio.

1. eſt, *dulcis in patriam reditus.* Quamdiu Chriſtus in Aegypto fuerit, ex hiſtoria Evangelica certò colligi nequit, alii ſeptem, alii ſex, alii duos tantùm annos numerant. Utut ſit, hoc evidentiſſimè conſtat, Chriſtum in Aegypto non ſemper manſiſſe. ſed revocatum ab Angelo in patriam rediiſſe. Nos per in obedientiam protoplaſtorum ex paradiſo ejecti in hoc mundo tanquam exules peregrinamur, 1. Cor. 4. v. 11. Sed eſtote bono animo: Ideò Chriſtus exul factus eſt, ut nobis reditum in cœleſtem patriam compararet, Joh. 14. v. 2.

2. *Totalis hoſtium interitus.* Nam mortui ſunt, inquit Angelus, qui animam pueri quærebant, nempe certam Deus tyrannis perſe-

perſecutionis menſuram determinat, qua impletâ, tarditatem pœnæ, vindictæ gravitate compenſat. Exempla ſunt in promptu, Exod. 14. v. 28. 2. Reg. 19. v. ult. Dan. 4. v. 30. 2. Macc. 9. v. 28.

3. *Certus refugii portus.* Cum enim Joſephus extimeſceret Archelaum, qui Patri in regno ſucceſſerat, & patrios mores induiſſe non abs re ſuſpicaretur, ecce, divino reſponſo erigitur, ut ſine ulla hæſitatione in partes Galilææ ſecederet, quod fecit etiam Joſephus, & habitavit in Civitate Nazareth. Videmus hinc κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. Bono igitur virtutũ & pietatis exemplo parentes liberis præluceant, nec incentiva præbeant vitiorum. Generationi enim juſtorum benedicetur, Pſ. 112. v. 2.

4. *Scripturæ conſenſus.* Hoc enim factum eſt, inquit Evangeliſta, ut impleretur id, quod dictum eſt per Prophetas Nazarenus vocabitur. Quinam verò Prophetæ iſti fuerint, ad quos Evangeliſta provocat, in ſpecie nuſpiam exprimitur, ut non abs re Hieronymus ſcribat: Omnes Eccleſiaſtici quærunt & non inveniunt ubi ſcriptum ſit: quoniam Nazarenus vocabitur. Sed licet non inveniatur quoad literam, invenitur tamen per bonam conſequentiam. Vocatur enim Nezar, id eſt, ſurculus ex radice Jeſſe, Eſ. 11. v. 1. Deinde etiam verus Nezar ſive Nazar eſt, id eſt, ſanctus & conſecratus Domino, ut Simſon, Jud. 13. v. 5.

Tali ſcripturarum Conſenſu Joſephus in fide ſua valdè confirmatus eſt, & exilium patienter tulit, ſicut omnes fideles ſub cruce conſolationem ex ſcripturis haurire oportet, Pſ. 119. v. 92.

In Feſto Epiphaniæ

Evangelium Matt. 2. v. 1-13.

De Japhet vaticinatus eſt olim Noah, quod habitaturus ſit in tabernaculis Sem, Gen. 9. v. 27. Hoc impleri cœpit in hodierno Evangelio. Per Sem intelliguntur Judæi. Nam ille pater eſt omnium filiorum Heber, Gen. 10. v. 21. Per Japhet intelliguntur gentes, & dicitur de illis, quod in tabernaculis Sem aliquando habitaturæ ſint, nimirum tempore Novi Teſtamenti, ubi maceries intergerina deſtructa, & gentes quoque in conſortium Eccleſiæ cooptatæ ſunt, Eph. 2. v. 14. Hinc ſine dubio Meſſias duo habet nomina, alterum hebræum, alterum græcum, ut Judæos ſimul & Græcos ad regnum ſuum pertinere demonſtraret.

Hodie primitias ex ipſius Orientis penetralibus accedere videmus juxta vaticinium Eſ. 9. v. 3. c. 60. v. 3. ſeqq.

Nos abſque ulterioribus ambagibus Evangelium ad manus ſumemus, & conſiderabimus.

I. Magorum adventationem.
II. Hieroſolymæ conſternationem.
III. Novi Regis præſentationem.

J.J.

EXEGESIS.

Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei,

quia amore langueo, inquit ſponſa Chriſti, Cant. 5. v. 8. Pari deſiderio Magi quærunt novum Regem Judæorum, cujus ſtellam in Oriente viderunt.

Notamus hic

1. *Appellationem.* Magi enim vocantur, non ut Simon Magus, Act. 8. v. 9. Sed in ſenſu Perſico, quibus Magi erant viri docti, eximii, & variis diſciplinis imbuti, præſertim Aſtronomiæ exactam habebant ſcientiam, hinc ex ſtellæ apparentis novitate novi etiam & miri aliquid contigiſſe colligunt. Pontificii Reges fuiſſe contendunt, & quidem numero tres, primo Melchioris, ſecundo Caſparis, tertio Balthaſaris nomen aſſignant. Sed ſine fundamento. Nos ſcimus quod fuerint 1. Ethnici, qui ad peculium Dei in V. T. non pertinebant, ſed per Chriſtum Judæi & gentes in unum ovile redacti ſunt, Joh. 10. v. 16. Rom. 10. v. 12. 13. 2. Philoſophi, qui ſapientiam quærebant, ut Paulus ait, 1. Cor. 1. v. 22. & nihilominus ſtulti fiunt propter Chriſtum, 1. Cor. 4. v. 10. Captivantes omnem intellectum in obſequium Chriſti, 2. Cor. 10. v. 5.

2. *Peregrinationem.* Nam ab Oriente veniunt Hieroſolymam, certa tamen urbs vel regio non ſpecificatur. Quidam ex veteribus putant Suſis ipſos veniſſe, quæ Perſiæ metropolis eſt, & ab Hieroſolymis diſtat milliaria ducenta & octodecim. Quidam ex Saba veniſſe autumant ex Pſ. 72. v. 10. Eſ. 60. v. 6. præſertim quia Eccleſia canit: Reges de Saba veniunt, aurum, thus, myrrhum offerunt. Quod ſi verum eſt, iter ducentorum eſt, iter ducentorum ſeptuaginta ſex milliarium emenſi ſunt. Unde magnum ipſorum elucet deſiderium, quod neque moleſtiæ neque impenſæ coercere potuerunt.

Sequere hos peregrinantes. O quàm multi ſunt inter nos, qui vix tot paſſibus à templo diſtant, quot hi milliaribus ab Hieroſolymis & tamen Chriſtum quærere tædet pigetque. Supina negligentia! quam Magi olim accuſabunt.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiē fugiens per ſaxa per ignes.

Sed Chriſtum nemo quærit in verbo & Sacramentis, cujus tamē poſſeſſio melior eſt omnibus opibus pretioſiſſimis, Prov. 8. v. 11. 12.

3. *Indagationem.* Nam ubi venerunt Hieroſolymas, ſollicitè inquirunt & ſubinde repetunt: ubi eſt recens natus Rex Judæorum? Hoc etiam, dilecti, noſtrum eſto ſymbolum, & cum Bernhardo quotidie ingeminemus:

Quocunque loco fuero,
Jeſum meum deſidero,
Quàm lætus cum invenero,
Quàm felix cum tenuero.

Si templum ingrederis, cogita & dic in corde tuo: ubi eſt novus Rex Judæorum? veni ut audiam eum, & verba ejus memori corde reponam. Si confeſſionarium accedis, rurſum cogita: ubi eſt novus Rex Judæorum? veni ut remiſſionē peccatorum ab ipſo impetrem. Si menſam Domini accedis, quære cum Magis: ubi eſt novus Rex Judæorum, veni ut pignus ſalutis meæ ſalvificum, ipſius corpus ſub pane, & ſanguinem ſub vino accipiam. Si pericula incurris, & à cunctis hominibus deſeretis, quærendo inſta: ubi eſt novus Rex Judæorum? veni, ut afflictionem meum ipſi aperiam, ejuſque auxilium unicè implorem. Hanc indagationem inſtitue, dum adhuc propè eſt Dominus, Eſa. 55. v. 6. & ſtellam verbi tibi lucere ſinit, ne poſteà cum Antiocho quæras & non invenias, 2. Macc. 9. v. 13.

4. *Annexam rationem*, quæ duplex

1. Stella

1. ***Stellæ apparitio.*** Nam vidimus ſtellam ejus, inquiunt, in Oriente. De hac ſtella variæ ſunt opiniones. Auguſtinus & Theophylactus putant fuiſſe Angelum, qui in figura Cometæ apparuerit, Apoc. 1. v.20. Pſ. 104.v.4. Exod. 13. v.21. Sed quia diſertè ab Evangeliſta aliquoties ſtella appellatur, nos quoque ſimplicitati verborum inhæremus. Non tamen fuit ſtella vulgaris, ſed nova & inconſueta, quam Deus condidit, ut Evangeliſta eſſet divini partus, teſte Iſidoro, quod inter alia motus etiam docet. Non enim ab Oriente in Occidentem, ſed ab Hieroſolyma in Bethlehem, & ita à Septentrione in Meridiem ferebatur. Vide Dietericum.

Si ſtellam verbi ſui Deus tibi oriri ſinit, radios ejus noli contemnere, ſed ſurge ſtatim & ambula in luce, dum lucem habes, ne tenebræ te obruant, Joh. 12.v.35.

2. *Reverentiæ exhibitio.* Nam venimus, inquiunt, ut adoremus eum. Ecce Magi tam longinquum iter ſuſcipiunt, ut Chriſto Judæorum Regi debitum honorem exhiberi poſſint: Nos in omni loco Chriſtum habemus propinquum, non enim longè eſt ab uno quoque noſtrûm, in ipſo ſiquidem vivimus, & movemur, & ſumus, Act. 17. v. 28. & tamen non adoramus ſed blaſphemamus quotidie. Hoc certè non impunè feremus, Ezech.39.v.7.

De Secundo.

Jam ſequitur *Hieroſolymæ conſternatio.* Gaudere debebat totus mundus, & imprimis Hieroſolyma, ob Regis hujus nativitatem, cujus ſalutaris gratia omnibus apparuerat, Tit.2.v.11. Sed ecce contrarium audimus. Dum enim Magi de novo Rege Judæorum quæſtionem movent Hieroſolymis, movent ſimul totam Civitatem. Conturbatur Rex, conturbatur grex. Regem quod attinet, prodit ille conturbationem ſuam:

1. *Curioſâ percunctatione.* Convocatis enim Principibus & Scribis, qui ſumma fuerunt miniſterii Eccleſiaſtici capita, ſtudiosè ſciſcitabatur, ubi Chriſtus naſci deberet.

Herodes aliàs Pontificum & Scribarum hoſtis erat infenſiſſimus, quos non ſolùm averſabatur, ſed etiam perſequebatur, & principaliores ex ipſis jam tum interfecerat. Jam verò ubi neceſſitas urget, reliquos convocat, & operâ eorum utitur. Idem Mundus adhuc in uſu habet. Paſtores nihili facit, ipſorum admonitiones aſpernatur, ſunt mera περιψήματα καὶ καθάρματα, 1. Corinth.4. v.13. ut docet hiſtoria Ahabi, 1.Reg.22. v.8. Eliſæi, 2.Reg.2. verſ.23. Jeroboami, 1.Reg.13.v.4. Sed quando decumbunt, aut cum tentationibus luctantur, da ſind die Pfaffen gut genug / tunc vocantur, tunc amantur, ut claves cœli afferant, & deceſſuræ animulæ portam paradiſi aperiant. Sed cave, ut mundi hac in parte ingenium ſequaris. Nam qui me contemnit tempore gratiæ, rurſum contemnitur tempore anguſtiæ, 1.Sam 2.v.30.

2. *Clandeſtinâ Magorum convocatione.* Non patitur Magos diu inter vulgus verſari, ſed ad ſe vocat, & in ſecreto ſciſcitatur, quando ſtella exorta ſit. Hinc apparet tyrannos in perpetuo metu verſari. Non enim eſt pax impiis, Eſa. 57. v. 21. Sonitus terroris ſemper in auribus illorum, & cum Pax ſit inſidias ſuſpicantur, Job. 15. v. 21.

Dionyſius Syracuſanorum tyrannus tonſoribus barbam ſuam non commiſit, ſed filias ſuas tondere docuit, & poſtquam adultæ ætati appropinquabant, manibus ipſarum ferrum quoque non auſus eſt committere, ſed candentium juglandium putamini-

E 3 bus

bus barbam ſimul & capillum aduri juſſit, ut Valerius Maximus teſtatur. Caveant igitur Principes & Dynaſtæ tyrannidem, ut habeant bonam conſcientiam, & in ſubditorum ſinu abſque metu indormire poſſint, ut Eberhardus Dux Würtenbergicus. Qualis idea boni Principis etiam Iobus fuit ſuo tempore, Iob.29.v.12.

3. *Subdolâ inſidiatione.* Nam dimittit eos, dicens: Exquirite diligenter ſuper puero, cumque inveneritis, nunciate mihi, ut & ego veniam & adorem eum. Sed rectè Hieronymus: Devotionem promittit, & gladium acuit, malitiam cordis depingens colore humilitatis. En veram & vivam imaginem omnium hypocritarum, tam in Eccleſiaſtica congregatione, ubi multi ore appropinquant, ſed corde longè ſunt, Eſ.29. v.13. quam in politica converſatione, dum plerique ex amicis etiam mel in ore & fel in corde gerunt, de quibus Sirach. c.19. v.22. ſeqq. ſed doloſos abominatur Dominus Pſ. 5.v.7.

Deinde conturbatur etiam *Grex*. Quo nomine veniunt

I. *Clerici*, de quibus tria Evangeliſta memorat. Nam

1. *Vocati concurrunt.* Herodes erat Rex Ethnicus cui parere coguntur. Nam ſceptrum de Iuda ablatum erat, unde ſine ulteriori ſcripturarum evolutione colligere debebant, Meſſiam veniſſe, Gen 49.v.10.

2. *Scripturas evolvunt.* Nihil de traditionibus vel ſcriptis Patrum. Unica ſcriptura norma eſſe debet omnium Conciliorum. Væ qui deſcenditis in Aegyptum, ſcilicet ad ſeculares ſcientias, & os Domini non interrogatis, ſcilicet Sacram Scripturam, inquit Eſaias c.31.v.1. Scriptura eſt fundamentum & columna fidei noſtræ, ut Irenæus loquitur, ad quam in quæſtionibus dubiis remittimur, Eſa.8.v.20. Ioh.5.v.46. Luc. 16.v.31.

3. *Veritatem eruunt*, & ex Mich.5.v.2. locum indicant, ubi Meſſias naſciturus erat, nempe in Bethlehem Iudææ. Ita Magis locum nativitatis monſtrant, & tamen cum ipſis Chriſtum non quærunt, multò minus inveniunt. Tales ſunt paſtores Eccleſiarum bene docentes & malè viventes, Rom. 2.v.19. ſeqq. Sed pœnam eò graviorem merentur. Qui enim ſcit bonum facere, & non facit, ἁμαρτία αὐτῷ ἐστιν, inquit Iacobus c. 4.v.17.

II. *Laici*, de quibus duo inprimis Lucas commemorat, quæ ipſis non laudem, ſed maximam apud omnem poſteritatem ignominiam pariunt. Nam

1. *Bellum metuunt.* Novus Rex, cogitant, nova lex, & novum bellum, memores cladium antiquarum, quas in occupando regno ab Herode perpeſſi fuerunt, atque ita tranquillitatem domeſticam ſaluti æternæ præferunt. Quo ipſo typum exhibent eorum, qui agnoſcunt quidem doctrinam Evangelii eſſe veram, ſed metuunt pericula & perſecutiones, quæ Evangelium comitantur. Hos Paulus vocat inimicos Crucis Chriſti, & æternam ipſis damnationem annunciat, Phil.3.v.18.19.

2. *Chriſtum reſpuunt.* Talem Meſſiam non cupiunt, qui in ſtabulo jacet pauper & egenus, ſed potentem Dynaſtam & mundanum aliquem Principem, qui polleat virtute, & exercitu benè inſtructo à jugo Romano ipſos vindicare poſſit. Sed nondum venit, & nunquam veniet. Regnum enim Meſſiæ non eſt de hoc mundo, Johan. 18. v.36.

De

De Tertio.

RESTAT pars ultima, *de Novi Regis præſentatione*, ubi notat Evangeliſta Magorum

I. *Digreſſionem*, nam cum audiviſſent Regem, inquit, profecti ſunt, nimirum diutius Hieroſolymis commorari noluerunt, quia nemo ibi erat, qui Regis hujus novi curam aliquam præ ſe ferret, proinde rurſus ſe accingunt, & ulterius pergunt ad locum à Scribis & Pontificibus ſibi indicatum, ut deſiderii ſui ſcopum tandem aliquando attingant.

Digreſſionem illam excipit ſtella, quæ hactenus aliquandiu, ut videtur, diſparuerat, & valde exhilarat Magos

1. *Ortu*. Nam poſtquam egrediuntur portam, ecce ſtella, quam in Oriente viderant, ſe rurſum offert conſpiciendam, quâ viſâ, in fide ſuâ mirificè confirmantur, & ab omni ſcrupulo, quem hactenus Diabolus ipſis injecerat, penitus liberantur.

Hoc tibi in ſolatium applica, quando ſub cruce facula fidei tuæ, concutitur, aut ſtella verbi cœleſtis per nebulas tentationis obtenebratur. Perge conſtanter in via pietatis, & Chriſtum quærere ne ceſſa, reparebit ſtella ſuo tempore, & omnes cordis tui ærumnas diſſipabit, teſte Davide. Pſ. 97.v.11.Pſ.112.v.4.exemplo eſt Job.c.1. & 42.v.11. Tobias, c.13.v.1.Sara, Tob.3.v.21.

2. *Motu*. Nam præcedebat ipſos, & Ducem quaſi itineris ſe præbebat, locum & domum commonſtrans, ubi Maria erat cum puero. Idem facit ſtella verbi divini. Proinde ſequamur cum Magis ipſius ductum, & non decipiemur, 2. Pet.1.v.19. Traditiones & decreta Pontificum ſunt quaſi ignis fatuus, qui viatores ludificat & in præcipitium agit. Sine mendacio conſummabitur verbum legis, & ſapientia in ore fidelis complanabitur, inquit Sirach c. 34. v.8.

3. *Statu*. Nam ſtetit ſuper domum in qua puer eſt, & eo ipſo Magis indicat, quòd in hac domo novus Rex Judæorum inveniatur. Sic ſtella verbi divini ſtat, ubi Chriſtus eſt, & non amplius pergit ad reliquias, merita & interceſſiones Sanctorum. Nam unus eſt Mediator inter Deum & homines, Homo Chriſtus Jeſus, 1. Tim.2.v.5. & non eſt in alio quoquam ſalus, Act.4.v.12.

II. *Ingreſſionem*, ubi tria conſideranda ſunt, nam

1. *Quæſitum* inveniunt, juxta promiſſionem Deut.4.v.29.

2. *In genua procidunt*, & non tantùm civiliter adorant, ut Calviniani putant, ſed etiam religiosè unâ adoratione Deum & hominem venerantur, quod & nobis incumbit. Qui enim non adorat crucifixum, anathema ſit, & Dei annumeretur Crucifixoribus, inquit Nazianzenus. Imò hoc ipſum valde urget παῤῥησίαν noſtram, quando perſuaſum habemus, cum quem adoramus, non eſſe tantum verum Deum, apud quem nihil impoſſibile, Luc. 1.v.37. Sed etiam verum hominem, & ita fratrem noſtrum, cujus viſcera conturbantur ſuper nos, ut miſericordiam ſuam nobis denegare non poſſit, Jer.31.v.20.vide etiam Ebr.4.v.15.16.

3. *Munera offerunt*, quæ ſunt

1. *Eucharistica*, quibus gratum ſuum erga Chriſtum animum declarare voluerunt, ut in orientalibus regionibus more receptum fuit. Exempla vide Gen.43.v.11.1. Sam.10.v.27.1. Reg.10.v.2. Deus Pater cœleſtis nos quoque, qui olim ſine Chriſto eramus, Eph.2.v.12.per lucem Evangelii ad præ-

præſepe Filii ſui deduxit. Offeramus ipſi munera, nimirum vitulos labiorum noſtrorum, Oſe. 14.v.3. quod placebit Deo ſuper vitulum novellum cornua producentem & ungulas, Pſ. 69.v.32. Deinde hoc modo etiam gratitudinem noſtram declarare debemus, ut de bonis noſtris ad cultum divinum & ſuſtentationem pauperum aliquid erogemus, Prov.3.v.9. Gal. 6.v.6. Eſa. 58.v.7. Matth.25.v.42.

2. *Myſtica.* Nam

Aurum, thus, myrrham Regique Deoq́; hominiq́,

Dona ferunt, ut Poeta canit.

Per aurum notatur fides, 1. Pet.1.v.7.

1. *Propter pretioſitatem*, nam oculi Dei reſpiciunt fidem, Jer.5.v.3.

2. *Propter durabilitatem*, quia ſub cruce non labaſcit, Job.13.v.15.

3. *Propter ſoliditatem*, Pii enim in fide radicati ſunt, Col.1.v.23.

4. *Propter virtuoſitatem*, eſt enim robur animæ noſtræ, Rom.10.v.11.

Per thus notantur preces, Apoc. 5.v.8. quia verò externi thuris odor non placet Deo, niſi ei conjunctus ſit orationis ardor, Jer. 6.v.20. videamus ut ex corde contrito preces noſtras offeramus, Pſal.51.v.19.

Per myrrham præfiguratur Carnis mortificatio, Gal. 5.v. 24. ſicut enim corpus Chriſti in ſepulchro myrrha unctum fuit, quò etiam inprimis Magi, juxta veteres, oblatione hujus reſpexerunt. Ita nos quoque cum Chriſto mori oportet, Rom.6.v.4.

III. *Regreſſionem.* Ubi notamus

1. *Divinam Providentiam.* Nam in ſomno acceperunt reſponſum ne reflecterent ad Herodem. Ita Deus excubat ſuper fidelibus ſuis ne tyrannorum inſidiis illaquerentur, nobis etiam nec cogitantibus nec petentibus, Pſ.121.v.41. Jer.31.v.28.

2. *Viatorum Prudentiam.* Nam aliam viam arripiunt. Unde pulchram allegoriam quidam ex Patribus nectere ſolent. Oportebat enim, inquit Leo, urjam in Chriſtum credentes, non per antiquæ converſationis ſemitas ambularent, ſed novam ingreſſi viam à relictis erroribus abſtinerent. Tu fac ſimiliter. Veniſti per viam fornicationis, ambula de cætero viam caſtitatis, veniſti per viam avaritiæ, ambula de cætero viam beneficentiæ, &c. Sunt verba Chryſoſtomi. Nam qui poſt converſionem ad immundi mundi volutabra revertitur, porcis ſimilis eſt, 2.Pet.2.v.20.21.22.

3. *Termini evidentiam*, quorſum regreſſi ſint, nempe in regionem ſuam. Quis igitur credet ipſos Coloniæ ſepultos eſſe? Mera certè fabula eſt. In regionem ſuam reverſi ſunt, inquit Evangeliſta. Nos etiam in mundo peregrinamur, videre ne hæreamus, ſed cum Monica evolemus ad regionem, quæ nobis in cœlo parata eſt, Phil.3. v.20.

Dominica I. poſt Epiphaniam

Evangelium Luc.2.v.41.ad fin.

HAgg.2.v.10. de ſecundo templo à Zorobabel extructo prædictum fuit, quod illius gloria major ſit futura, quàm vel tabernaculi Moſaici, vel templi Salomonæi, quod utrumque tamen gloria Domini inſtar nubis implevit, Ex. 40.v.34. 1.Reg.

1. Reg. 8. v. 10. Rationem exponit ipſe Propheta, v. 8. & repetit Mal. c.3.v.1. quod ad ſecundum illud templum Meſſias in propria perſona venturus, & longè magis quàm prius templum ſuâ prædicatione & miraculorum operatione glorificaturus ſit. Hoc impletum eſt in hodierno Evangelio, ubi Chriſtus anno ætatis ſuæ duodecimo in templo Hieroſolymitano audiendo & interrogando doctiſſimorum Rabbinorum oculos in ſe convertiſſe, & divinæ ſuæ *ſapientiæ* ſpecimen vulgare ediſſe legitur.

Nos partiemur Evangelium in tria membra principaliora. Quorum

I. Eſt *CHRISTI amiſſio.*
II. *Amiſſi inventio.*
III. *Inventi ſubjectio.*

J. J.

EXEGESIS.

CRux & calamitas pietatis Comes eſt individuus, ut Siracides teſtatur cap. 2. verſ. 1. & Paulus, 2. Tim. 3. v. 12. Exempla ſunt parentes Chriſti, qui cultui divino vacantes Chriſtum amittunt. Deſcribitur ergò hîc

I. *Occaſio*, quæ eſt parentum Chriſti religioſitas, cujus ardorem ſingularem declarabant quotannis

1. *Sacra frequentando.* In V. T. Deus tria feſta ſolennia, Paſchatos, Pentecoſtes & tabernaculorum, eo loco, quem ipſe elegerat, Hieroſolymis ſcilicet, omnibus maſculis quotannis viſitanda præceperat, cumprimis verò paſchatos feſtum, Levit. 23. v. 5. ſeqq. Deut. 16. v. 1. ſeqq. Exod. 23. v. 17. In ea peregrinatione viris ſeſe devotæ fœminæ ſponte conjugebant, ut exemplum Mariæ comprobat in præſenti Evangelio. Nos imitemur, & congreſſus Eccleſiaſticos libenter viſitemus. Nam Eccleſia domus Dei eſt, Eſa. 56. verſ. 7. ædificata in hunc finem, ut aſcendant tribus Domini ad confitendum nomini Domini, Pſ. 122. verſ. 4. ibi ſonant verba vitæ, Joh. 6. v. 68. in quibus ſalvi erunt omnes qui audiant, & univerſa domus eorum, Act. 11. v. 14.

2. *Devote perſeverando.* Secus faciunt, qui vix prima templi limina veluti canis Nilum aut culinam ſalutant, & mox ſub exordium aut medium Concionis ſe ſubducunt, vel ſi maximè finem concionis expectent, preces tamen & benedictionem ſacerdotalem floccipendentes quaſi aſtro perciti domum feſtinant. In hos quadrat illud Davidis Pſ. 109. v. 17.

3. *Ieſulum apportando.* Erat puer annorum duodecim. Hieroſolymæ autem diſtabant ab oppido Nazareth, ut quidam computant, milliaria viginti, nihilominus ipſum ſecum deducunt, & hanc itineris moleſtiam æquo animo ex ſancta erga Deum obedientia ſuſcipiunt. Hortantur nos ſuo exemplo, ſi liberorum noſtrorum ſaluti proſpectum velimus, ut ſtatim à primis incunabulis illos ad religionis & pietatis exercitia aſſuefaciamus, juxta præceptum Domini, Deut. 6. v. 20. Eph. 6. v. 4. Cor hominis à pueritia pravum eſt, Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21. ideo cum lacte materno pietas liberis inſtillanda, ut ita per virgam correctionis malitia iſta de die in diem eradicetur, quod fecit Abraham, Gen. 18. verſ. 19. Tobias ſenior, Tob. 4. v. 2. Hanna mater Samuelis, 1. Sam. 1. v. 28.

II. *Chriſti remanſio.* Cujus Cauſæ ſunt

1. *Parentum negligentia.* Ignorabant enim & putabant ipſum forſitan eſſe inter cognatos, vel inter notos, vel in comitatu. Cavenda nobis iſta negligentia, liberi enim

Digitized by Google

Dei donum ſunt, Pſ.127.v.3. & proinde cura ipſorum ante omnia haberi debet, ne tangat nos etiam Chriſti cominatio, Matth.18.v.6.

2. *Divina providentia,* (quæ latenter ipſum parentibus inſciis Hieroſolymis remanere voluit, ne iſti fortaſſis diſputationi cum legisperitis peragendæ impedimento eſſent. Propterea liberi hoc non trahant in exemplum, fuit enim aliquid ſingulare, ſed agant cum voluntate & conſenſu parentum ſuorum, quicquid agunt, juxta 4. præceptum, Exod.20.v.12. Eph.6.v.2.

III. *Parentum Chriſti afflictio.* Poſtquam enim vident puerum non eſſe inter cognatos & amicos, dolore & perturbatione animi non exigua percelluntur, quâ gravis illa calamitas inprimis præfiguratur, quando in ſpiritualibus tentationibus Chriſtus videtur amiſſus, ut Job. c.6.v.4.c.10.v.16. David, Pſ.18.v.6. Pſ.77.v.3. & 88.v.4. experti ſunt. Sed cooperatur in bonum diligentibus Deum, Rom.8.v.28. & eſt

1. *Securitatis medicamentum*, ut cum tremore & timore ſemper in oratione perſeverent, & cum Eccleſia quotidie ingemiſcant: Führ uns Herr in Verſuchung nicht/ ꝛc.

Vide Pſ.30.v.7. ſeqq. Ergò qui ſtat videat ne cadat, 1.Cor.10.v.12.

2. *Pietatis incitamentum.* Quando enim Deus Ter Opt. Maximus nos ita ducit in infernum, & iræ ſuæ vehementiam ſentire facit, tunc eò melius cognoſcere poſſumus, quid Chriſtus præſtiterit, quando nos ex inferno redemit, ne relabamur per impœnitentiam, unde nos Chriſtus eduxit per ſuæ paſſionis ſufficientiam. Nam vexatio dat intellectum, Eſa.28.v.19.

3. *Impiorum terriculamentum.* Si enim judicium in domo Dei incipit, quis finis eorum, qui non credunt Evangelio Dei, inquit Petrus 1.c.4.v.17.

IV. *Triduana inquiſitio.* Nam hinc inde diſcurrunt Parentes Chriſti, & primò in comitatu ipſum quærunt, poſteà revertuntur Hieroſolymas, & apud cognatos & notos animi ſui perturbationem exonerant.

Si Vos quoque, Dilecti, Chriſtum amiſiſtis vel effectivè per impœnitentiam, vel privativè per tentationis vehementiam, quærite ipſum cum parentibus ejus

1. *Ferventer.* Aperite quod vos cruciat, amicis, nec clàm concoquite, væ enim ſoli, Eccl.4.v.10. vox amici, vox Dei, Prov.16.v.24. inprimis templum frequentate, & Chriſtum in verbo ſuo diligenter quærite, Joh.5.v.39. Exod.20.v.24. ibi pendent mille clypei, & omnis armatura fortium, Cant 4.v.4. quam Paulus enumerat, Eph.6.v.13.

2. *Dolenter*, precibus nimirum & lachrymis. Fecit hoc David, Pſ.6.v.4. ſeqq.18.v.7.77.v.4. Hiskias, Eſ.38.v.14.&20. Jonas in ventre ceti, c.2.v.3. ſeqq. Paulus, 2.Cor.12.v.7. nam propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum, &c. Pſ.145.v.18.

3. *Indeſinenter.* Joſeph & Maria per triduum diſcurrunt, & non ceſſant dum Chriſtum inveniunt. Ita vos, quando moram facit Dominus, expectate illum, veniens veniet & non tardabit, Hab.2.v.3. indeſinenter orate, inquit Paulus Eph.6.v.18. inſtar Jacobi, Gen.32.v.26. & Cananææ, Matt.15.v.24. & viduæ afflictæ, Luc.18.v.5. hinc Eccleſia:

Und ob es währt biß in die Nacht / ꝛc.

& iterum:

Ob ſichs anließ/ als wolt er nicht/ ꝛc.

De Secundo.

Sequitur pars altera de Jeſuli inventione, ubi notanda venit

1. *Loci ſpecificatio,* ubi ſit inventus, nimirum in templo. Si igitur Chriſtum invenire velis,

velis, non inter cognatos & amicos Dei, id eſt, inter ſanctos aut ſanctorum imagines, ſepulchra, reliquias, &c. more Pontificiorum quærendus eſt; non etiam quærendus eſt inter comeſſantes & compotantes, in cauponis & lupanaribus, ſed in templo, ubi verbum ejus purè docetur, & Sacramenta juxta ipſius inſtitutionem & tenorem adminiſtrantur, ibi ſedet in medio, Matt. 18. v. 20. nam qui vos audit, me audit, inquit ad diſcipulos, Luc. 10. v. 16.

2. *Operis tractatio.* Nam ſedit in medio Doctorum, inquit Evangeliſta, audivit & interrogavit eos. Quo pacto radios divinæ ſuæ ſapientiæ exercet, & pueris ſimul omnibus exemplum præbere voluit, quod ſcholas & templa amare & intrare, non præterire debeant. Qui enim diligit diſciplinam, diligit ſcientiam, ſed qui odit increpationes, inſipiens eſt; Prov. 12. v. 1. Sequantur igitur diſcipuli hoc exemplum Chriſti

1. *Attentè auſcultando.* Si Præceptores aliquid docent & proponunt, non ſedeant ut ſtipites & trunci, ſed auſcultent, obſervent, ruminent. Hoc eſt principium ſapientiæ, Prov. 4. v. 7.

2. *Doctè interrogando*, quando nimirum aliquid audiunt, quod non ſtatim percipere poſſunt, interogare debent Præceptores ſuos, quinam ſit horum vel illorum ſenſus.

Nam: *Sæpe rogare, rogata tenere, retenta docere,*
Hæc tria diſcipulum faciunt ſuperare Magiſtrum.

Exemplum habes in Apoſtolis Luc. 8. v. 9. in Eunucho, Act. 8. v. 31. &c.

3. *Nervosè reſpondendo*, quando ſcilicet ſolida ſcientiarum fundamenta jecerunt, non ſemper in audientium & diſcentium ſubſelliis hærere, ſed diſputatoriam Cathedram etiam conſcendere debent. Ita cum Chriſto proficient ſapientia, & ſtudiorum metam laudabiliter aſſequentur. Nam manus ſedula & laborioſa tandem dominabitur, Prov. 12. v. 24.

3. *Mariæ expoſtulatio*, cujus formalia recitat Luc. 4. v. 8. quam enim nihil quicquam à Chriſto peccatum erat, tamen Maria officium piæ & fidelis matris præſtare voluit, & hoc ipſo exemplum dedit omnibus parentibus, ne plus juſto liberis indulgeant, ſed ἐν παιδείᾳ, in diſciplina & caſtigatione educent, Eph. 6. v. 4. Caſtiga filium, dum emendationis ſpes eſt, inquit Salomo. Prov. 19. v. 18. & Sirach c. 30. v. 12. flecte cervicem ejus à teneris, vide etiam cap. 7. v. 25. Prov. 22. v. 15. c. 23. v. 13. 14. nam

Blanda Patrum ſegnes facit indulgentia natos.

ut exemplum Eli teſtatur, 1. Sam. 3. & 4.

4. *Chriſti excuſatio*, quæ eſt

1. *Duriuſcula.* Nam quid eſt, inquit, quod quæſiviſtis me? an neſcitis quod oporteat me eſſe in his quæ ſunt Patris mei? Factum igitur hoc ſpeciale degeneres filii in exemplum trahere non poſſunt nec debent. Nam Chriſtus fuit Deus & homo. Juxta humanitatem ἀπάτωρ, juxta divinitatem ἀμήτωρ, Ebr. 7. v. 3. Ergò parentum ſuorum non tantùm filius ſed etiam Dominus exiſtebat. Secus filii naturales, & proinde ſibi dictum putent omnes illud Sir. 3. v. 9. ſi maledictionem vitare volent Prov. 20. v. 20. Deut. 27. v. 16. Exod. 21. v. 15.

2. *Congrua.* Quia enim duplicem vocationem habebat: alteram inferiorem, ſecundum quam eſſe voluit in his quæ matris terrenæ erant, parentibusque obedire, alteram ſuperiorem, quâ eſſe voluit in his, quæ Patris cœleſtis erant, officiumque propheticum,

Digitized by Google

ad quod miſſus erat in mundum, publicè docendo & miracula edendo adminiſtrare, non immeritò reſpondet, ſe oportere in his eſſe quæ ſunt Patris ſui. Idem obſervent liberi terreſtres, ut obediant parentibus ſuis, ſed usque ad aras. Amandus enim generator, ſed præponendus Creator, inquit Auguſtinus. Et magis obediendum Deo quàm hominibus, Act.5.v.29.

3. *Ardua.* Nam parentes Chriſti verbum hoc non intelligebant, inquit Evangeliſta. Talia multa inveniuntur in ſcripturis, quæ captum noſtrum tranſcendunt. Nam naturalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. interim cum Maria conſervemus in corde, à litera clara non recedamus, tunc propter ignorantiam illam non repudiabit nos Chriſtus, ſed patienter tolerabit, ſicut Apoſtolos, qui ſtatum regni ſui etiam capere non poterant. Nam calamum quaſſatum non conterit, & linum fumigans non extinguit, Eſai.42.v.3.

De Tertio.

Reſtat ut dicamus aliquid *de Chriſti Subjectione*, quæ fuit.

1. *Singularis.* Nam Dei filius erat, & ſponte ſe hominibus ſubjecit, quem angeli ut Dominum honorabant, parentibus obediens factus eſt, nimirum exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, Phil.2.v.7.

2. *Exemplaris*, quam omnes liberi imitati debent, juxta quartum præceptum & dicta Scripturæ, Eph. 6. v.1. Col.3.v.20.Sir.3. v.7. qui contra faciunt, maledictionem promerentur, Deut.27.v.16.Exod.21.v.15.

3. *Salutaris.* Nam propter hanc obedientiam parentibus præſtitam crevit

1. *Sapientia.* Quomodo Chriſtus ſapientiâ creverit bifariam à Doctoribus explicatur. Quidam de ſapientia habituali, quæ animæ rationalis propria eſt, intelligunt. Hæc enim ſicut in alio homine ſancto, ſuos quoque in Chriſto progreſſus habuit. Quidam verò ad ſtatum exinanitionis referunt, & dicunt, fuiſſe quidem in Chriſto abſconditos omnes theſauros ſapientiæ à primo conceptionis momento. Col. 2. v. 3. ſed ut pro ambitione protoplaſtorum ſatisfaceret, qui ſua perfecta ſapientia abuſi, voluerunt eſſe ſicut Elohim, Gen. 3. v. 5. noluiſſe ipſum plenariè exerere ſuam ſapientiam, ut potuiſſet, & in templo ſpecimen dederat; ſed occultaſſe & plenario ſapientiæ uſu ſe ſponte abdicâſſe. Hinc civiſſe dicitur ſapientiâ humano more, quia paulatim magis & magis per humanitatem, tanquam per organum ſibi appropriatum ſapientia divina ſuam ἐνέργειαν exeruit, ut loquitur Athanaſius.

2. *Robore & potentia.* Potuiſſet ſe ſtatim in perfecta ſtatura ſiſtere, ut quidem Adam & Eva conditi ſunt à Deo; ſed voluit more aliorum hominum in utero matris concipi, naſci, & creſcere etiam, ut omnem ætatem, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes, & ſeniores per illam ſimilitudinem ſanctificaret, ut Irenæus notavit.

3. *Gratiâ* & benevolentiâ,

1. *In Polo.* Hinc dicitur unicus homo in gratia, Rom. 5.v.15. & habetur hâc phraſi reſpectus ad typum Simſonis, Jud.13.v.24. ſenſus ergò eſt, quod Deus hunc puerum impleverit ſingularibus Spiritus S. donis, quæ progreſſu temporis in ipſo fuerint aucta. Nam Spiritus S. requievit ſuper ipſo, Eſa. 11. v.1. & quandoque exterius juxta typum Simſonis ſpecimen aliquod produxit, præſertim in miraculis, Joh. 2.v.11.

2. In

2. *In Solo.* Nam propter illam gratiæ divinæ ubertatem, quæ in Chriſto habitabat, gratiam quoque apud homines conſecutus, & indies gratioſior acceptiorque redditus eſt, quia ex tyrociniis ab ipſo editis plus eum quàm vulgarem eſſe hominem quilibet animadvertere poterat, hinc etiam plenus gratiâ dicitur, Joh. 1.v.14.

Vultis igitur parentes, ut creſcant liberi veſtri non ſolùm ætate, ſed etiam ſapientiâ & gratiâ apud Deum & homines, educate ipſos in timore Domini, quæ ſapientiæ initium eſt, Pſ.111. v.10. ablegate eos in templum, cumprimis ad audiendas Conciones Catecheticas, quæ potiſſimum in commodum juventutis inſtituuntur, & cum lacte materno, quantum fieri poteſt pietatem ipſis inſtillate, quæ promiſſionem habet hujus & futuræ vitæ, 1.Tim.4.v.8. tunc certè Pater cœleſtis, Deus erit veſter & ſeminis veſtri, ut Abrahamo promiſit, Gen.17.v.7.

Dominica II. poſt Epiphaniam.

Evangelium Joh.2.v.1-12.

POſteriori Reg. 2.v.19. Viri civitatis Jericho ita alloquuntur Eliſæum: Ecce habitatio civitatis hujus optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis, ſed aquæ peſſimæ, ſunt, & terra ſterilis. Ille juber afferri phialam novam cum ſale, & egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors neque ſterilitas. Sanatæ ergò ſunt aquæ, usque in hanc diem, juxta verbum Eliſæi quod locutus eſt.

Conjugium, dilecti, Civitati Jericho non ineptè comparatur. Nam jucundum eſt in hoc ſtatu vivere, ſed aqua crucis amara querelam interdum & lamentationem cauſat apud conjuges- hæc enim carni non ſapit. Proinde ad cœleſtem Eliſæum Chriſtum Jeſum confugiendum eſt, qui ſale conſolationis aquas haſce dulcorare poteſt, ut comprobavit in hodierno Evangelio, quod in tres partes dividimus, deſcribitur enim

I. Nuptialis feſtivitas.

II. Suborta calamitas.

III. Chriſti opitulantis benignitas.

J.J.

EXEGESIS.

DUæ ſunt nuptiæ maximè illuſtres: Priores in Paradiſo Deus ipſe celebravit, cum Adamum & Evam copularet, nam ut Poeta canit:

Pro thalamo paradiſus erat, mundusque dabatur in dotem.

Poſteriores celebratæ ſunt in Cana Galilææ, quas Chriſtus ipſe præſentia & primo ſuo miraculo decoravit. Notatur autem in Evangelio prælecto

1. *Tempus*, quando factæ ſint illæ nuptiæ, nimirum die tertio. Quinam ſit ille tertius dies exactè non conſtat. Si tamen harmoniam Evangeliſtarum ſpectemus, opinio illorum, qui tertium à colloquio cum Nathanaele habito diem hîc exiſtimant, tutiſſi-

ma videtur. Nam poſt ſuſceptũ baptiſmum à Spiritu S. Chriſtus in deſertum ductus, & ibi poſt jejunium quadraginta dierum, à Satana tentatus eſt. Ex deſerto revertitur ad Johannem, qui teſtificans de ipſo: Ecce, inquit, hic eſt agnus Dei, &c. Hoc audiebat Andreas cum alio quodam diſcipulo, & ſtatim ſequebatur Chriſtum, cui etiam Simonem Petrum fratrem ſuum adducebat. Poſtero die inveniebat Chriſtus Philippum, & dicebat ad ipſum: Sequere me. Philippus inveniebat Nathanaëlem, & ipſum ſimiliter ad Chriſtum ducebat, cum quo in via, Galilæam repetens Chriſtus egregium colloquium inſtituit, Joh.1.v.29.& ſeqq.

Hæc circumſtantia temporis inſervire debet piis in conſolationem, ne deſperent, ſi vel maximè cum Chriſto in deſertum ducantur, ſed fore confidant, ut poſt nubila Phœbus ipſis ſplendeat, & gaudium aliquod concedatur. Vide dicta, Job. 5.v.19. Pſ.30. v.4. & 34.v.20. Pſ. 68.v.20. Eſa.54.v.7.

2. *Locus*, qui eſt Cana Galilææ, Patria Simonis & Nathanaëlis, Matt.10.v.4. & ita appellatur ad differentiam alterius Cana in tribu Aſer, Joſ.19.v.28. quæ mulieris Cananææ Patria fuit, Matth. 15.v.22. Fuit igitur Cana oppidulum vile & exiguum cujus incolæ panem in ſudore vultus ſui querebant, nihilominus honorat Chriſtus locum hunc ſuâ præſentiâ & miraculo. Ergò contentus es, ſi tibi quoque Deus locum vilem & ignobilem habitandum deputat, non enim cuivis homini contingit adire Corinthum. Qui in magnis civitatibus habitant, ſuas quoque moleſtias devorare coguntur. Ante omnia vide, ut Chriſtum in cauſam tuam recipias, qui licet altiſſimus ſit, humilia tamen reſpicit in cœlo & in terra, Pſ. 113.v.6.

3. *Hoſpitum cœtus ſive numerus.* Nam mater Jeſu erat ibi, ſcribit Evangeliſta, & porrò: Jeſus & diſcipuli ejus pariter vocati erant ad nuptias. Maria proma conda eſt, & prius adeſt quàm reliqui convivæ, unde Doctores colligunt, vel Sponſum vel Sponſam ex ipſius cognatione fuiſſe. Jeſus verò & diſcipuli ejus diſcumbunt cum aliis, qui ad nuptias has invitati comparuerunt.

Habent hîc quod diſcant

I. *Hoſpites*, ut

1. *Invitati appareant* exemplo Chriſti & diſcipulorum ejus. Præceptum habemus Luc.14. v.8. exempla conformia, Gen. 29. v.22. Tob.8. v,21. Impia igitur ſunt decreta Pontificum, quæ Sacerdotibus, Monachis & Clericis quibuscunque aliis nuptialia convivia viſitare interdicunt, cum Presbyteri præſentia hoc ſecum trahat commodi, ut modeſtiores ſint convivæ, & multa verba otioſa & ſcurrilia, quæ Chriſtianos dedecent, hoc modo præcaveri poſſint, ut experientia teſtatur. Similiter damnamus Anabaptiſtarum, Eremitarum & Monachorum ἐθελοθρησκείαν, qui omnem converſationem civilem averſantur, & non declinant ſolùm, ſed etiam in hac ſua μισανθρωπίᾳ culmen ſanctitatis & ſalutis ſuæ collocant. Hoc eſt juſtificare ſapientiam, Luc. 7.v.35. & in humilitate ac religione Angelorum incedere, quæ non vidit faſtuoſus ambulans, Col.2.v.18.

2. *Prece Sponſis inſerviant*, exemplo Mariæ, quæ apud filium ſuum intercedit pro Sponſis, cum vinum deficeret. Hæc eſt præcipua pars officii convivarum, quod novis debent conjugibus & monſtrat idem praxis omnium ſanctorum, Gen. 24. verſ. 60. Ruth.4.verſ.11. Tob.7.v.15.c.9.v.9. ſeqq. c.11. verſ. 20. Vota hæc non ſunt irrita, Pſal. 145.v.19.

Digitized by Google

3. ***Boni conſulant***, quicquid apponitur de cibo ac potu. Vinum in nuptiis Cananæis non erat de optimo, ut ex verbis architriclini patet, & tamen nemo eſt, qui de auſteritate conqueritur. Si igitur ad nuptias pauperis alicujus vocaris, qui vinum tibi & quidem optimum apponere non poteſt, ſed cerevißiam propinat, eſto contentus τοῖς παρ᾽ ὑμῖν, mit dem was da iſt/Ebr.13.v.5.

4. ***In Domino gaudeant.*** Tria pocula ſunt conceſſa, neceſſitatis, ſalubritatis. 1. Tim.5.v.23. hilaritatis, Eccleſ.9.v.7. quartum averſandum eſt, nimirum poculum ebrietatis, quo cor gravatur, Luc. 21.v.34. Nec eſt, ut ebrioſi ex verbis architriclini ſuæ ἀσωτίας prætextum nectant, qui non ex perſona convivarum ſed ex communi hominũ conſuetudine loquitur. Videant igitur empæctæ, qui verbis hiſce abutuntur, quid faciant. Deus enim non irridetur, Gal.6.v.7.

Habent etiam hîc quod diſcant.

II. *Conjuges*, & quidem

1. *Conſolationem.* Nam quia Chriſtus cum matre & diſcipulis in nuptiis hiſce comparet, eo ipſo ſtatum conjugii divinum, ſanctum & licitum eſſe teſtatur. Hinc Ebr. 13.v.4. honorabile conjugium ἐν πᾶσι prædicatur, quod probat etiam 1. Inſtitutio, Gen. 1.v.27.2. Confirmatio, poſt lapſum in Paradiſo, Gen.3.v.15.16.18.3. Chriſti inſtauratio, Matth. 19.v.4.5.4. Ordinis hujus conſervatio, Deus enim eſt, qui unicuique ſuam adhuc conjugem deſtinat & adducit, Prov. 19.v.14. 5. Annexa benedictio, Gen.1.v.28. Pſal. 128.v.1. ſeqq. Perperam igitur faciunt Pontificii, quando Sacerdotibus interdicunt conjugio, & ſtatum carnalem eſſe jactitant, in quo qui vivat, Deo placere non poſſit. Sed contra Scripturam, 1.Tim.3.v.2. Tit. 2.v.6. Contra Patriarcharum, Sacerdotum, Prophetarum V.T. & Apoſtolorum N.T. exemplum. De Patriarchis non eſt dubium. Teſtantur hoc ipſorum legenda. De Sacerdotibus & Prophetis idem judicium, vid. Exod. 6.v.23. Eſa 8. v.3. Ezech. 24.v.16. Oſ. 1.verſ.2. Solus Jeremias ex ſingulari interdicto Dei cœlebs manſit propter captivitatem Babylonicam, Jer.16.v.2. Apoſtolos quod attinet, habuerunt illi quoque ſuas uxores, Matth.8.v.14. Marc.1.v.30. Luc.8.v.3. Act. 21.v.9. ſi non reipſâ, poteſtatem tamen habuerunt nubendi, 1. Cor.9.v.5. Hoc ideò factum eſt ut Chryſoſtomus ſcribit, ne mariti & uxores putent, nuptias in cauſa eſſe, quò minus quis Deo placeat, aut obſtaculum virtutis eſſe conjugium. Minimè. Salvatur mulier per generationem liberorum ſi permanſerit in fide, dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate, 1.Tim.2.v.15.

2. *Informationem.* Ut Chriſtum exemplo horum neonymphorum piis precibus ad nuptias ſuos invitent. Non enim procedit feliciter, quod ſine Chriſti præſentia peragitur, Pſ.117.v.1.

De Secundo.

JAm *de ſuborta calamitate* aliquid dicendũ erit. Cum enim maximè opus erat vino ad exhilarandos hoſpites, ecce triſtis illa vox per Mariam matrem ad aures Chriſti defertur: Vinum non habent. O quàm communis eſt hodie illa querela in conjugio? quàm multi ſunt, in quos hoc Mariæ verbum adhuc quadrat. Vinum non habent, pecuniam non habent, panem non habent, pacem non habent, &c. Conjugium enim Crucis Schola non immeritò à veteribus appellatur. Hoc ex maledictione, quæ lapſu ſecuta eſt, originem ducit. Maritus in ſudore vultus ſui pane veſci jubetur, uxori dolores partus impo-

Digitized by Google

nuntur, Gen. 3.v.16.19. Ambos verò tam virum quàm fœminam tribulationem carnis experiri oportet, 1. Cor.7.v.28.

Occurrit igitur hîc

1. *Sollicita Mariæ interceſſio*, quæ Christo defectum vini aperit. Unde eximiam ipſam de filio ſuo opinionem & fidem habuiſſe colligitur. Verba quidem multa non facit, ſed indicaſſe ſaltem defectum ſatis eſſe putat, quia de filii ſui potentia & condolentia, quâ piorum inopia tangitur, nil quicquam dubitabat.

Tutiſſimum hoc remedium in omnibus adverſitatibus. Turris munita nomen Domini. Prov.18.v.10. Deficit vinum? ille producit vinum de terra, Pſal.104. v.15. deficit panis? ille panis vitæ, Johan.6. v.48. deficit pecunia? ille eſt qui dat aurum & argentum, Oſ. 2.v.8. deficit pax? ille eſt Princeps pacis, Eſ. 9.v.6. deficit ſanitas? ille eſt magiſter ad ſalvandum, Eſ. 63.v.1. Ergò jacta curam tuam in Domino, Pſ. 55. v. 23 nullus enim qui ſperavit in eo, confuſus eſt, Sir.2. verſ.11.

2. *Dura Chriſti reſponſio.* Nam mulier, inquit, quid mihi tecum, hora mea nondum venit, quibus verbis Mariæ matris curioſitatem reprimere voluit, quæ nimis properam ſublevationem urgebat, & volebat ipſi præſcribere in his, quæ officii ſui publici partes concernebant. Hinc mulierem vocat, quia in hoc caſu nihil ab alia quacunque muliere differebat. Nam operaturus divina, non agnoſcit viſcera humana, & in iis quæ ſaluti noſtræ inſerviunt, nihil valet carnis prærogativa, inquit Auguſtinus.

Reſponſio illa triplicem nobis præbet uſum

1. *Refutatorium*, adverſus Pontificios, qui Mariam adorant. Nam mulierem Chriſtus appellavit matrem ſuam, quaſi prophetans, quæ futura eſſent in terra ſectarum & hæreſium genera, inquit Epiphanius. Et iterum: Sit in honore Maria. Pater, Filius & Spir. Sanctus adorentur, Mariam nemo adoret.

2. *Informatorium*, ut ſe in neceſſitatibus ſine interceſſionibus ac Patronis rogandum moneret. Non enim opus eſt patronis apud Deum, neque multo diſcurſu, ut blandiare aliis, ſed licet ſolus ſis patronoque careas, & per te ipſum, Deum preceris omninò tamen voti compos eris, inquit Chryſoſtomus. Deinde hoc etiam reſponſione ſuâ docere nos voluit, ut in rebus his, quæ Deum vel officium, vel conſcientiam noſtram concernunt, nullum perſonæ, cognationis vel affectionis reſpectum habeamus. Nam ibi valet adhuc Chriſti reſponſio, mulier quid mihi tecum? Quod ſi igitur Pater, Mater, fratres, ſorores, propinqui, &c. à vera religione ad falſam à bono ad malum, à virtute ad vitia te pertrahere velint, occine ipſis: mulier quid mihi tecum? Si quis enim venerit ad me, & non oderit patrem aut matrem, aut ſororem, non eſt me dignus, inquit Chriſtus Luc.14.v.26.

3. *Uſum dehortatorium*, ne ſub preſſura Crucis & inopiæ horam & moram Deo præſcribamus, ſed juxta Pauli admonitionem indeſinenter oremus 1. Theſſ. 5.v.17. & cum ſilentio præſtolemur ſalutare Dei, Thr. 3. v. 26. Si non exaudit ad horam, non contemnit petentem, ſed excitat quærentem, inquit Auguſt. Eſt enim adjutor in opportunitate, Pſ.9.v.10.

3. *Subnexa miniſtrorum allocutio.* Maria auſteram Filii increpationem æquo fert animo, quæ modeſtia tam clara quàm rara eſt, ut Caſſiodorus ait, cujus nomine mulie-

mulieres in Scripturis commendantur, Sir. 26. v. 19. ſeqq. & ſtatim ad miniſtros ſe convertens, quodcunque, inquit, vobis dixerit, facite. Egregia admonitio, quam nos quoque in rebus fidei obſervare debemus. Nam non valet in Eccleſiâ: Hoc ego dico, hoc tu dicis, hoc ille dicit, ſed hoc dixit Dominus, & qui loquitur, eloquia Dei proferre debet, 1. Pet. 4. v. 11. ut prophetia ipſius ſit fidei analoga, Rom. 12. verſ. 7. hæc eſt proprietas ovium Chriſti, ut vocem ejus audiant, & alienum non ſequantur, Johan. 10. verſ. 27.

De Tertio.

Reſtat pars tertia, nimirum *Chriſti opitulantis benignitas*, quam inſigni declarat miraculo, cujus hîc Evangeliſta depingit

I. *Quantitatem.* Nam erant ibi hydriæ lapideæ ſex, inquit, poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas duas vel tres. Has jubet Chriſtus implere aquâ, & impleverunt eas ad ſummum uſque. Quis harum uſus fuerit hydriarum, optimè colligitur ex Marc. 7. v. 3. & 4. ſed magis eluceſcit hoc miraculum, ſi conſideramus

1. *Hydriarum multitudinem.* Non enim duæ tantum vel tres, ſed ſex fuerunt, in quo numero quidam allegoriam quærunt, & ſicut una quæque dies ſuam afflictionem parit, Matt 6. v. 34. ita pro numero dierum profectorum hydrias haſce diſtribuunt, ut pii conjuges ex illis haurire cogantur, dum Sabbathum vitæ æternæ appropinquat, ubi dies luctus noſtri complebuntur, Eſa. 60. v. 20.

Prima eſt hydria paupertatis, 2. domeſticæ calamitatis, 3. continuæ rixoſitatis, 4. indefeſſæ laborioſitatis. 5. infidelitatis, 6. infirmitatis. Vide Dietericum in Analyſi.

2. *Magnitudinem.* Singulæ enim capiebant metretas duas vel tres. Non erant urcei portatiles, quibus aqua hauritur, qualem Rebecca geſtabat in ſcapula ſua, Gen. 24. v. 15. & Samaritana, Johan. 4. verſ. 28. Sed labra ſive vanni, ex quibus hauritur, hinc dicuntur poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, de qua vide Levit. 15. verſ. 5. ſeqq. Num. 19. verſ. 8. & fuerunt magnæ capacitatis, ad metretas duas vel tres. Quale hoc fuerit genus metretæ, de eo non conveniunt interpretes. Budæus l. 5. de aſſe, & Gregorius Agricola, diligentiſſimus harum rerum ſcrutator de menſuris & ponderibus Romanis putant, metretam idem eſſe quod amphoram, & menſuras noſtratium continuiſſe 36. Jam hydriæ capiebant, ut Evangeliſta teſtatur, duas vel tres metretas. Si duas, 432. menſuras, ſi tres 648. menſuras vini generoſioris ad nuptias haſce Chriſtus contulit. Unde muneris amplitudo & magnificentia ſatis apparet. Si verò computationem Chemnitii ſequimur, quam hodierni doctores ferè omnes approbant, dimidium Ohmæ ſingulæ continebant hydriæ, unde tres Ohmas vini (ein halb Fuder Wein) neonymphis hiſce donaſſe Chriſtum colligitur. Nam quia magnus eſt nomine & re, Jer. 10. verſ. 6 magna etiam munera ipſum decent, quod Alexander Magnus olim Perillo reſpondebat, cum 50000. millia coronatorum ipſi donaret ad elocationem filiæ, & ipſe recuſaret, decem millibus ſe contentum eſſe regerens. Promptior enim eſt ad dandum, quàm nos ad capiendum, Eph. 3. v. 20.

3. *Plenitudinem.* Erant hydriæ ob crebras purificationes & lotiones aliqua parte exhauſtæ. Chriſtus igitur implere jubet, quod etiam miniſtri promptè exſequuntur,

Digitized by Google

& ad ſummum uſque hydrias aquâ implent. Beneficia enim divina non ſunt hiulca, **es iſt kein Stimpelwerck** / ſed excellentia in ſummo gradu, ut quilibet inde colligere poſſit, quod ipſe fecerit. Pſ. 64. v. 10.

Pulchra etiam hinc necti poteſt allegoria. Aqua in Scripturis Crucem & tribulationem ſignificat, Pſ. 18. v. 17. & 66. v. 12. & 69. v. 2. & 124. v. 4. hanc aquam tribulationis mutat Chriſtus in vinum, id eſt, mitigat & dulcorat per Sp. S. ut fideles ejus diſcipuli pro gaudio reputent, ſi in multas tribulationes inciderint, Jac. 1. v. 2. Crux tamen non ſtatim à nobis tollitur, ſed hydriæ implentur prius ad ſummum, id eſt, crux magis augetur & cumulatur, ut in Ægypto, Ex. 5. v. 6. ſeqq. Sed tunc quando hydriæ aquâ ad ſummum uſque impletæ ſunt, tunc inquam venit Chriſtus, & aquam in vinum mutat, verbo ſcilicet omnipotente, ut ex eventu agnoſcimus, diligentibus Deum omnia in bonum cooperari, Rom. 8. v. 28.

II. *Qualitatem*, **wie es damit ſey zugangen.**

1. *Per aquæ immutationem.* In primæva creatione Deus ſpecies rerum diſtinxit, ut aqua eſſet aqua, & vinum eſſet vinum. Dum igitur Chriſtus hîc aquam mutat, eo ipſo oſtendit, ſe eſſe Dominum illum, cujus præceptis omnis Creatura ad ſuum, genus ab initio condita deſervit, Sap. 19. v. 6.

2. *Per vini productionem.* Nam poſtquam miniſtri hydrias aquâ ſuppleviſſent, jubet eos haurire, & eo ipſo dum hauriunt momento, vinum ex aquâ producitur. Magnum quidem eſt miraculum, quod aqua pluvialis per radicem & ramos vitis quotannis in vinum convertitur: ſed non fit in momento, verùm temporis progreſſu antecedente calore ſolis qui uvas percoquit & maturas reddit. Hîc verò Chriſtus in momento aquam convertit, & vinum generoſiſſimum ſolo nutu & motu voluntatis imperantis producit, ut agnoſcamus illum eſſe verum Deum, qui cum Patre, in totius univerſi conſervatione & gubernatione uſque huc operatur, Joh. 5. v. 17. Sumus igitur adhuc hodie ipſius hoſpites, quos ſingulis annis largo vini proventu donat, & ita corda noſtra lætificat, Pſ. 104. v. 15.

3. *Per Architriclini deprædicationem.* Nam cum miniſtri ad ipſum deferunt vinum ex aqua factum, guſtat ſtatim, & ſponſum redarguit, quod deterius vinum primùm dediſſet, putabat enim ſponſum hoc vinum ſponſum hoc vinum procuràſſe, & nihil de miraculo Chriſti ſciebat. Omnis homo, inquit, primùm bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt, tu autem bonum vinum hucuſque ſervaſti.

Exinde nobis innoteſcit admirabile Dei gubernamentum, quod à mundi & Diaboli regno planè diſcrepat. In regno mundi & Diaboli principium bonum eſt. Nam domus impiorum ſunt pacatæ à timore, & non eſt virga Dei ſuper illos. Ducunt in bonis dies ſuos, ſed finis malus eſt. Nam in puncto ad infernum deſcendunt Hiob. 21. v. 9. ſeqq. Secus in regno Chriſti. Ibi principium malum eſt, & finis bonus. Nam tribulatio piorum levis & momentanea, operatur in nobis δόξαν καθ᾽ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, 2. Cor. 4. verſ. 17. In paucis vexantur, in multis benè diſponuntur, quoniam Deus tentavit ipſos, & invenit dignos ſe, Sap. 3. v. 5. quid vis eligere? ô conſidera finem & nunquam peccabis 1. Sir. 7. v. 40.

III. *Efficacitatem*, quæ duplex,

1. *Gloriæ manifeſtatio.* Ergò in pueritia ſua

ſua nulla fecit miracula, quia hoc primum feciſſe dicitur ſignum, ut manifeſtaret gloriam ſuam, quod ſit Deus ille, qui ſolus miracula facere poteſt, Pſ. 72. v. 18.

2. *Diſcipulorum in fide corroboratio.* Hic eſt finis miraculorum, ut infideles ad fidem perducantur. Jam verò ubi doctrina Evangelii ſatis confirmata eſt tam Chriſti, quàm Apoſtolorum miraculis, qui adhuc prodigia quærit, magnum ipſe prodigium eſt, ut Auguſtinus loquitur. Hæc dicta ſunto de nuptiis Canæ Galilææ. Beatus verò qui ad nuptias agni vocatus eſt, Apoc. 19. v. 9. tunc perfectè manifeſtatur Chriſti gloria. Johan. 17. v. 24. quam ut mox videamus, faxit Deus T. O. M. Amen.

Dominica III. poſt Epiphaniam.

Evangelium Matth. 8. v. 1. 14.

CUm Moſes tabulas Decalogi in monte Sinai ab ipſo Deo accepiſſet, & jam deſcenderet, ut populo leges ſancitas inſinuaret, ecce receſſerant Iſraelitæ de via, & vitulum ſibi fecerant ex auro, quamobrem irâ commotus non ſolùm tabulas è manu projecit, & ad radicem montis confregit, ſed etiam miniſterio Levitarum tria hominum millia in populo occidit, Exod. 32. v. 19. & 28.

Hâc ſeveritate legis effecta tacitè notantur, quod nimirum iram operetur, Rom. 4. v. 15. unde miniſterium mortis & damnationis appellatur, 2. Cor. 3. v. 7. & 9. Contrà audimus in hodierno Evangelio, quod Chriſtus poſt prolixum ſermonem in monte habitum, quô veram legis promulgatæ ſententiam expoſuerat, deſcendens iterum leproſum & paralyticum divinâ ſuâ virtute ſanavit, ut indicaret, ſe eſſe verum animarum noſtrarum medicum, qui è ſummo cœli monte in has terras eo fine deſcenderit, ut à ſpirituali peccati lepra, & animæ paralyſi nos liberaret. Nam lex per Moſen data, gratia autem per Chriſtum exorta eſt, Joh. 1. verſ. 17.

Nos ad manus ſumemus prælectam Evangelii pericopen, & videbimus

I. Curam leproſi.

II. Curam paralytici.

J.J.

EXEGESIS.

VErè Chriſtus Zemah dicitur, ſub quo germinare & creſcere debet Eccleſia, Zach. 6. v. 12. quæ in V. T. terminis paleſtinæ anguſtioribus circumſcripta erat. Nam taliter non faciebat Deus omni nationi, Pſ. 147. v. 20. Sed in N. T. reſpectus ille perſonarum ceſſavit, & quiſquis nomen Domini invocat, ſalvus erit, Rom. 10. v. 13. Hujus rei exemplum habemus in prælecto Evangelio, ubi tam leproſus ex Judaico ſemine oriundus, quàm centurio gentilis à Chriſto recipitur. De cura leproſi primùm agemus, ſed quatuor potiſſimum ponderanda nobis occurrunt

1. *Temporis notatio*, quando nimirum acciderit. Hoc Evangeliſta ſubinnuit περιφραστικῶς, per verba: Cum deſcendiſſet de monte, & intelligit mõtem, in quo Chriſtus

ſtus elegantiſſimam Concionem de vera beatitudine habuerat, quæ deſcripta eſt Matth. 5. v. 6. 7. Finita conciõe de monte deſcendit, & doctrinam ſuam miraculis hiſce confirmat, quo oſtendit, ſe non ſolùm eſſe ſapientiam, verùm etiam virtutem & potentiam Dei, quorum utrumque ipſi tribuit Apoſtolus 1. Cor. 1. v. 24. nimirum Prophetam illum potentem opere & ſermone coram Deo & omni populo, Luc. 24. v. 19. Hoc demonſtravit in Concionibus, in quibus conſilium Dei de ſalute noſtra nobis revelavit, Joh. 1. v. 18. illud in miraculis, dum pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, Act. 10. v. 38. Ergò promiſſionibus ejus tutò fidere poſſumus, quia virtute etiam pollet, & quæcunque promittit, etiam præſtare poteſt, Rom. 4. v. 21.

2. *Leproſi præſentatio*, nam cum ventum eſſet ad radices montis, ecce, inquit Evangeliſta, leproſus accedebat eum, Lucas addit c. 5. v. 12. quod fuerit plenus leprâ, quæ aliàs incurabilis eſt, 2. Reg. 5. v. 7. Videmus inde, quàm ſalubris ſit morborum afflictio, quia ad Chriſtum ire compellit, Oſ. 6. v. 1. Noli igitur murmurare, quod pateris medicina eſt, non pœna, caſtigatio eſt, non damnatio, ut inquit Auguſtinus.

Deſcribitur autem præſentatio illa, quod facta ſit

1. *Geſtu decente.* Nam adoravit eum, inquit Evangeliſta. In Græco eſt vocabulum προσκυνεῖν, quod non ſimpliciter adorare, ſed cum incurvatione cervicis & totius corporis honorem debitum alicui offerre ſignificat, ſicut Abraham fecit, Gen. 18. v. 2. hinc Marcus per genuflexionem, c. 1. v. 40. & Lucas per totalem proſtrationem in faciem explicat, c. 5. v. 12.

Humilitas hæc Deo valde placet, & in Scripturis etiam pluribus Sanctorum exemplis nobis commendatur, vide 1. Reg. 8. v. 22. Dan. 6. v. 10. Act. 9. v. 40. Sicut enim leo proſtratum neminem lædit, ſed abblanditur potius; Ita Deus reverentia & humiliatione tali ad commiſerationem flectitur, ut probat exemplum Ahabi, 1. Reg. 21. v. 29. Peccant igitur, qui inter orandum non in genua, ſed in podicem procidunt, & veſtimentorum diſpendium metuunt. Sed videant, dum veſtis nitida cuſtoditur, ne multis peccatis ac negligentiis anima ſordidetur, ut Cæſarius loquitur.

2. *voce gemente.* Nam brevi oratione Chriſtum aggreditur. Domine, inquit, ſi vis, potes me mundare. Quibus verbis totam artem orandi complectitur. Et docet nos ſuo exemplo, quomodo preces informandæ ſint, ſi quidem Deo acceptas eſſe velimus.

1. Monſtrat *verum objectum.* Nam Chriſtum ſecundum utramque naturam ſine interceſſione invocat. Si Pontificius fuiſſet, primùm vel Matrem vel Apoſtolos Domini acceſſiſſet. Ita nos quoque orationem ad verum objectum ante omnia dirigamus, nimirum ad Chriſtum, qui omniſcius eſt, & gemitus noſtri ab eo non ſunt abſconditi, Pſ. 38. v. 10. Omnipotens eſt, & poteſt ſuperabundanter facere ſuper id quod petimus & intelligimus, Eph. 3. v. 20. miſericors eſt, & facit voluntatem timentium eum, Pſal. 145. v. 19. Hinc Eccleſia: Abraham ignoravit nos, Iſrael neſcivit nos, tu autem Pater noſter, Redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum, Eſ. 64. v. 16.

2. *Verum affectum*, in quo tota vis orationis recumbit. Qualis enim orantis affectus eſt, inquit Auguſtinus, talis etiam erit exaudientis effectus.

Lepro

Digitized by Google

Leproſus orat

1. *Cum breviloquentia.* Ita nos quoque in multiloquio fiduciam exauditionis non ponamus, Matth. 6. v. 7. non enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor aſpicit, inquit Iſid.

2. *Cum confidentia.* Dum infinitam ſanandi potentiam in Chriſto agnoſcit, & ſine ulla dubitatione credit, quod Chriſtus, ſi velit, ipſum quoque mundare poſſit. Ita nos, ſi poſtulamus aliquid à Deo cum fide poſtulemus neceſſe eſt, Jacob. 1. v. 6. nam ſi fides deficit, oratio perit, inquit Auguſtinus. Hoc eſt malè petere, & qui malè petit, nil accipit, Jacob. 4. verſ. 3.

3. *Cum differentia*, & conditionem obſervat, quâ cum bona temporalia ſemper à Deo petenda ſunt: quare hypotheticè loquitur. Domine ſi vis: Ita nos quoque in petitione temporalium voluntati divinæ humiliter nos ſubjiciamus. Petimus aliquando divitias, ſed ſpinæ ſunt, Luc. 8. verſ. 14. liberos, ſed degenerant, ut Abſolon. 2. Sam. 15. verſ. 1. & ſeqq. honores, ſed lapſum meditantur, ut Haman ſuo incommodo didicit, Eſth. 5. verſ. 11. cap. 7. verſ. 10. Ergò conditio ſemper adjicienda eſt, ſi nempe DEUS velit, & id quod petimus, ad gloriam ipſius & noſtram ſalutem inſerviat. Ita David 2. Samuel. 15. verſ. 25. 26. tres viri, Daniel. 3. verſ. 17. 18. Chriſtus ipſe, Luc. 22. verſ. 42. hoc ſi obſervamus, certò conſequemur, quicquid petierimus, 1. Johan. 5. verſ. 14.

3. *Miraculoſa ejusdem ſanatio*, quam triplici modo Chriſtus in effectum producit

1. *Miſerendo*, ut Marc. 1. verſ. 41. indicat vocabulo emphatico σπλαγχνίζειν, quo intimus commiſerationis affectus deſcribitur, qui in Chriſto tantus eſt, quantus ipſe eſt. Sirach. 2. v. 22. Nam miſeratio hominis circa proximum ſuum, ſed miſericordia Dei ſuper omnem carnem, Sir. 18. v. 12. hinc cordialis dicitur, Luc. 1. v. 78. Fluit ex hoc fonte largiſſima conſolatio. Si quis ægrotat, aut in miſeriis hæret, ne abjiciat animum, ſed ad Chriſtum confugiat, cujus viſcera moventur, ſi calamitoſum aliquem Chriſtianum intuetur, ut inquit Oſ. 11. v. 8. hinc Pater miſericordiarum dicitur 2. Cor. 1. v. 3. & univerſæ viæ ejus ſunt miſericordia & veritas, Pſal. 25. v. 10.

2. *Tangendo.* Poterat etiam ſine attactu ipſum curare, exemplo leproſorum, Luc. 17. verſ. 14. ſed tangere voluit, ut oſtenderet, ſe eſſe Dominum legis, quem leproſi contactus non pollueret, adeoque naturam humanam cum divinitate perſonaliter unitam, vivificam eſſe demonſtraret, quæ Damaſceni ratio eſt.

Lepra eſt imago peccati. Vide Meiſn. ſuper hoc Evangelium, Ergò quod contactu ſuæ carnis Chriſtus lepram hoc loco tollit, eo ipſo confirmat, quod remiſſionem peccatorum per exhibitionem ſuæ carnis & ſanguinis in Euchariſtia nobis conferre & obſignare velit, Joh. 6. v. 55.

3. *Dicendo.* Leproſus dixerat, ſi vis, potes me mundare. Chriſtus ſtatim ſubjicit? Volo, mundus eſto, & confeſtim mundata eſt lepra ejus. Nam ipſius ῥήματα ſunt πράγματα, Ezech. 22. v. 14. Verbum ejus adhuc ſonat in Eccleſia. Si cum Davide clamamus ex Pſal. 51. verſ. 4. Lava me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, ſtatim reſpondet per miniſtros ſuos volo, mundus eſto. Nam fidelis eſt & juſtus, ut remittat peccata noſtra, &

G 3 emun-

emundet nos ab omni iniquitate, 1. Joh.. 1. verſ. 9. hoc facit per verbum, quod omnia ſanat, cum nec herba, nec malagma quicquam efficere poteſt, Sap. 16. v. 12.

4. *Sanat informatio*, quâ continentur.

1. *Fugienda.* Nam vide, inquit, ne ulli dixeris, & hoc ipſo ſe ab aura gloriæ pompaq; jactantiæ alienum eſſe ſatis oſtendit. Nam enim quæſivit gloriam ſuam, Johan. 8. verſ. 50. Ita nos quoque in omnibus verbis ac operibus noſtris Dei gloriam inprimis quæramus juxta præſcriptum Pauli, Col. 3. v. 17.

2. *Facienda.* Nam ad Sacerdotes ipſum ablegat duplici fine,

1. *Ratione ſacrificii*, Lev. 14. verſ. 1. ſeqq. **dann er wil den Prieſtern ihr** Etiam **nicht entziehen / ſie wollen auch erhalten ſeyn.** Sicut enim operarius dignus eſt mercede ſua, Luc. 10. v. 7. Ita præcepit Dominus, ut qui Evagelium annunciant, de Evangelio vivant, 1. Cor. 9. v. 14.

2. *Ratione teſtimonii*, ut mundatum leproſum videntes, aut crederent Salvatori, aut non crederent. Si crederent, ſalvarentur, ſi non crederent, inexcuſabiles forent, ut Hieronymus loquitur. Tot enim teſtes reprobi in extremo die contra ſe habebunt, quot modis voluntatem ipſis revelatam contempſerunt, ut Chriſtus etiam civitatibus ingratis minatur, Matth. 11. v. 21. Joh. 12. v. 48.

De Secundo.

Vidimus Curam leproſi, videbimus etiam *Curam paralytici*, ubi duo nobis ponderanda occurrunt:

1. *Centurionis querela.* Cum enim ingreſſus eſſet Capernaum, acceſſit eum Centurio & rogavit eum, inquit Evangeliſta. In Græco vocatur ἑκατόνταρχος, unde colligitur, fuiſſe ipſum Capitaneum centum militum præſidiariorum in oppido Capernaum, à Romano Cæſare immediatè dependentem, profeſſione Ethnicum, ut patet ex v. 10. & 11. Sed ex Luc. 7. verſ. 5. probabile eſt, quod abjuratâ Ethnicorum idololatria religionem Judaicam amplexatus fuerit.

Querelam quod attinet, deſcribitur illa

1. *Ratione materiæ.* Nam de ſervo ſollicitus eſt, qui domi jacebat paralyticus & vehementer torquebatur. Hoc exemplo hortatur omnes patres & matresfamilias, ut pariter erga ſervos & ancillas affecti ſint. Quò pertinent dicta Scripturæ, Sir. 4. v. 35. c. 7. v. 23. c. 33. v. 30. 31. Eph. 6. v. 9.

Si igitur vim patiuntur, tuum eſt, ut defendas ipſos, quod fecit David 2. Sam. 10. v. 7. ſeqq.

Si mercedem petunt, noli ipſos defraudare. Nam merces illa clamat ad cœlum, Jac. 5. v. 4. Deut. 24. v. 15.

Si infirmantur, ne inſalutatos vel incuratos relinque, ſed de medicina & neceſſariis ſubſidiis ipſis proſpice. Nam qui domeſticorum curam negligunt. Ethnicis deteriores ſunt, 1. Tim. 5. v. 8.

2. *Ratione formæ.* Nam acceſſit Chriſtum

1. *Reverenter*, Dominum appellans & hâc ipſâ appellatione fidem ſuam teſtatur, quam ex concionibus & miraculis Chriſti in Capernaum editis concepit. Proinde ſe humiliat, Domine, inquiens, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum. Quæ communis vox eſt omnium Sanctorum. Nam qui vult eſſe Chriſti diſcipulus, à Chriſto humilitatem diſcat, neceſſe eſt, Matth. 11. v. 29.

Super-

Digitized by Google

Superbi autem ad Chriſtum non pertinent, ſed Diabolum imitantur, qui Rex ſuperborum dicitur, Job.41.v.25.

2. *Confidenter.* Nam firmiter credit Chriſtum ſervum ſuum etiam abſentem unico verbo curare poſſe, idque demonſtrat ab adjuncto proprio per comparationem imparium. Ego homo ſum, inquit, tu autem Deus, ego poteſtati ſubditus, tu omnia ſub pedibus habes. Si dico ſervo meo, veni, ad dictum ſtatim venit. Sin alteri dico, abi, ad dictum ſtatim abit. Quidni igitur tibi, qui Dominus es vitæ & mortis, ad nutum omnes morbi pareant. Non opus eſt Domine, ut mecum abeas, ſed tantùm die verbum, & ſanabitur ſervus meus.

Hâc fide nos etiam inſtructos eſſe oportet, ut firmiter ſtatuamus, Chriſtum poſſe ex omnibus neceſſitatibus eripere, & quidem unico verbo, quia benignus eſt & miſericors, noſtriſque infirmitatibus compati novit, Ebr. 4. verſ. 15. Statuat igitur quilibet Chriſtianus ſe domi habere paralyticum, id eſt, animam ægrotantem, & conſcientiam miſerè afflictam, nec procraſtinet medicinam, ſed Chriſtum accedat dum propè eſt, antequam mors ſecunda ipſum comprehendat. Hoc fit per fidem, cui nihil impoſſibile eſt, Marc.9.verſ. 23. Sicut enim Iſraelitæ in deſerto æneum ſerpentem intuentes ab ictu ſerpentum igneorum ſanati ſunt: Ita Chriſtus exaltatus eſt in cruce, ut qui credit in eum non pereat, ſed vitam æternam habeat, Joh.3.v.15.

In genere notamus in hoc Centurione virtutes quaſdam militares, quibus omes Colonelli & Capitanei ſtudere debent, ut ſunt

1. *Integritas.* Nam ſub Romano Imperatore militat tanquam ordinario Magiſtratu: Sic qui caſtra ſequuntur, videant, cui dent nomina ſua, ne ſeditioſi & temerarii habeantur. Exempli gratiâ: Abſolon bellum gerebat contra Patrem. Hoc injuſtum erat bellum. Hinc omnes qui ſub ipſo militarunt, ſeditionis obnoxios ſeſe reddiderunt.

Si vis igitur militare, Dominum talem tibi elige, qui defenſivè, aut vindicativè, non offenſivè bellum ſuſcipit, aliàs Deum non habebis à latere, cujus ſola eſt victoria, Prov. 21.v.31.

2. *Pietas.* Nam 1. veram religionem ſuſcipit, ut ſupra audivimus. 2. ad Chriſtum confugit. Ita qui militiæ operam dant, ante omnia pietatem ſibi commendatam habeant, Deut.23.verſ.9. & piis inſuper precibus manè & veſperi Deum ſollicitent, ut ſibi ſemper propitius eſſe velit. Inprimis belluinam ſævitiam exuant, blaſphemias deteſtentur, ſtupra & adulteria vitent, nemini injuriam faciant, ſi Deus pro ipſis contra hoſtes dimicare debet, Deut.20.v.4.

3. *Humilitas*, quam probat

1. *Conſideratione indignitatis*, v. 8.

2. *Conſideratione mortalitatis*, v.9.

Ita milites Chriſtiani quoque humilitati ſtudeant, & populi animos, cui præſunt, comitate & manſuetudine potius quàm ſeveritate ſibi concilient. Nam Deus reſiſtit ſuperbis. inquit Petrus, 1.c.5. v.5.

4. *Fidelitas*, quam præſtitit

1. *Majeſtati terreſtri.* Nam homo ſum, inquit, ſub poteſtate conſtitutus, cui fidem dedi, & fidem etiam ſervabo. Hæc fidelitas in bello maximè neceſſaria eſt, vide Proverb.24. v.22.

2. *Majeſtati cœleſti.* Imperator gentilis erat, & ſerviebat idolis, ſed ipſe Judaicam religionem amplectitur, & ita conſcientiam ſuam

Digitized by Google

ſuam inviolatam conſervat. Deo enim magis obediendum quàm hominibus. Actor. 5. verſ. 29.

5. *Diſciplinæ ſeveritas*, verſ. 9. ſecus nec centuriones nec milites, quod ſuſcipiunt, proſperè ad votum agent, ſed mala quæcunque capitibus ſuis totique cum quo militant, exercitui, attrahent. Non enim probabile eſt, inquit Gregor. rem bene geſturos, qui lacrymas & execrationes pro viatico ſecum auferunt, vide Joſ. 7. v. 12.

II. Ponderanda quoque venit in hac altera parte *Chriſti medela*. Ubi enim querelam Centurionis percepiſſet, ſtatim paratus eſt, & veniens, inquit, curabo illum. Centurio non opus eſſe ait, ut ipſe veniret, ſed modò dicat unicum verbum ad ſalutem ſervi recuperandam ſufficere certò confidit, ut ſupra audivimus.

Notamus igitur hîc

I. *Præmiſſam Concionem*, qua

1. *Fidem centurionis elevat*, verſ. 10. Licet enim in populo Iſraëlitico multi quoque erant eximiâ fide præditi, ut Simeon Hanna, diſcipuli Chriſti, & inprimis B. Virgo, tamen in homine ethnico tantam fidem inveniri rarum erat & ſingulare miraculum. Tu verò, ſi fidem centurionis magnam in te non deprehendis, ſed fluctuas ſub cruce, noli animum abjicere. Virtus enim Dei in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. verſ. 9. intereà cum Apoſtolis ora: Domine adauge mihi fidem, Luc. 17. verſ. 5. tunc Deus qui fidelis eſt, linum fumigans non extinguet, Eſa. 42. v. 3. ſed te perficiet, corroborabit & conſummabit ad vitam æternam, 1. Pet. 5. v. 10.

2. *Vocationem gentium prænunciat* verſ. 10. In V. T. gentes ad Eccleſiam non pertinebant ſed Judæi tantùm erant Dei peculium, quæ ipſorum prærogativa duravit usque ad Chriſtum, ille enim per miniſterium Apoſtolorum Judæos & gentes ad unum ovile congregavit, Joh. 10. v. 16.

Beneficium hoc ad nos quoque pertinet, qui à Japheto originem ducimus, & olim à Deo & Eccleſia ejus penitus excluſi eramus, ſed per Chriſtum implantati ſumus, non aliter, ac ſi hortulanus arbores ſativas detruncaret, & ſtolones ſylveſtres illis inſereret, Rom. 11. verſ. 17. Hoc grato animo agnoſcere & pro ratione vocationis noſtræ dignè ambulare debemus, 1. Pet. 4. v. 3.

3. *Rejectionem Judæorum indigitat*, & quidem accuratâ ſimilitudine à Patrefamiliàs deſumpta, qui filios à menſa removet, ſi ſint immorigeri, & in illorum locum ſervulos ſuſcipit: Ita Judæi ſunt filii regni, quibus paratum erat, ut cum majoribus ſuis, Abrahamo, Iſaaco & Jacobo ſederent in regno Dei: ſed propter incredulitatem & inobedientiam ſunt rejecti & gentiles in illorum locum ſuſcepti. Conſideremus igitur bonitatem & ſeveritatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt, id eſt, adverſus Judæos, ſeveritatem, erga nos autem bonitatem, ſi permanſerimus in bonitate, aliàs quoque excidemur. Si enim naturalibus ramis non pepercit, quanto minus nobis oleaſtris, inquit Apoſtolus, Rom. 11. v. 21.

II. *Servi reſtitutionem*, quam procuravit Chriſtus

1. *Abſenter*: Licet enim vi unionis perſonalis ubique eſſe poterat, tamen in ſtatu exinanitionis hac majeſtate non uſus eſt ſemper, ſed à loco ad locum migravit, ἐν ὁμοιώματι ἀνϑρώπων, Phil. 2. v. 7. interim virtute ſuâ, famulum centurionis abſentem curat

& eo

& eo ipſo probat, ſe eſſe verum omnipotentem Deum, & Magiſtrum illum ſalvandi, de quo Eſa. 63. v. 1.

2. *Excellenter.* Nam eo ipſo momento, quo Chriſtus fidem centurionis publicè deprædicabat, ſervus convaleſcit. Tam ſubitò Medici corporales juvare non poſſunt, ſed ut proverbium habet Morbi veniunt catervatim, & particulatim recedunt, imò

Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger,

Sed doctâ interdum plus valet arte malum.

Chriſtus verò ſanat ex tempore lepram, paralyſin, & alios morbos incurabiles. Nam Deus eſt cum ipſo, Act. 10. v. 38.

Ad hunc Medicum, Vos mei confugite in morbis tàm corporalibus quàm ſpiritualibus. Nam tanta eſt ipſius virtus & potentia, ut ne unum quidem deficiat, Eſa. 40. v. 26.

Dominica IV. poſt Epiphaniam.

Evangelium Matth. 8. v. 23. 28.

D. Johannes in Apocalypſi vidit Angelum, qui nube amictus erat, & Iridem in capite habebat. Facies ejus erat ut Sol, & pedes ejus tanquam columnæ ignis. Pedem dextrum ponebat ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram, cap. 10. verſ. 1. ſeqq.

Per Angelum hunc intelligitur Angelus fœderis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Nube quâ amictus eſt tegit peccata noſtra, Eſa. 44. v. 22. Iris eſt reconciliationis indicium, Gen. 9. v. 13. ſplendor ſolis in facie, divinitatem indicat, eſt enim ſol juſtitiæ, Mal. 4. v. 2. Pedes quibus mare & terram ſupergreditur, dominium ejus notant, quod accepit à Patre, Pſalm. 8. verſ. 7. 8. 9. dominatur enim à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum, Pſalm. 72. verſ. 8.

Hujus dominii ſpecimen habemus in hodierno Evangelio. Videbimus

I. Exortam tempeſtatem.

II. Chriſti poteſtatem. J. J.

EXEGESIS.

QUi neſcit orare, intret mare, Veteres dixerunt. Nam quia navigantes in mari animas ſuas exiguo ligno concredunt, Sap. 14. v. 5. præſentiſſimam mortem præ oculis habent, & ſunt

Digitis à morte remoti

Quatuor aut ſeptem, ſit ſit latiſſima tæda,

Ut juvenalis loquitur. Præſertim quando ſub æſtu maris turbulentis aquilonibus modò ad cœlos usque efferuntur, modò ad abyſſos usque dejiciuntur, ut conſilii inopes

Digitized by Google

ſicut ebrii fluctuent, Pſ. 107. v. 26. 27. ibi preces ultimum ſunt refugium, ut prælecta Evangelii hodierni pericope abundè teſtatur, quâ navigatio Chriſti cum diſcipulis in mari Tiberi ad is ſuſcepta, & tempeſtas de repente ſuborta deſcribitur.

Conſideramus igitur

I. *Navigationem.*

II. *Periclitationem.*

Circa navigationem notanda venit

1. Temporis circumſtantia, quando contigerit, nempe cum Chriſtus de monte deſcendiſſet, leproſum mundaſſet, ſervum Centurionis paralyticum, & alios infirmos curaſſet, inſuper etiam variis parabolis de terra quadruplici, de zizaniis tritico intermixtis, de pretioſa margarita, &c. myſteria regni cœleſtis declaraſſet, ut ex Marco c. 4. v. 1. & 35. videre eſt. Poſt concionem illam quæſiverat ex diſcipulis. Num hæc intelligerent? illi reſpondebant: utiq; & putabant, ſe ſatis probè callere iſta omnia. Proinde Chriſtus ducit eos ad mare, & magnam tempeſtatem oriri ſinit, ut reipsâ experiantur, fidem ſuam adhuc eſſe modicam, & progreſſus in Schola Chriſti exiles, quo fine adhuc hodie Eccleſiam Cruci ſubjicit, ut fides noſtra ad praxin deducatur. Nam vexatio dat intellectum, Eſ. 28. v. 19.

2. Diſcipulorum concomitantia. Nam diſcipuli ſequebantur eum, inquit Evangeliſta. Crux & calamitas tam pulchrum eſt κειμήλιον, quod hoſtibus ſuis Chriſtus non vult concedere, ſed amicos & diſcipulos ſuos hâc ſarcinâ dignatur. Ipſe præit & circumſpicit, an ſequamur, ſi quis vult poſt me venire, inquit, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, Matth. 16. verſ. 24.

Non relinquit nos orphanos, ſed ipſe navim tribulationis ingreditur, & in quo paſſus eſt, auxiliari novit iis, qui tentantur. Ebr. 2. v. 18.

Premit te paupertas, Chriſtus egenus factus eſt propter nos, cum dives eſſet, ut nos illius inopiâ diteſceremus, 2. Cor. 8. v. 9.

Exilium pateris, Chriſtus ſtatim in infantia fugam capeſſere coactus eſt, ut nobis veram tranquillitatem cœleſtis Patriæ recuperaret, Joh. 14. v. 3.

Vexat te fames & ſitis, Chriſtus idem perpeſſus eſt, Matth. 4. v. 2. Joh. 4. v. 6.

Rependit tibi mundus pro beneficiis calumnias & perſecutionem, hoc ipſum quoq; Chriſtus expertus eſt, Luc. 4. verſ. 29. & 11. verſ. 15.

In ſumma: Talem Pontificem non habemus, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, ſed tentatum per omnia pro ſimilitudine, absque peccato, adeamus ergò, &c. Ebr. 4. v. 15. 16. Deinde hoc etiam plenum eſt ſolatii, quod Chriſtus ipſe diſcipulos ſuos ad mare ducit, & navem conſcendere jubet. Inde enim videmus, quod caſu nihil mali nobis accidere poſſit, ſed bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ à Deo veniant, Sir. 11. v. 14. Is eſt, qui mortificat & vivificat, ad inferos ducit & reducit, 1. Sam. 2. v. 6. Hæc de navigatione.

Jam ſequitur *periclitatio*, quæ deſcribitur

1. Ratione turbinis. Nam motus magnus factus eſt in mari, inquit Evangeliſta. Marcus utitur voce λαίλαψ, c. 4. v. 37. qui procella vehemens eſt, & infernè ſurſum verſus repentè convolvitur. Hoc exaggeratur adhuc magis per adverbium ἰδὺ, quod ſemper aliquid notabile conſequi ſolet.

Hunc

Digitized by Google

Hunc turbinem Satanas excitavit, qui in aëre caliginoſo dominatur, Eph. 6. v. 12. & navem quâ Chriſtus cũ diſcipulis vehebatur, ſubmergere tentat ex inimicitia antiqua, quam in Paradiſo Deus Pater cœleſtis inter ſemen mulieris & ſerpentis poſuit, Gen. 3. verſ. 15.

Idem adhuc hodie omnes verè Chriſtiani experiri coguntur, qui navem Eccleſiæ conſcenderunt. Mox enim exurgit turbo publicus, qui per hæreſes & perſecutiones hanc navem quaſſat, utut tempore Eliæ, 1. Reg. 19. v. 1. ſeqq. mox turbo privatus, qui crucem multiplicat, & hunc corporaliter, illum ſpiritualiter affligit, ut exempla comprobant, Matth. 8. v. 6. Joh. 5. v. 5. Pſ. 116. v. 3. Job. 1. v. 15. ſeqq.

Hæc eſt ſors Eccleſiæ in hoc ſeculo. Qui ergò vult cum Chriſto navigare, ad turbines ſuſtinendos ſe præparet, 2. Tim. 3. v. 12.

2. *Ratione diſcriminis.* Nam turbo non ſolùm exurgit, qui ferveſcere facit, quaſi ollam, profundum, & mare ponit, quaſi unguenta bullirent, Job. 41. v. 22. ſed auget inſuper periculum

1. *Fluctuum copia*, quibus navis operiebatur. O quoties noſtrum Davide lamentamur Pſ. 69. v. 1. ſalvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam, veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me, & iterum Pſ. 42. v. 8. abyſſum invocat, in voce catarractarum tuarum, omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Præſertim in morte graviſſimus agon ſuperandus nobis reſtat, ubi verè fluctus tentationum implebunt naviculam cordis noſtri, eamque ſubmergere laborabunt, ſed fidelis eſt Deus, qui mare terminis ſuis circumdedit, & fluctibus imperare poteſt, uſque huc, inquit, venies, & non amplius, hîc confringes tumentes fluctus tuos, Job. 38. verſ. 11. vide etiam 1. Cor. 10. verſ. 13. quare ſimus cordati, & ſpei anchoram firmiter teneamus, Ebr. 6. verſ. 19.

2. *Chriſti incuria*, qui interim dormiebat, & quidem in cervicali, ut Marcus addit c. 4. v. 38. Frequens eſt hæc tentatio, quâ pii plerunq; exercentur. Sed apparens tantùm ſomnus eſt, non realis. Quomodo enim dormiret, qui ſemper vigilat, & vigilando Iſrael cuſtodit, Pſ. 121. v. 4. vide etiam Pſ. 34. v. 16. Pſ. 49. v. 9. Tum autem dormire dicitur, quando auxilium differt, & noſtri oblitus eſſe videtur, ut tempore diluvii, dum Noah in arca lateret, Gen. 7. v. 11. c. 8. v. 13. tempore ſervitutis Ægyptiacæ, Exod. 2. v. 23. c. 3. v. 7. & quoties auxilium ſuum diſtulit Davidi, Jobo, & aliis. Interim tamen novit tribulationes noſtras, quibus ad tempus tantùm nos exercet, ut in patiendo fortes, in precando alacres, in amando & ſperando ferventes efficiamur. Hinc Eſa. 54. v. 7. conſolatur Eccleſiam ſuam: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dixit redemptor tuus Dominus.

3. *Ratione vociferaminis.* Nam quia rebus ita ſtantibus præſentiſſimum mortis periculum diſcipuli præ oculis videbant, ad Chriſtum confugiunt, & Domine, inquiunt, ſerva nos, perimus, ut Matthæus in præſenti Evangelio ipſorum verba recenſet. Cum nondum expergiſceretur, clamant ulterius, Præceptor perimus, ut habet Lucas cap. 8. verſ. 24. Cum non poſſent eum excitare, impatientiam ſuam produnt,

Digitized by Google

dicentes: Magiſter, adeò nenihil ad te pertinet, quod perimus, ut eſt apud Marcum, c. 4. v. 38.

Hoc idem nos quoque obſervemus, cum in procelloſos afflictionum & perſecutionum fluctus incidimus:

1. *Chriſtum accedamus*, non quidem paſſibus corporis, ſed affectibus mentis, ipſe enim eſt verus ἐπιςάτης & Dominus noſter, imò magiſter ad ſalvandum, Eſa. 63. v. 1. & certiſſimam liberationem promiſit, Pſ. 50. v. 15. Pſ. 121. v. 2. 2. Paral. 20. v. 12.

2. *Dormientem expergefaciamus* non clamore externo, ſed interno devotæ orationis, quæ cœlos penetrat, & non ceſſat, donec propinquet, Sir. 35. v. 21. Non enim vocis Deus, ſed cordis auditor eſt, nec admonendus clamoribus, qui cogitationes videt, inquit Cyprianus.

3. *Calamitatem noſtram exponamus*, ingeminantes cum diſcipulis: Domine, ſerva nos, perimus.

Navicula Eccleſiæ fluctibus cooperta labaſcit. Venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c. Pſ. 79. v. 1. ſeqq. Hæretici & tyranni conjurarunt in perniciem ejus, Pſ. 83. v. 3. ſeqq. actum videtur de Eccleſia, Magiſter non eſt tibi curæ quod perimus, Domine, Domine, ſerva nos.

Navicula Reipublicæ procelloſis hinc inde fluctibus agitatur, judicium in abſynthium convertitur, Amos. 5. v. 7. lacerata eſt lex, & non pervenit uſque ad finem judicium, quia impius prævalet adverſus juſtum, Hab. 1. v. 4. Principes terræ infideles ſunt furum ſocii, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillum non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos, Eſa. 1. v. 23. vide etiam Mich. 7. v. 3. hinc pax exulat, & bella gliſcunt undique. Magiſter non eſt tibi curæ quod perimus, Domine, Domine, ſerva nos.

Navicula Oeconomica fluctuat, omnia bello conſumuntur, quæ magno labore comparavimus, maritus mortuus eſt, conjux ægrotat, panis deficit. &c. Magiſter non eſt tibi curæ quod perimus, Domine, Domine ſerva nos.

Hujuſmodi clamores Deum ad miſericordiam movent, & naufragium impediunt, Pſ. 145. v. 18. 19. Jac. 5. v. 16.

De Secundo.

Supereſt ut *de poteſtate Chriſti* etiam aliquid dicamus, quam teſtatur

I. *Diſcipulorum increpatione.* Vocabant ipſum Magiſtrum, cujus partes ſunt informatio & caſtigatio: Quia igitur hîc plus juſto timebant, & ex miraculis ejus nondum didicerant, quod omnia tradita ſint ipſi à Patre, increpat illorum

1. *Puſillanimitatem*, &, quid timidi eſtis, inquit, Ego vobiſcum ſum, me præſente non eſt quod timeatis. Eodem modo ſolatur Eccleſiam ſuam, Eſ. 41. v. 9. Pſ. 91. v. 14. 15. Matth. 18. v. 20. Hinc cum Paulo tripudiare poſſumus, Si Deus pro nobis, quis contra nos, Rom. 8. v. 31.

2. *Fidei exiguitatem.* Nam ὀλιγοπίςυς vocat, & ubi eſt, inquit, fides veſtra, ut Lucas exprimit c. 8. v. 25. Credebant quidem diſcipuli, Chriſtum ipſos poſſe eripere, aliàs non excitaſſent ipſum, ſed quia dormiebat, fides ipſorum paulatim langueſcere incipiebat. Non tamen propterea à Chriſto rejiciuntur, quod in noſtram conſolationem probè notemus. Nam infirma fides eſt etiam fides, & Chriſtum æquè apprehendit, ac fides magna & valida, proinde non eſt deſperandum. Calamum quaſſatum Dominus

minus non confringet, & linum fumigans non extinguet, Eſ. 42. v. 3.

II. *Maris tranquillatione*, quæ deſcribitur

1. *Formaliter.* Nam increpavit, inquit Evangeliſta, ventos & mare. Marcus clarius exprimit quid dixerit v. 39. nimirum: ſile & obmuteſce. Hoc ipſo Dominum maris etiam ſe declaravit, juxta vaticinium Pſ. 89. v. 26.

Xerxes compedes mari injecit, & virgis illud caſtigari juſſit, eò quod exercitum ſuum læſerat, ſed nihil profecit. Nos habemus Salvatorem, qui terminos mari præſcripſit, Pſ. 104. v. 9. cujus mandatum grando, nix, glacies & Spiritus procellarum efficiunt, Pſ. 148. v. 8. imò qui pedibus mare calcat, & eidem velut aridæ inambulat, Matth. 14. v. 25.

2. *Finaliter*

1. *Ratione maris quieſcentis.* Secuta enim eſt tranquillitas magna, ita ut ne ſemita quidem turbationis alicujus remanſerit, quod aliàs tam citò fieri non ſolet. Decet enim magnum, magna & miranda facere, inquit Origines, & poſt magnam calamitatem magna ſequitur refocillatio. Notate hoc dilecti. Non ſemper nubila, Phœbus etiam poſt nubila rurſum orietur, Tob. 3. v. 21. 22.

2. *Ratione populi præſentis*, qui admirantur & prædicant hoc inſigne miraculum, dicentes: quis eſt iſte, cui venti & mare obediunt. Hic enim verus eſt miraculorum uſus, ut cognoſcamus Jeſum Chriſtum, Joh. 20. v. ult. Proinde peccant Calviniani & Jeſuitæ, quando ex his & aliis miraculis Chriſti hominis majeſtatem & omnipotentiam videre nolunt, ſed omnem planè communicationem idiomatum in hoc myſterio rejiciunt. Miracula enim, quæ propria & divinâ virtute operatus eſt in diebus carnis ſuæ, omnes verè pios clamare faciunt cum hominibus hiſce ex hodierno Evangelio: Qualis hic eſt, cui venti & mare obediunt? Quieſcite igitur, quotquot Majeſtatem Chriſti violare ſtudetis, quieſcite ab homine, cujus Spiritus in naribus ejus, & neſcitis, quanti æſtimandus ſit, Eſa. 2. v. 22.

Dominica V. poſt Epiphaniam.

Evangelium Matth. 13. verſ. 24. 30.

CUm ingrederetur Suſanna pomarium lavatura cum duabus puellis ſub æſtu diei, nil quicquam metuit periculi, & ut magis tuta lavare poſſit, puellis mandat, quas ad oleum & ſmegma afferendum ablegabat, ut oſtia pomarii clauderent. Sed ecce duo ſenes ſeſe abſconderant in pomario, & abſentibus puellis concubitum ſollicitant, quem ubi Suſanna renuit, accuſant ipſam adulterii cum juvene admiſſi, quare ad pœnam lapidationis innocentiſſima matrona condemnatur. Hiſt. Suſan.

Huic pomario non abſimilis eſt Eccleſia, quæ hortus concluſus dicitur in Cant. 4. v. 12. ibi fons patens domui David & habitantibus

tibus Jeruſalem in ablutionem peccati & immundiciei, Zach. 13. verſ. 1. ſed Diabolus ſe abſcondit intra muros, & zizania ſpargit inter triticum. Ubi enim Chriſtus habet templum ſuum, ibi etiam Diabolus ſacellum ædificare ſolet, quod præſens Evangelii pericope ſatis abundè teſtatur.

Partes ejus tres ſunt:

Prior *continet ſpiritualem agriculturam.*

Altera *Zizaniorum mixturam.*

Tertia *famulorum curam.*

J. J.

EXEGESIS.

SIcut Noah poſt exanthlatam navigationem agriculturam incipit, & vineas plantat, Gen. 9. v. 20. Ita Chriſtus poſtquam ante octiduum cum diſcipulis ſuis navem conſcenderat, quæ fluctibus ita cooperiebatur, ut parùm abeſſet, quin ſubmergeretur. Jam de agricultura ſermonem inſtituit, & parabolicè auditoribus ſuis myſteria regni cœlorum ſub hoc involucro edifferit, juxta vaticinium Pſ. 78. v. 2.

Duo autem potiſſimùm circa I. parabolæ partem notanda ſunt.

I. *Scopus*, ad quem collimat Chriſtus, nimirum de regno cœlorum propoſuit ſibi informare diſcipulos, ut patet ex frontiſpicio prælecti Evangelii.

Per regnum cœlorum non intelligitur regnum gloriæ ſed gratiæ, nimirum ſtatus Eccleſiæ militantis in hac vita, quæ regnum cœlorum à Chriſto appellatur

1. *Ratione præſentiæ.* Sicut enim in cœlo regnat per gloriam: Ita in Eccleſia regnat per gratiam. Hæc eſt civitas illa, cujus nomen, Dominus ibi, Ezech. 48. v. 35. vide etiam Eſa. 31. v. 9.

2. *Ratione differentiæ*, quæ eſt inter regnum Chriſti, & regna mundi. Nam non ſunt hîc bona terrena, quæ periculis fortunæ ſubjacent, ſed theſauri ſpirituales, juſtitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto, Rom. 14. v. 17.

3. *Ratione cohærentiæ.* Quia nemo poteſt eſſe civis in regno gloriæ, qui non fuit civis in regno gratiæ. Foris enim ſunt canes, &c. Apoc. 22. v. 15.

Si igitur vel maximè abjecti ſumus in mundo, hoc tamen nomine gaudere poſſumus, quod in regno cœlorum cives ſumus & domeſtici Dei, Eph. 2. v. 19.

II. *Senſus.* Tria enim occurrunt in hac prima parte, quæ explicatione indigent.

Primum eſt *conſideratio hominis*, cui regnum cœlorum comparatur. Hic eſt ipſe Chriſtus, verſ. 37. qui filius hominis vocatur, quia in plenitudine temporis carnem humanam ex Maria virgine aſſumpſit, & filius hominis factus eſt, Ebr. 2. verſ. 14. Hinc aliàs vocat ſe agricolam, Zach. 13. verſ. 5. & filium agricolæ, Johan. 15. verſ. 1. unde patet agriculturæ dignitas, quæ eſt 1. à Deo ordinata, Gen. 3. verſ. 23. Sir. 8. verſ. 16. 2. à Chriſto ſanctificata, per parabolos, & ea quæ ſupra ex Zach. 13. verſ. 5. & Johan. 15. v. 1. allegata ſunt. 3. à magnis viris approbata, Geneſ. 9. verſ. 20. cap. 26. verſ. 12. Jud. 6. verſ. 11. Ruth. 2. verſ. 3. 2. Chron. 26. verſ. 10. 1. Chron. 22. verſ. 20. 4. ſæpe ſublimata, ut docet exemplum Gideonis, Jud. 6. verſ. 14. Eliſæi, 1. Reg. 19. verſ. 19. Lucii Quinti Cincinnati, Primiſlai & aliorum, qui ab aratro ad ſumma honorum faſtigia evecti ſunt.

Hæc

Hæc agricolis ſolatium præbent efficaciſſimum. Nam licet in ſtatu vili & laborioſo degant in his terris, ſunt tamen in ſtatu bono & honeſto, qui Deo probatur, & ſi faciunt, quæ Sparta illa requirit, de benedictione divina certiſſimas promiſſiones habent, Pſ. 65. verſ. 10. ſeqq. Oſ. 2. v. 21. 22. Deut. 28. v. 3.

Secundum eſt *conſideratio ſeminis*, per quod intelliguntur juxta ipſius Chriſti explicationem filii regni, v. 38. id eſt, pii & fideles, quos Deus Pater cœleſtis in filio adoptavit, & hæredes regni ſui propter Chriſtum conſtituit. Hi ſemen appellantur juxta ſtylum Scripturæ, quo omnes poſteri Abrahami, quibus cum Deus fœdus ſuum pepigit, & qui fidem eorum amplectuntur, hoc nomine ornantur, ut videre eſt Gen. 12. v. 7. c. 22. v. 17. Eſa. 41. v. 8. Pſal. 22. v. 31. cauſa eſt, quia ex verbo Dei tanquam immortali ſemine regenerantur, 1. Pet. 1. v. 23. & filii Dei fiunt, Joh. 1. v. 12.

Naturâ ſumus filii iræ, Eph. 2. v. 3. ex immundo concepti ſemine, Pſ. 51. v. 7. ſemen maledictum ab initio, nec timens aliquem, Sap. 12. v. 11. ſed in Chriſto benedicto illo ſemine benedictionem hanc conſecuti ſumus, Gen. 22. v. 18. ut nunc dici mereamur filii regni, & in hac quidem vita beneficiorum Chriſti, quæ in regno gratiæ fidelibus ſuis per verbum & Sacramenta diſtribuit, participes reddimur, in altera verò regni gloriæ hæredes erimus. Hæc eſt gratia præveniens, Pſ. 59. v. 11. quâ ipſe bonum opus non ſolùm in nobis incipit, Phil. 1. v. 6. ſed etiam perficit, confirmat & conſolidat, 1. Per 5. v. 10.

Tertium eſt *conſideratio agri fertilis*, in quem ſemen ſpargitur. Ager ille mundus eſt, inquit Chriſtus v. 38. quia Eccleſia eſt in mundo, colligitur ex mundo, & per totum mundum diſpergitur.

In V. T. terminis Judææ circumſcripta erat, ſed in N. T. totum mundum penetravit à mari ad mare, à flumine uſque ad terminos orbis terrarum, Pſ. 72. v. 8.

Nos etiam ſumus pars agri, quo jam à tempore Lutheri bonum ſemen verbi cœleſtis diſſeminatur. Videte ne ſterileſcat, & cum Jeremia ſæpius ingemiſcite: O Domine conſerva nobis verbum tuum in gaudium & lætitiam cordis noſtri, Jerem. 15. verſ. 16.

De Secundo.

Vidimus ſpiritualem Chriſti agriculturam. Videbimus etiam *Zizaniorum mixturam*. Deſcribitur autem in Evangelio prælecto

I. *Cauſa principalis*, quæ eſt Diabolus. Nam cum dormirent homines, inquit Evangeliſta, venit hoſtis ejus, & ſeminavit zizania, inter triticum, & abiit. Quibus verbis ob oculos nobis ponitur Diaboli

1. *Truculentia*, dum primò hoſtis ejus, nempe Chriſti, & poſteà in genere hoſtis appellatur, quæ hoſtilitas ex paradiſo originem trahit, Gen. 3. v. 15.

En hoſtem habemus, vos mei, qui noctes atque dies obambulat inſtar leonis rugientis, ut nos devoret, 1. Pet. 5, verſ. 8. O igitur arma lucis apprehendite, & per preces ſub tutelam Dei, vos committite, ut poſſitis ſtare contra inſidias & tela nequiſſimi, Eph. 6. v. 11. 16.

Cum Patriarcha Jacob iram fratris ſui perſentiſceret, ad cognatum ſuum confugit in Meſopotamiam, Gen. 28. v. 5. Hoc vos quoque obſervate, dilecti, & quia Diabolum

lum habetis adverſarium, ad Chriſtum confugite, qui frater & conſanguineus noſter factus eſt, & propterea in mundum venit, ut opera Diaboli deſtrueret, 1. Johan. 3. verſ. 8.

2. *Prudentia.* Nocte enim venit hominibus dormientibus, inquit Chriſtus, & hac phraſi maximam tam ſuperiorum quàm inferiorum ſocordiam indicat, quâ Satanas occaſionem captat zizania ſua hinc inde diſſeminandi. Quando enim Paſtores ſunt canes muti & non clamant, Eſa. 56. v. 10. Magiſtratus connivet & gladium ſine cauſa portat, Rom. 13. v. 4. Cæteri ſalutem & religionem nihil curant, dum aures à veritate avertunt, & ad fabulas convertuntur, 2. Tim. 4. v. 4. ibi facili negotio hoſtis zizania ſua diſſeminare poteſt. Ergò vigilate Paſtores, Ezech. 3. v. 17. ſeqq. vigilate Magiſtratus, Rom. 13. v. 4. vigilate omnes Chriſtiani, Tob. 4. v. 6. & 20. Vigilat hoſtis & vos dormietis, clamat Auguſtinus. Reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis, Jacob. 4. verſ. 7.

3. *Impudentia.* Nam ſpargit zizania ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, mitten unter dem Weytzen. Ita filii regni ſunt roſæ inter ſpinas, Cant. 2. v. 2. & ſicut oves in medio luporum, Matth. 10. v. 16. unde vera Chriſti Eccleſia comparatur convivio nuptiali, in quo deprehenditur homo non indutus veſte nuptiali, Matth. 22. v. 11. ovili in quo oves & hœdi, Joh. 10. v. 1. viti, in qua palmites fructificantes & areſcentes, Joh. 15. v. 1. domui magnæ, in qua vaſa aurea & argentea, lignea & fictilia inveniuntur, 1. Tim. 3. v. 15. 2. Tim. 2. v. 20. Horto, in quo arbores juſtitiæ, Eſa. 61. v. 3. & ſteriles, Matth. 3. v. 10. &c.

Caveamus, ne mixtione iſta hypocritarum in viſibili Eccleſiæ cœtu offendamur. Dominus novit ſuos, 2. Tim. 2. v. 19. tandem apparebit, quid ſit inter juſtum & impium, & inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei, Mal. 3. v. 18.

4. *Inſolentia.* Nam ſparſis zizaniis abiit, quaſi re bene geſtâ, & tanquam ſpiritus ſuperbus de fœcunda meſſe ſibi ipſi gratulatur. Interim homines decepti errorem ſuum non vident, ſed palliant miſeri, & zizania pro tritico venditant, ſicut adultera, quæ tergit os ſuum & dicit: non ſum operata malum, Prov. 30. v. 20. Præſertim autem ſubducit ſe Diabolus, quando conſcientia evigilat, & deceptos trepidare ſinit, dum in peccatis deſperant. Ut Cain, Saul, Judas & alii. Nam delectatur perditione, Job. 41. v. 13.

II. *Cauſa materialis*, quid nimirum homo inimicus inter triticum ſeminaverit. Ita enim ſcribit Evangeliſta: Cum dormirent homines, venit hoſtis ejus, & ſeminavit zizania inter triticum. Per zizania intelliguntur υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, ut Chriſtus explicat, filii nequam, qui ſunt ex patre Diabolo. Nam qui peccatum facit ex Diabolo eſt, 1. Joh. 3. v. 8. Venit autem ſub hoc nomine

1. *Turba hæretica*, qui tam periculoſos errores fovent & profitentur, quibus fundamenta fidei concutiuntur, 1. Timoth. 6. v. 3. Verbum eorum ſerpit ut cancer, 2. Tim. 2. v. 17. & ipſi turbant Eccleſiam, ut zizania triticum ſuffocare ſolent. Hoc didicerunt à patre Diabolo, qui homicidiâ fuit ab initio, Joh. 8. v. 44.

2. *Turba hypocritica*, quæ externæ ſanctitati ſtudet, & interim cor multis peccatis inquinatum habet. Ore dicit Domine, Domine, Matth. 7. v. 21. ſed corde maledicit, & abnegat Dominum, qui redemit nos, 2. Pet. 2. v. 1. Videamus, ne in horum

rum

rum numero reperiamur, triticum ſimus non zizania, hoc fine conditi & redempti à Deo, ut ambulemus in bonis operibus, Eph. 2. v. 10. nam omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ex Deo natus eſt, 1. Johan. 3. v. 9.

III. *Cauſa finalis*, quæ duplex hîc ponitur:

1. *Ut ſuccreſcant.* Sicut enim zizania plerumque fêlicius creſcunt quam triticum. Ita in hoc mundo florent impii, & veluti laurus viridis ſeſe erigunt, Pſ. 37. v. 35. Sed habent mercedem ſuam, Matth. 6. v. 2. Tu vide ut creſcas in fide & agnitione Dei, & tandem perfectionem aſſequaris juxta menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, Epheſ. 4. verſ. 13.

2. *Ut appareant.* Quamvis enim nocte ſeminat, tamen hoc fine ſeminat, ut zizania tandem appareant, & peſtiferâ commixtione tritico damnum inferant: Novit enim Satanas, quàm facilè per conſortium impiorum pii quoque inficiantur, Sir. 13. v. 1. Proinde cautè ambulandum eſt in hoc mundo, & dum apparent zizania, hoc agant Chriſtiani, ut fides eorum multò magis appareat coram hominibus, juxta Chriſti monitum, Matth. 5. v. 16.

De Tertio.

Reſtat pars tertia *de famulorum cura* & zelo ferventiori quo ad purgandam Eccleſiam rapiuntur. Ubi examinanda ſeſe offerunt

I. *Duplex quæſtio.* Prima occupatur circa originationem, nam Domine, inquiunt, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? unde igitur habet zizania? Unde apparet, quando pii & fideles, inprimis Eccleſiæ miniſtri afficiantur dolore, cum vident zizania, id eſt, fanaticos errores, & ſcelera quævis contra Decalogum invaleſcere: Ah Domine, inquiunt, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, unde igitur habet zizania? Eja Domine, bonum ſemen ſeminaſti, ſed quarta pars tantum fructificat. Culpa non eſt boni ſeminis, neque etiam ſeminantis, quod zizania creſcunt, ſed Diaboli & perverſæ noſtræ naturæ, quod ſuggeſtionibus diabolicis tam facilè aſſentimur & obtemperamus, Oſ. 13. v. 9.

Altera occupatur *circa eradicationem.* Nam vis, inquiunt, ut eamus, & colligamus ea, quibus verbis promptam ſuam operam patrifamilias in evellendis zizaniis offerunt. Sed proficiſcitur illa quæſtio partim ex impatientia, quâ dolent labores ſuos, quos in ſpargendo bono ſemine fideliter collocant, tam malè cedere, & triticum per zizania ſuffocari, qui quidem zelus non eſt culpabilis, ſi in terminis ſeſe continet, & ſine ſtudio propriæ vindictæ exercetur. Exempla vide Eſa. 27. v. 4. Luc. 9. v. 54. Galat. 5. v. 12. partim ex carnali prudentia, quod putabant melius fore, ſi nulla omninò zizania in agro Eccleſiæ reperiantur, non ponderantes illud Pauli effatum 1. Cor. 11. v. 19. interim zelum ſervorum imitentur in Eccleſia Paſtores, & zizania evellant verbo, Magiſtratus gladio, Patresfamiliâs virga ſive baculo, Rom. 12. v. 7. 8.

II. *Duplex reſponſio*, quâ Paterfamilias

1. *Autorem denominat*, v. 28. qui zizania ſparſit inter triticum. Hic non eſt Deus, ut Calviniani blaſphemant contra expreſſa Scripturæ dicta, Pſalm. 5. v. 5. Deut. 32. v. 4. Sirac. 15. v. 11. 12. Sed Diabolus, Sap. 2. v. 24. 2. Corinth. 4. v. 4. Hic ſeminavit in cor Caini zizania ſanguinolentiæ, Geneſ. 4. v. 8. In cor Davidis zizania malæ concupiſcentiæ,

Digitized by Google

2. Sam. 11. v. 2. in cor Ahabi zizania avaritiæ, 1. Reg. 21. v. 2. in cor Nabuchodonoſoris zizania ſuperbiæ, Dan. 4. v. 27. In cor Belzaſaris zizania luxuriæ, Dan. 5. v. 1. hinc dicitur κατ᾽ ἐξοχὴν πονηρὸς, quia ad malum tentat & inſtigat homines, Jac. 1. v. 13. 14.

2. *Servorum conſilium reprobat*, verſ. 29. ne ſimul eradicando lolium, eradicetur etiam triticum. Videte, quomodo Deus, Pater cœleſtis in gratiam piorum malis parcat, eoſdemque inter pios vivere permittat, ne forſan hi malis eorum quocunque modo implicentur, aliàs zizania jam dudum de mundo eradicata fuiſſent. Exemplo poteſt eſſe Sodoma & Gomorrha, quæ incolumis perſtitiſſet, ſi vel decem juſti ibidem reperti eſſent, Gen. 18. verſ. 32. Ita propter unicum Moſen Iſraelitis in deſertis peccantibus ad unum omnibus pepercit, Exod. 32. v. 14. vide etiam Ezech. 22. v. 30.

3. *Voluntatem ſuam explicat*, quid fieri velit, wie ers will gehalten haben/

1. *Cum lolio*, cui deputat

1. *Terminum accretionis*, & ſinite creſcere, inquit, uſque ad meſſem, quo ipſo longanimitatem & patientiam ſuam declarat. Niſi enim zizaniis ſubveniret Dei patientia, nec Matthæum de publicano Evangeliſtam, nec Paulum de perſecutore Apoſtolum, nec Magdalenam de peccatrice pœnitentem Eccleſia poſſideret, inquit Auguſtinus. Imò hâc ratione pios exercet, omnis enim malus ideò vivit, ut corrigatur, aut per eum bonus exerceatur, quod iterum Auguſtinus loquitur. Sic gentes in terra Canaan noluit penitus extirpare Dominus, ut in ipſis experiretur Iſrael, num cuſtodituri ſint viam Domini, Jud. 2. v. 21. 22. Triticum ſublatis ex agro zizaniis omnem pinguedinem terræ attrahit & torpeſcit: Ubi verò zizaniis interſperſum eſt, majori cum felicitate ac fœnore & creſcit & fructum producit, quia ſuperflua terræ pinguedo ac humiditas nimia in zizaniorum alimoniam convertitur: Ita boni ſublatis è medio impiis aut turgeſcunt, aut torpeſcunt, quando verò à malis quaſi in palæſtra exercentur, Corona ipſis ſplendidior aliquando obtinget, 2. Tim 2. v. 5.

2. *Modum collectionis*. Nam tempore meſſis, inquit, dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & ligate in faſciculos. Per tempus meſſis conſummatio ſeculi intelligitur, quæ meſſis dicitur, quia tunc omnes homines ut maturum frumentum metendi & reſecandi ſunt; Apoc. 14. v. 15. Meſſores ſunt Angeli, v. 39. quorum opera Deus in extremo die zizania eradicabit, & in faſciculos colligabit, ut pares paribus ſocientur. Videbis ibi faſciculos tyrannorum, faſciculos hæreticorum, faſciculos furum, faſciculos adulterorum, faſciculos latronum, faſciculos uſurariorum, &c. Nam æqualibus delictis pœnæ etiam æquales debentur, Sap. 3. v. 15.

3. *Finem combuſtionis*, nam in ſtagnum conjicientur ardentem ſulphure, Apoc. 21. v. 8. ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, Eſa. 66. v. 24.

2. *Cum tritico*, quod in horreum vitæ æternæ reponetur, ubi pii ſemper erunt cum Domino, 1. Theſſ. 4. v. 17. florebunt ſicut ſol, Matth. 13. v. 43. & ſicut ſplendor firmamenti, Dan. 12. verſ. 3. quod enim hîc in corruptione ſeminatum fuit, reſurget in incorruptibilitate, quod in ignominia, reſurget in gloria, 1. Cor. 15. v. 43.

Elaboremus igitur ut ſimus hîc de tritico, ut & olim eſſe poſſimus in hoc horreo: quicquid enim homo ſeminaverit, hoc etiam metet, Gal. 6. v. 7.

DO-

Digitized by Google

Dominica VI. poſt Epiphaniam.

Evangelium Matth. 17. verſ. 1. 8.

SUmmus ille Judæorum legiſlator Moſes, cum acceptis tabulis legis de monte Sinai jam deſcenderet, ut populo ſeſe cœlitùs miſſum, & à Deo ad promulgationem Decalogi deſtinatum declararet, tantâ gloriâ & majeſtate vultus ejus, Deo id permittente, reſplenduit, ut populus in eum intuitus, ſplendorem ex oculis ejus emicantem nequaquam potuerit ſuſtinere, Exod. 34. v. 29. ſeqq.

Rem non admodum diſſimilem prælecta Evangelii pericope continet, ubi non Moſes, ſed Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, ut ſe cœlitus miſſum, adeoque verum Meſſiam & Mediatorem N. T. demonſtraret, tantâ Majeſtate & gloriâ in monte Thabor refulget, ut Apoſtoli vultus ejus ſplendorem, & emicantem inde gloriam perferre non valeant, ſed timore perculſi in faciem procidunt, dum à Chriſto tanguntur & eriguntur.

Videbimus nos

I. CHriſti transfigurationem.
II. Cæleſtem inaugurationem.
III. Diſcipulorum conſternationem.

JJ.

EXEGESIS.

ISraelitæ nunquam fertilitatem terræ promiſſionis & ubertatem agrorum credere voluerunt, donec exploratores ingentem invecte botrum, ſpecimen, unde de reliqua ejus abundantia judicarent, attuliſſent, Num. 13. v. 1. ſeqq.

Si dubitaſtis hactenus de gloria & felicitate, quæ in cœleſtibus habitaculis repoſita eſt, huc accedite, & botrum ibi reſpectum in monte Thabor aſpicite, quod tantæ magnitudinis eſt, ut Petrus extra ſe quaſi poſitus, & ſtupore defixus nihil unquam ſimile vidiſſe ſponte profiteatur.

Magis tamen apparebit botri illius cœleſtis decor, & gloria, ſi conſiderentur circumſtantiæ, quæ ad hanc transfigurationem pertinent, & quidem

1. *Perſona præcellentia.* Non enim Moſis, de quo in Exordio diximus, non Eliæ, 2. Reg. 2. v. 11. non protomartyris Stephani, Actor. 6. v. 15. Sed ipſius Chriſti transfiguratio hîc deſcribitur, ut recordemur ſimul iſtius gloriæ, quæ nobis in vita æterna aliquando continget, ubi corpora noſtra glorioſo corpori ejus conformabuntur, ut Paulus ait, Phil. 3. v. 21.

2. *Temporis convenientia*, quando facta ſit, nimirum poſt ſex dies, ut Evangeliſta teſtatur. Unde dies hi numerandi ſint curioſè non diſputabimus. Sufficit nobis ſcire, quod Chriſtus, poſtquam opera vocationis ſuæ concionando & miracula patrando per ſex dies fideliter abſolviſſet, die ſeptimo ſequente glorioſâ transfiguratione ornatus ſit: Ita nobis ſex dies deputati ſunt, quibus in ſudore & labore vocationi noſtræ incumbere oportet. Sed eſte bono animo, vos mei, quæ ſequetur, Sabbathum erit, ubi transfigurabimur cum CHriſto, & quies optata miſerias hujus vitæ excipiet. Qui

Digitized by Google

enim hîc ſeminant in lachrymis, in exultatione metent, Pſ. 126. v. 5.

3. *Teſtium ſufficientia*, qui transfigurationi interfuerunt, & hîc nominibus ſuis propriis deſcribuntur. Nam aſſumpſit Jeſus, inquit Evangeliſta, Petrum, Jacobum, & Johannem, & duxit eos ſeorſim, Hi ipſi ſunt, quos poſteà in horto Oliveti ad agonem conſpiciendum admiſit, Matth 26. v. 37.

Si vis igitur aliquando glorificari, ante omnia vide, ut diſcipulus Chriſti ſis, & crucem quam tibi immittit, patienter ſuſcipe. Petrus virum ſaxeum & cordatum, Jacobus ſupplantatorem, Johannes gratioſum denotat. Has proprietates omnes verè Chriſtiani habere debent. 1. Sint cordati, & inſtar petræ à veritate cœleſti dimoveri ſe non patiantur, Eph. 4. v. 14. 2. Supplantatores, qui carnem & Diabolum ſub pedibus contineant, & peccatum non ſinant regnare in corpore mortali, Rom. 6. v. 12. 3. gratioſi, & Deum propitium ſibi per fidem cuſtodiant, adeoque pauperibus ſe gratioſos præbeant per beneficentiam. Talibus hoſtiis placetur Deo Ebr. 13. v. 17.

4. *Loci eminentia*, ubi factum ſit, nimirum in monte excelſo, per quem omnes ferè Eccleſiæ Doctores montem Thabor intelligunt.

Tres in Scripturis ſunt montes celebres. 1. Mons Sion, ubi lex promulgata eſt. 2. Mons Sina, ubi arx Davidis extructa eſt. 3. Mons Thabor, ubi Chriſtus glorificatus eſt. Si vis aliquando cum Chriſto in monte Thabor glorificari, jam aſcende montem Sinai, & juxta legem ibi promulgatam facta tua examina cum Civibus Hieroſolymitanis in captivitate Babylonica, Thr. 3. v. 40. non tamen in hoc monte tibi erit ſubſiſtendum, ut Judas fecit, & deſperavit, ſed pergendum ulterius & fugiendum ad montem Sion è quo Evangelium exiit, Eſa. 3. v. 3. ubi Chriſtus reſidet qui Sionis myſtica lex & caput eſt, Pſ. 2. v. 6. tunc in montem Thabor aliquando nos transferet, ubi abundantia gaudiorum erit in ſeculum, Pſ. 16. v. 11.

5. *Modi evidentia*. In græco eſt vocabulum μεταμορφῶσθαι. Quo non intelligitur μεταμόρφωσις Ovidiana, talis nimirum, quâ corporis Chriſti, ut quondam Lothi uxor in ſtatuam ſalis, & baculus Moſis in ſerpentem transmutata fuerit, ſtat enim & ſtabit in æternum axioma Damaſceni: quod ὁ λόγος ſemel aſſumpſit, nunquam deponet. Sed μετασχηματισμός eſt, quem hîc Evangeliſta deſcribit, quo forma Chriſti ſervilis radiis divinæ majeſtatis illuſtrata reſplenduit. Subjectum ſplendoris hujus ponit Evangeliſta.

1. *Faciem*, quam dicit fulſiſſe inſtar ſolis. Idipſum caducis noſtris corporibus in vita æterna continget, Matth. 13. v. 43. Dan. 12. v. 3. 1. Cor. 15. v. 42.

2. *Veſtem*, quæ canduit ut lux, & ſanctitatem futuræ noſtræ beatitudinis præfiguravit. Ibi veſtes noſtræ albicabunt verè ut lux, & ſponſæ dabitur, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido juſtitiæ, Apoc. 19. v. 8. videte igitur, ut hîc transformemini renovatione mentis veſtræ per pœnitentiam, Roman. 12. v. 2. ſi transformationem illam glorioſam aliquando experiri velitis, juxta admonitionem, 1. Joh. c. 3. v. 3.

De Secundo.

FUit transfiguratio, ſequitur *inauguratio*, quæ membris quatuor potiſſimum abſolvitur.

I. Eſt *Moſis & Eliæ præſentatio*, quæ notabilis eſt

1. *Rati-*

Digitized by Google

1. *Ratione conſortii.* Nam apparebant ipſis, inquit Evangeliſta, non ſoli Chriſto, ſed Petro etiam, Jacobo & Johanni, quibus in hac transfiguratione gloriam ſuam Chriſtus conſpiciendam exhibere voluit: Ita tandem aliquando omnes pii in vita æterna videbunt Chriſtum & ſanctos Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos & martyres, nec videbunt tantùm, ſed etiam aſſociabuntur illis, tanquam cives & domeſtici cœleſtis Hieroſolymæ, Eph. 2. v. 19.

2. *Ratione colloquii.* Non enim muti apparent Moſes & Elias, ſed colloquùntur cum Chriſto de exitu, quem habiturus erat Hieroſolymis, ut Lucas addit, hoc eſt, de paſſione & morte Chriſti, quia hic articulus eſt ſcopus Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ, 1. Cor. v. 2. c. 15. v. 3. 1. Pet. 1. v. 11.

Id quod ſpeculum eſt gloriæ in vita æterna expectandæ, ubi cum Prophetis & Apoſtolis mutuos ſermones inſtituemus de ſummo illo redemptionis & ſalutis noſtræ myſterio, quod in hac vita plenè & perfectè non aſſequimur, & cantabimus canticum novum, dicentes: Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, honorem in gloriam & benedictionem, Ap. 5. v. 12.

II. *Petri exclamatio.* quâ gaudium ſuum explicat, & in monte ſemper manere deſiderat. Domine, inquit, hic bonum eſt habitare, ſi vis, faciamus tria tabernacula, tibi unum, Moſi unum, & Eliæ unum. Ita obliviſcitur omnium, quæ in mundo unquam viderat pulcra & grata, præ copia gaudii: quid igitur fiet in æterna vita, ubi non prægustum tantùm percipiemus, ut hîc Petrus, ſed perfectiſſimam & pleniſſimam ſegetem omnium bonorum cœleſtium poſſidebimus. Ibi abſterget Deus omnes lacrymas ab oculis noſtris, Eſ. 25. verſ. 8. Ap. 7. v. 17. & in æterna tabernacula nos recipiet, Luc. 16. v. 9. de quibus David Pſ. 84. v. 2. 3. Et ſicut Petrus agnoſcit Moſen & Eliam, quos anteà non viderat: Ita in vita æterna nos invicem agnoſcemus, quod Lutherus paulò ante obitum ſuum exemplo Adami Evam nunquam anteà viſam, agnoſcentis comprobavit, Gen. 2. v. 23.

III. *Nubis obumbratio.* Quia enim Apoſtoli non poterant intelligere vel ſuſtinere rationem cœleſtis gloriæ, ideo Deum nube quadam ipſos obumbrat, ſicut in revelatione gloriæ & Majeſtatis divinæ in V. T. aliquoties factum eſt. Nubes illa à veteribus ſymbolum Sp. S. appellatur, qui hîc in nube apparuit, ſicut apud baptiſmum Chriſti in ſpecie columbæ, Matth. 3. v. 16. Et ita habemus in transfiguratione hac evidentiſſimum teſtimonium SS. Trinitatis.

IV. *Patris teſtificatio.* Nam ex nube audita eſt vox: Hic eſt Filius meus dilectus in quo complacuit mihi, hunc audite. Quæ certè illuſtrem deſcriptionem perſonæ & officii Chriſti complectitur, quod ſit æternus æterni Patris Filius, Doctor & Mediator generis humani ab ipſo conſtitutus & eo fine miſſus in hunc mundum, ut conſilium Dei de ſalute noſtra nobis annunciaret, & opus redemptionis perficeret. Hunc audire debemus, quando per miniſterium ſuum nobis loquitur, Luc. 10. v. 16.

De Tertio.

SEquitur pars tertia, nimirum *diſcipulorum conſternatio* quæ deſcribitur

1. *Ratione vehementiæ.* Nam audientes hoc diſcipuli, inquit Evangeliſta, proci-

runt in facies ſuas & timuerunt valde. Nempe vocem Dei in hac infirmitate ſuſtinere non poſſumus, Exod. 20.v.19. Si vox gratiæ ita terruit Apoſtolos, quomodo terrebuntur aliquando impii, cum in ira ſua ipſos alloquetur, & in furore ſuo conturbabit illos, Pſal. 2. v. 5.

2. *Ratione diſparentia*, quam Chriſtus procurat

1. *Accedendo.* Nam ipſe eſt verus Conſolator, qui confortat manus diſſolutas & genua debilia roborat, Eſa. 35. v. 3.4.5. Sed abſque hoc mediatore Deus nobis eſt ignis conſumens, Deut. 4. v. 24.

2. *Tangendo.* Nam caro ejus eſt vivifica caro, Joh. 6.v.54. & quando tangit aliquem virtutem emittit, ut docet exemplum hæmorrhouſæ, Marc.5.v.30.

3. *Alloquendo.* Nam ſurgite, inquit, & nolite timere. Quibus verbis omnem ex cordibus illorum metum expellit. Nam verba ejus ſunt verba vitæ æternæ, Joh.6.v.68.

4. *Ratione conſequentia.* Nam levantes oculos ſuos neminem viderunt niſi ſolum Jeſum, quia in ipſo ſolo habemus omnia & ad ipſum nos Moſes, Prophetæ & Apoſtoli deducunt. Is enim tanquã Magiſter & Doctor audiendus nobis proponitur. Ergò hunc ſolum audire debemus, ſi genuini ejus diſcipuli eſſe volumus, Joh.8.v.31

Dominica Septuageſima.

Evangelium Matt. 20. *v.* 1. 16.

Poſtquam Deus hominem ad imaginem ſuam creaſſer, collocavit ipſum in horto Eden, ut beatam vitam viveret. Gen. 2.v.8. ſed propter peccatum ex paradiſo rurſum ejectus eſt, & collocavit Deus ante paradiſum voluptatis Cherubim cum flammeo & verſatili gladio ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, Gen.3.v.24. Hanc miſeriam generis humani filius Dei conſiderans, miſericordiam ſuam effudit quaſi, & novum plantavit Paradiſum, in quo ſuccus & vigor priſtinæ integritatis per miniſterium verbi & Sacramentorum ad animas noſtras rediret. Atque hæc eſt illa ſpiritualis vinea, ubi Deus Pater eſt vinitor, Deus filius vitis, Deus Spiritus Sanctus ligamen, quo palmites viti alligantur & fœcundantur.

De hac vinea diſſerit Chriſtus in præſenti pericope, quam breviter percurremus, & videbimus

I. Operariorum conductionem.

II. Mercedis diſtributionem.

J.J.

EXEGESIS.

INter varias ſimilitudines, quibus Eccleſia militans in his terris comparatur, non poſtrema eſt, quæ hodierno Evangelio proponitur, cujus ſcopus eſt exhortatorius, ut ſequamur Dei vocationem, quando nos in vineam ſuam vocat, nec meritis noſtris confidamus, ut juvenis cap. præced. v. 20. qui ſua gloriatione anſam Chriſto præbuerat ad hanc ſimilitudinem, ubi potiſſimùm conſideranda nobis occurrit

I. *Divina vocatio*, quæ eſt

1. *Gratuita.* Nam paterfamiliàs, qui eſt Pater

Pater cœleſtis, electione & vocatione ſua nos antevertit, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum & gratiam, quæ data eſt, nobis in Chriſto ante tempora ſecularia, 2. Tim. 1. v. 9. ipſe egreditur ad nos qui ſtamus in foro otioſi, & non percipimus quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. & operatur in nobis velle & perficere, Phil. 2. v. 13. Ergò prædicemus virtutem ejus, qui nos è tenebris vocavit in admirabilem ſuam lucem, 1. Pet. 2. v. 9. & ſtudeamus electionem & vocationem noſtram firmam efficere, 2. Pet. 1. v. 10.

2. Seria. Nam Paterfamiliâs exit à primo mundi manè ad extremam usque veſperam, & quotquot in foro otioſos reperit, in vineam mittit, nec quemquam abſoluto quodam decreto præterit. Id quod manifeſtiſſimum argumentum eſt, Deum ſeriò velle, ut omnes omnino homines ad agnitionem veritatis perveniant, 1. Tim. 2. v. 4. Quod obſervandum eſt contra Calvinianos, qui hypocritam & bilinguem deceptorem ex Deo faciunt, qui quidem voluntate ſigni omnes & ſingulos in vineam ſuam vocet, quos tamen voluntate beneplaciti venire nolit. Sed obſtat increpatio Patris familiâs in eos, qui ſtabant in foro otioſi, invehitur, v. 6. & inprimis juramentum Dei, quo voluntatem ſuam de reſipiſcentia peccatoris ſeriam eſſe ſatis abunde teſtatus eſt, Ezech. 18. v. 23.

3. *Continua*, quæ à ſummo manè ad veſperam usque durat; Eſa. 65. v. 2. nam ſicut tribus diſtinctis vicibus univerſum genus humanum vocavit, in Adamo, poſt diluvium & tempore Apoſtolorum. Sic adhuc hodie circa veſperam mundi exit, & per miniſterium verbi exhortatur mundum, ut Deo reconcilietur, 2. Cor. 5. v. 20.

II. *Laboris denominatio*, nempe in vineam vocat, ut ibi fodiendo operam ſuam collocent. Vinea illa eſt Eccleſia, Pſ. 80. v. 9. Eſa. 5. v. 1. & alibi paſſim, quæ vineæ comparatur

1. *Propter externam vilitatem.* Vinea nullum habet externum ſplendorem reſpectu aliorum hortorum, vitibus enim conſtat, quæ tam fragile lignum ſunt, ut ex eo ne paxillus quidem fabricari poſſit, in quo dependeat quodcunque, teſte, Ezech. 15. v. 3. Ita Eccleſia eſt puſillus grex, Luc. 12. v. 32. populus pauper & egenus, Soph. 3. v. 12. reſpectu cœtus impiorum, qui exaltantur & florent in hoc mundo, ſicut Cedri Libani, Pſal. 37. v. 35.

2. *Propter viciſſitudinis conformitatem.* Vinea hyemali tempore nullius pretii æſtimatur, verno autem tempore, cum gemmos protrudit, pulchritudo ipſius apparet. Sic Eccleſia ſuas habet viciſſitudines. Tempore Apoſtolorum præſentabat æſtatem, ubi plena meſſis vigebat, Matth. 9. v. 37. & Evangelium fructificabat in toto mundo, Col. 1. v. 6. Tempore Patrum à puritate doctrinæ paulatim diſcedentium faciem autumni præ ſe ferebat, ubi folia paulatim decidebant, per Pſeudo-Apoſtolos concuſſa, ut Paulus, Act. 20. v. 29. 30. Tempore dominantis Antichriſti, quod hyemis faciem oſtendebat, ubi vites ſub terra latebant, & ob crebras perſecutiones prodere in apricum non audebant, ut Elias tempore Jeſabelis, 1. Reg. 19. v. 9. Jam tempus veris exiſtit, ubi vinea refloreſcit, & tum demum plenè virebit cum diu expectata ætas æternæ beatitudinis advenerit, quando cœleſtis vinitor nos palmites transferet in terram benedictam, ubi tandem apparebit quod erimus, nempe Deo ſimilies, 1. Joh. 3. v. 2. & cōmunionem

Digitized by Google

munionem habebimus cum Patre & filio, 1. Joh. 1. v. 3.

3. *Propter laboris pluralitatem.* In vinea perpetuò laborandum, modò fodiendum, modò vites palis annectendæ, modò ſarmẽta tollenda, modò palmites impinguandi, & niſi perpetuò colatur, nihil fructus ex vinea ſperari poteſt: Ita quoque in Eccleſia perpetua requiritur cultura, propter reliquias carnis & peccati, quæ niſi per verbum & crucem divinitus amputentur, in vitiorum labruſcas facilè degenerant, Joh. 15. v. 2.

4. *Propter vitiorum diverſitatem.* Sicut enim in vinea palmites quidam ſunt pampinarii, quidam fructuarii: Ita in Eccleſia quidam ſunt hypocritæ, quidam verè pii, qui fructum afferunt in patientia, Luc. 8. v. 15. Palmites qui in terra jacent, uvas ad maturitatem non perducunt, proinde palis annexi in altum erigendi ſunt: Ita quoq; palmites ſpiritualis vineæ quæ ſurſum ſunt, debent quærere, Col. 3. v. 1. adhæreant verbo Chriſti, quod eſt baculus & virga, Pſal. 23. v. 4. qui enim terrena ſapiunt, horum finis eſt interitus, & gloria ipſorum in confuſionem vertitur, Phil. 3. v. 19.

5. *Propter fructus ſuavitatem.* Ut enim vinea nobiliſſimos fructus producit, nempe vinum, quod Deum in ſacrificiis, & homines in conviviis lætificat, Jud. 9. v. 13. ſic in Eccleſia inveniuntur bona præſtantiſſima, ut ſunt juſtitia, pax & gaudium in Spiritu S. Rom. 14. v. 17. Inprimis verò tres inſignes botros protrudit hæc vinea. Prima lætificat Deum, & eſt fidei firmitas, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere, Ebr. 11. v. 6. ſecunda exhilarat proximum, & eſt Chriſtiana charitas, quæ benigna eſt, & malum cogitat, 1. Cor. 13. v. 4. Tertia nos ipſos lætificat, eſt enim conſcientiæ tranquillitas. Juſtificati enim ex fide, pacem habemus apud Deum, Rom. 5. v. 1. Hæc eſt uva verè exhilarans, nempe juge ſacrificium, Prov. 15. v. 15.

III. *Mercedis ſtipulatio.* Nam denarium promittit, quo non præciſè vita æterna, ſed quævis compenſatio pietatis & bonorum operum, ſive in hac, ſive in futura vita intelligitur. Hoc exinde patet, quia denarius datur etiam murmurantibus, v. 11. at nullus murmurans regnum cœlorum accipit, locus enim ille omnis livoris atq; turbationis expers eſt, ut Chryſoſtomus inquit.

Apparet hîc iterum magnitudo divinæ beneficentiæ. Sumus aliàs debitores Dei, ut ambulemus in ſancta erga ipſum obedientia, Rom. 8. v. 12. nihilominus tamen ante debita ſervitia, quæ ipſi præſtamus in vinea, largâ retributione ex gratia compenſat, 1. Tim. 4. verſ. 8. Hoc excitet nos, ut divinæ vocationi promptè obtemperemus, & in vinea Domini fideliter laboremus; unusquisque in vocatione ſua. Quò pertinent dicta Scripturæ Joh. 5. v. 7. Eph. 2. v. 10. Tit. 2. v. 14. 1. Cor. 6. v. 11. Gal. 5. v. 24. inprimis Joh. 5. verſ. 8.

IV. *Operariorum morigeratio.* Nam 1. *Statim abeunt.* Cumprimis pactus erat Paterfamiliâs denario, poſteà non meminit certæ mercedis, ſed tantum, quod juſtum ſit ſe daturum promittit, nihilominus abeunt, & verbis nudis confidunt operarii, cogitantes, ipſum tanquam virum ingenuum labores ex æquo remuneraturum. Er werde als ein redlicher Mann ihres Schadens nit begehren. O nos felices terq; quaterq;, ſi curis omnibus ſepoſitis in vocatione noſtra ad exemplum horum mercenariorum Deo confideremus, & quod eſt officii noſtri, ſedulò tractaremus, tunc certè benedictio divina in omnibus ſpontè ſequeretur, Pſ. 127. v. 3.

2. *Aſſi-*

2. *Æſtum perferunt.* Nam uſque ad veſperam in labore perdurant: Ita nos quoque diei pondus & æſtum in vinea Domini patienter toleremus, 1. Pet. 4. v. 12. non exeundum eſt ante veſperam ex quadam impatientia, ſed perſeverandum. Nam qui perſeverat usq; ad finem ſalvus erit, Matth. 10. verſ. 22. interim Solis æſtum reſtingue ex fonte aquæ vivæ, quem Chriſtus omnibus fidelibus in Evangelio aperuit, Joh. 4. v. 14. & umbraculum quære in gratia divina, Pſal. 91. v. 4.

De Secundo.

SEquitur pars altera, quæ *mercedis diſtributionem* certis quibusdam membris complectitur. Notatur enim

I. *Tempus*, quando factum ſit, nimirum ſub veſpera. Confidite igitur vos mei, non ſemper erit tempus laboris, non ſemper durabit æſtus, ſed aliquando ſequetur veſpera, aliquando ſequetur refrigerium. Interim decurrite in ſtadio bonorum operum, 1. Cor. 9. v. 24. ſub veſperam unicuique ſuus denarius conferetur merces veſtra in cœlis copioſa erit, Matt. 5. v. 12.

2. *Modus.* Solvuntur enim mercenarii

1. *Mediatè per Procuratorem*, qui eſt filius Dei, hunc enim cœleſtis Paterfamiliàs conſtituit Dominum domus, Ebr. 3. v. 6. illi omnia in manus tradidit, Joh. 3. v. 35. & poteſtatem etiam dedit judicium faciendi, Joh. 5. v. 27.

2. *Præpoſtere*, incipiendo videlicet à poſtremis usque ad primos. Inde confirmatur parabolæ ſcopus, quod nimirum hîc non diſtribuatur merces meriti ſed gratiæ, aliàs illi, qui per unicam duntaxat horam laboraverant, eundem non accepiſſent denarium cum iis, qui pondus & æſtum diei portaverant. Quod contra Pontificios notandum eſt, qui ex hac parabola varia texunt argumenta, quod vita æterna ſit merces noſtrorum operum, contra expreſſa Scripturæ dicta, & inprimis illud Pauli, Rom. 6. v. 23.

3. *Congruè*, juxta pactum. Nam unusquisque accipiebat denarium ſuum. Rectum eſt verbum Domini, & omnia opera ejus in veritate, Pſal. 33. v. 4. non enim vult ſibi ſerviri gratis, Pſ. 61. v. 6. id quod confirmatur ex Mal. 3. v. 13. ſeqq.

3. *Eventus*, ubi notanda

1. *Quorundam murmuratio.* Quæ oritur partim ex invidentia, dum iis, qui ſaltem unam horam laboraverant, invident denarium, & putant, ſe plus accepturos. Quod certè Diabolicum vitium à Chriſtianis longè abeſſe debet, Gal. 5. verſ. 15. ubi enim zelus & contentio, ibi πᾶν φαῦλον πρᾶγμα, Jac. 3. verſ. 16. Partim ex inſolentia, dum merita ſua jactant, aliorumque meritis ſuperciliosè præferunt, quin etiam murmurant contra Patremfamiliàs, & injuſtitiæ ipſum accuſant, quaſi dignam ipſis mercedem non exſolverit. Talis erat Phariſæus, Luc. 18. verſ. 9. & Judæi, Eſa. 58. verſ. 3. ſed damnabilis eſt iſta jactantia. Cogitet potius quilibet Chriſtianus, quod omnes juſtitiæ noſtræ ſunt ſicut pannus menſtruatæ, Eſa. 64. verſ. 6. & ſi omnia fecimus, quæ præcepta ſunt nobis, nihil tamen mereri poſſumus, ſed cogimur fateri: Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus, ut Chriſtus inquit, Luc. 17. verſ. 10.

2. *Patrisfamiliàs increpatio*, quâ

1. *Pactum repetit.* Amice, inquit, non facio tibi injuriam, nonne denario pactus es mecum? Deus nemini quicquam debet, & ſi vel maximè nulla in nos conferret

præmia, tamen injuriam nobis non faceret. Nihilominus ſtipulatâ manu denarium promittit omnibus, qui in vinea ſua fideliter laborant, & ad veſperam usque perſeverant. Hoc pactum fecit nobiſcum in verbo ſuo, & firmiter ſervat, vide Lev.26. Deut.27. per totum.

2. *Libertatem ſuam aſſerit.* Tolle quod tuum eſt, inquit & abi, volo autem huic noviſſimo dare, ſicut & tibi, aut non licet mihi facere, quod volo in rebus meis. Hinc Auguſtinus: Miſeretur magna bonitate, obturat nulla iniquitate, ut nec liberatus de ſuis meritis glorietur, & damnatus non niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos diſcernit à perditis, quos in unam perditionis maſſam concreverat ab origine ducta cauſa communis. Hæc eſt εὐδοκία τῦ θελήματος ἀυτῦ. Sed non abſoluta, quod Calviniani intendunt, ſed in Chriſto ordinata, Eph.1.v.5.

3. *Invidiam reprimit.* An oculus tuus malus eſt, inquit, quod ego bonus ſim? quæ locutio eſt metonymica, quia invidia plerunq; torvo oculorum aſpectu exprimitur. Deponamus igitur invidiam, ſicut modò geniti infantes? 1. Pet. 2. verſ.1. & converſis de ſalute impetrata gratulemur exemplo Angelorum, Luc.15.v.10.

4. *Scopus*, qui in ſolidum adverſus juſtitiarios directus eſt, ut ſubjecto Chriſtus docet epiphonemate.

Notetur igitur

1. *Concluſio*, quæ in his verbis conſiſtit: Sic ultimi erunt primi, & primi erunt ultimi, quâ ſententia Phariſæos & quosvis juſtitiarios operum merita ſuperſtitioſè urgentes retundit. Dum enim primi eſſe volunt, ultimi fiunt, & è regno Dei planè excluduntur. Cæteri autem, qui à ſola Dei gratia ſubmiſſè pendent, primi evadunt, & ſalutem æternam conſequuntur, ut patet etiam ex parabola Luc.18.v.14.

2. *Annexa ratio*, quam à diverſa vocatorum & electorum ſorte Chriſtus derivat, & multi, inquit, ſunt vocati, pauci electi. Ubi per ſynecdochen vocabulum multi collectivè ſumitur pro tota hominum multitudine, prout etiam uſurpatur Dan.12.v.2. Vocatio enim ad omnes omninò homines dirigitur, Eſ.65.v.2. Prov.1.v.24. Matth.23. verſ.37. Electio verò non eſt univerſalis ſed particularis, propter ſolam incredulitatem hominum, quâ ſe plerique indignos faciunt vita æterna, Act.13.v.46.

Videamus nos, cum arcta ſit via, quæ ad vitam ducit, lata verò quæ ducit ad interitum, ut per arctam portam intrare contendamus, & paucis hisce electis aggregemur, Matth.7.v.13. Luc.13.v.24.

Dominica Sexageſima.

Evangelium Luc. 8. verſ. 4. 15.

DIvus Johannes in Apoc. c.8. verſ.13. ſcribit, ſe vidiſſe Angelum in cœli regione volitantem, qui voce magnâ inclamaverit: Væ, væ, væ, habitantibus in terra.

Per Angelum hunc intelligi poteſt primariò

matiò ipſe Chriſtus, qui eſt Angelus magni conſilii, Eſa. 9. verſ. 6. & ſecundariò omnes fideles Paſtores, qui ſunt Angeli pacis & amarè flent, quando vident ſemen verbi divini apud pleroſq; non fructificare, Eſ. 33. v. 7. Hinc trinâ exclamatione væ annunciant,

1. Obliviofis, apud quos ſemen verbi divini ſecus viam cadit, & ab avibus diripitur.

2. Superciliofis, qui propriis viribus confidunt, & tamen radicem non habent, ut ſemen quod in petram cadit.

3. Luxurioſis, qui curis hujus ſeculi, divitiis & voluptatibus tanquam ſpinis ſemen verbi divini in cordibus ſuis ſuffocant; Atque hoc ipſum videtur innuere Propheta Jer. c. 22. verſ. 29. ubi terram hanc triplicem magnâ etiam ſeveritate inclamat, O terra, inquit, terra audi verbum Dei.

Idem facit etiam Chriſtus in hodierno Evangelio, quod tribus conſtat partibus.

Prima deſcribit *Concionatoris perſonam.*
Secunda *Auditorum Coronam.*
Tertia *Concionis materiam.*

II.

EXEGESIS.

SEminator eſt ipſe Dei filius, qui in prima ſtatim creatione ex arcana majeſtatis ſuæ ſede proceſſit, & ſeminatoris quaſi perſonam induens, duplex ſemen bonum ſparſit.

Primò *naturale*, die tertio Creationis, Gen. 1. v. 11.

Secundò *ſpirituale*, quando die ſexto hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit, Gen 1. verſ. 26. quæ in primo homine ſpirituale & myſticum aliquod ſemen fuit, ex quo omnis generis ſpirituales fructus Deo grati & placentes enaſci poterant & debebant, Gal. 5. v. 22. ſupervenit verò alius ſeminator, qui zizania incredulitatis & ſuperbiæ in agrum cordis humani ſparſiti, Gen. 3. verſ. 5. quibus bonum illud ſemen originalis juſtitiæ penitus ſuffocatum eſt. Ne tamen æternum perirent homines, in plenitudine temporis humanam ſeminator ille naturam aſſumſit, & denuò exiit, ut per ſemen verbi cœleſtis virtute Sp. S. regenerati ac renovati gratiæ & vitæ iterum participes redderentur. Nam tranſiit in diebus carnis ſuæ per Judæam, Galilæam & Samariam, & ſparſit ſemen verbi cœleſtis, ut hâc ratione miniſterium N. T. in propria perſona conſecraret

1. *Alacriter*, quâvis occaſione, loco & tempore. Si modò auditores aderant, non poterat intermittere, quin aliquando concionem haberet, & ad vitam æternam rudem plebeculam erudiret.

Hîc docet è navi, juxta mare Galilææ ſub dio, auditores ſtant in littore, Marc. 4. verſ. 1. aliàs in monte, Matth. 5. & 6. in Synagogis, Matt. 5. v. 9. in templo, Matt. 21. v. 23. in ædibus privatis, Matth. 9. verſ. 12. Luc. 19. v. 9. modò in via publica, Luc. 18. v. 31. c. 24. v. 15. Conciones inſtituit.

Imitentur hoc exemplum omnes Eccleſiæ Doctores, & attendant gregi, in quo Spiritus Sanctus ipſos poſuit Epiſcopos, Act. 20. v. 28. quicquid faciunt, non ſomnolenter, ſed alacriter peragant, Eccl. 9. v. 10. Huc pertinent dicta Scripturæ, Rom. 12. v. 7. 2. Tim. 2. v. 15. c. 4. v. 5. 1. Pet. 4. v. 10. tunc accipient aliquando coronam immarceſſibilem, 1. Pet. 5. v. 4.

2. *Popular iter*. Chriſtus erat Doctor eruditæ linguæ, Eſa. 50. v. 4. in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi erant,

K 2 Col. 2.

Digitized by Google

Col. 2. v. 3. & ſi voluiſſet, angelicis linguis potuiſſet loqui, ſed demittit ſe ad captum auditorum, & ſtylo ſimplici per parabolas myſteria regni ſui proponit, ut hoc docendi modo Eccleſiæ miniſtris normam præſcriberet, ſecundum quam ipſi quoque non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & potentiæ ſermones ſuos ad populum inſtituerent, ut de ſeipſo ſcribit, 1. Cor. 2. v. 1.

3. *Affectualiter*, & diverſum auditorum ſuorum in audiendo verbo divino ſtudium graviter perſtringit, quia videbat non omnes pari intentione acceſſiſſe. Hinc clamat ſub finem parabolæ: Qui habet aures ad audiendum audiat. Ita quilibet concionator, cum zelo quodam ſuggeſtum conſcendere, & pro auditorum conditione ſermones ſuos prudenter informare debet, ne ſit ſal fatuum, quod condire neſciat, Matth. 5. v. 13.

De Secundo.

Vidimus Concionatoris perſonam, videbimus etiam *Auditorum Coronam*, qui deſcribuntur in Textu

1. *Ratione quantitatis.* Nam convenerat turba plurima, inquit Evangeliſta, & *κατὰ πόλιν* ad Chriſtum properabant.

Erubeſcant noſtri homines. Turba hæc aliquot milliaria ad Chriſtum proficiſcitur, ut conciones ipſius audiret. Nos præ foribus habemus, & tamen audire nolumus. Hoc vindicabit Dominus, & famem immittet audiendi verbum Dei, Amos 8. v. 11. imò planè auferet regnum, & ad gentes migrabit, qui meliores fructus dabunt, Matth. 21. v. 34.

2. *Ratione qualitatis*, Notatur enim

1. *Genus*, quod non fuerint ex familia Herodis, vel Pontificum, ſed de media plebe cives, opifices & agricolæ. Quid igitur mirum, ſi & hodie pauci potentes & divites & nobiles concionibus ſacris interſint? Eccleſia eſt populus pauper & egenus, Soph. 3. v. 12. non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes, 1. Cor. 1. v. 26. vide etiam Jac. 2. v. 5. nam Deus non eſt acceptor perſonarum, ſed in omni gente, qui timet Deum & juſtitiam operatur, acceptus eſt illi, Actor. 10. v. 35.

2. *Zelus.* Nam properant ad Chriſtum itinere pedeſtri, neglectis domi rebus ſuis œconomicis, adeoq; curam animarum domeſticâ cura potiorem ducunt. Apud nos hodie pietatis fervor penitus refrixit, pleriq; terrena ſectantur, & cibum animæ negligunt. Excuriamus igitur veternum hunc, & quoties campanæ pulſum audimus, toties cum hac plebecula ad templũ properemus, dicentes: Ecce Deus meus ad ſeminandum iterùm exibit: veniam ergò, ut ager cordis mei bono ſemine impleatur, aliàs turba hæc in noviſſimo die contra nos ſurget, exemplo Reginæ Auſtri, Matth. 12. v. 42.

3 *Ratione diſparitatis.* Nam diverſo ſtudio ſequuntur Chriſtum, 1. Quidam ſunt *literales*, qui exterius verbum audiunt, de ſenſu parum ſolliciti. De his Chriſtus ait: Quod datum ſit ipſis verbum noſſe per parabolas, ut videntes non videant, & audientes non audiant, in juſtam videlicet oſcitantiæ pœnam quia diſcedebant, & explicationem flocci pendebant. Aliàs voluntate antecedente ſive miſericordiæ vult Deus omnibus doctrinam Evangelii innoteſcere, ſicut omnibus eandem ſinit prædicari. Non autem vult abſolutè, & ſimpliciter, ſed cum expreſſa hac conditione, ut mediis à ſe ordinatis

Digitized by Google

natis legitimè utantur, inde conſequenter fit, ut, qui media illa contemnunt & rejiciunt, ad agnitionem veritatis non perveniant, & nudis parabolis à Deo paſcantur, quam voluntatem conſequentem ſive juſtitiæ Theologi nominant, idque non ex abſoluto aliquo decreto, ſed proprio ipſorum vitio, quia enim per verbum illuminari & emolliri noluerunt, indurationis & occœcationis pœnam juſto judicio Deus ipſis immittit, quæ graviſſima & maximè tremenda contumacibus verbi contemptoribus debita pœna eſt, Pſ.81.v.13. videmus inde, quod non omnes ſancti, qui calcant limina templi, ſed multi tantùm fallendi temporis causâ, vel jucundæ novitatis gratiâ conciones adeunt, & iiſdem vix inchoatis, nedum ad finem deductis iterum diſcendunt. Verum iſti teſte, Chriſto, ex Deo non ſunt, Joh.8. v.46. Proinde factores ſimus verbi, & non auditores tantùm, quia ſi quis auditor eſt viro coſideranti faciem nativitatis ſuæ in ſpeculo, & dum conſideravit ſe, abit ſtatim, & obliviſcitur qualis fuerit, Jac.1. v.22. 23. 24.

Secundò, quidam ſunt *ſpirituales*, qui Chriſtum accedunt, & explicationem parabolæ ab ipſo flagitant, ut Apoſtoli, v.9. His, Chriſtus inquit, datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum quia ſenſum indagant, quod ſit verbum vitæ, Joh.6. v.68. lex libertatis, Jac.2. verſ. 12. & virtus Dei ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v.16. quare non ſuperficialiter audiendum, ſed perſpiciendum, ſi efficaciam illius aſſequi velimus, Jac.1. v.25. hinc vocatur manna abſconditum, Apoc.2. v.17. cujus dulcedinem nemo percipit, niſi interiore Spiritus Sancti guſtu illud deliberaverit, juxta illud Davidis Pſal.34. v.9. Ebr.6. v.4.

De Tertio.

Reſtat concionis materia, quæ duplex eſt, & agit

1. *De agro malo.*
2. *De agro bono.*

Malus ager eſt, ubi ſemen cadit

1. *In viam*, & conculcatur, aut ab avibus devoratur, quo nomine intelliguntur ii, qui verbum negligenter audiunt, & cogitationibus alienis radicationem ſeminis cœleſtis impediunt. Tunc venit Diabolus corvus ille infernalis, & rapit verbum ex cordibus eorum, ne credant & ſalventur. O horrendum ſpectaculum! Corrigite ergò vos mei, hanc oſcitantiam, & ſeriis precibus Deum orate, ut oſtium cordis aperiat, corvos infernales abigat, & verbum auditum ſuâ gratia obſignet, ille enim habet clavem Davidis, quâ cor Lydiæ aperuit, Act.16. v.14. Hinc Chryſoſtomus: Qui pratum tranſit, florem accipit, qui hortum præterit fructum colligit, & qui à convivio ſurgit, & reliquias filiolis ſuis affert: Sic ex concione aliquid ſemper animæ tuæ domum reporta: Qui enim verbum Dei audiunt, & cuſtodiunt, hos beatos Chriſtus prædicat, Luc.8. v.15.

2. *In petram*, & à ſole uſtulatur, quod Chriſtus de iis interpretatur, qui cum gaudio verbum accipiunt, ſed radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

Tales ſunt

1. *Obſtinati*, qui indurant facies ſuas inſtar petræ, & non volunt converti, Jer.5. v.3. quemadmodum enim pluvia humectat quidem petram, ſed non mollit: Ita ejuſmodi adamantina hominum corda pluvia verbi divini tangit quidem, ſed nō penetrat, id eſt, audiunt quidem conciones legales, ſed has

propter alios inſtitutas putant, ſolatium verò Evangelii cum gaudio accipiunt, adeoque cor habent pœnitentiæ neſcium, non radicati aut fundati in caritate, multò minus Chriſtum habentes habitantem per fidem in cordibus ſuis, Eph. 3. v. 17. quod de Herode Evangeliſta commemorat Marc. 6. v. 20.

2. *Delicati*, qui tempore pacis ſanam Evangelii doctrinam agnoſcunt, ſed radices non habent, & ſub æſtu perſecutionis deficiunt. Hæc levitas Chriſtianis indigna eſt, & pœnam importat atrociſſimam, Ebr. 10. verſ. 26. quare immobiles ſimus 1. Cor. 15. v. ult. & initium ſubſtantiæ ad finem firmum retineamus, Ebr. 3. v. 14. non enim qui inceperit, ſed qui perſeveraverit ad finem ſalvus erit, Matth. 10. v. 22.

3. *Inter ſpinas* & ſuffocatur, quo nomine intelliguntur ἐπίγεια φρονοῦντες, Phil. 3. v. 19. qui negotiis hujus vitæ ita ſunt intricati, ut de ſalute animæ rarò vel certè non ſeriò cogitent. Tales ſpinæ triplices à Chriſto enumerantur.

1. *Spinæ curarum.* Sicut enim ſpinæ accreſcentes grani ariſtas quaſi circumplicando impediunt, quô minus liberè exurgere ac fructum producere queant: Ita animus hominis de terrenis ſolliciti carnalibus cogitationibus involvitur, ut nolens volens in medio quoque curſu devotionis aliò abripiatur. Nam ubi eſt theſaurus, ibi & cor hominis, Matth. 6. v. 21.

2. *Spinæ divitiarum*, illarum videlicet, quæ cum avaritia & damno proximi corraduntur. Sicut enim ſpinæ roſas quidem odoriferas producunt, ſed tamen aculeos ſub iiſdem abſcondunt, & plerumque latibula ſunt ſerpentum, bufonum, lacertarum, aliorumque animantium venenatorum: Ita quoq; divitiæ, pulcros dignitatum, honorum & abundantiæ, flores ac odores edunt, ſed lethiferos ſub iiſdem aculeos abſcondunt, & plurimorum peccatorum receptacula ſunt, unde fallaces divitiæ Matth. 13. v. 22. & radix omnium malorum appellantur, 1. Tim. 6. v. 10.

3. *Spinæ deliciarum.* Si enim quicquam eſt, quod ad ſuffocandum verbum Dei vim & potentiam habet, voluptates & deliciæ carnales eam vel maximè habent. Hinc caro & ſpiritus tanquam extremè adverſa à Paulo proferuntur, Gal. 5. v. 17.

Talis homo Deum ventrem habet, cœleſtia faſtidit, & in deliciis carnalibus omne felicitatis momentum collocat, Phil. 3. v. 19. Sed tandem tranſit cum mundo, & æternæ damnationi ſeſe mancipat, Eſ. 5. v. 13. Gal. 5. v. 21. Si quis igitur verus & genuinus Chriſti diſcipulus eſſe velit, crucifigat carnem cum omnibus concupiſcentiis ſuis, Gal. 5. v. 24. & voluptatem ſuam habeat in Deo & verbo ipſius, hæc optima portio eſt, quæ nunquam tolletur ab ipſo, Luc. 10. v. 42.

Hæc de agro malo, ſequitur bonus, per quem omnes verè Chriſtiani intelliguntur, qui

1. *Verbum frequenter audiunt.* Sicut enim ager niſi bono ſemine conſpergatur, nihil quàm ſpinas & tribulos affert: Ita ſi quis agellum cordis ſui rectè curare velit, bonum ſemen verbi cœleſtis ante omnia percipiat, neceſſe eſt.

Deus non agit nobiſcum immediatè ſed organicè, non convertit homines ἐνθουσιαστικῶς per raptum, ſed ἀκουστικῶς per verbum. Poſſet utique ſine omni medio nos ſalvare, non autem vult niſi per fidem, Johan. 3. v. 15. Marc. 16. verſ. 16. at fides non infunditur ἀμέσως, ſed per verbum accenditur. Verbum

bum autem nihil prodeſt, niſi audiatur ſicut ſemen fructum nullum affert, ſi in horreis & granariis aſſervetur, vel in ſaccis reconditum maneat. Fides igitur ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti, Rom.10. v.17. placuit enim Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, 1.Cor.1. verſ.21. proinde congreſſus publicos non deſeramus, ut quidam in uſu habent, Ebr. 10.v.25. Sed cum Davide oremus, & quotidie ingeminemus Pſal.27.v.4. unum petii à Domino, &c.

2. *Diligenter cuſtodiunt.* Sicut enim ſemen niſi abſcondatur in agro & radices agat, non progerminat: Sic verbum niſi conſervetur in corde non fructificat. Non igitur ſufficit audire, ſed oportet etiam audita conſervare, quod de Maria Matre Domini Lucas commemorat c.2.v.19.

In V. T. animalia munda erant, quæ ruminant, Lev.11.v.3. Ita verbum Dei eſt cibus animæ Matth.4.v.4. Sicut igitur cibus non nutrit niſi maſticetur, digeratur & conſervetur: Pari modo verbum Dei ruminandum, digerendum, & conſervandum eſt, ſi fructum aliquem facere debet. Ad hoc requiritur cor bonum & honeſtum, tale nimirum quod per fidem purificatum, Act.15. v.9. per Sp.S. circumciſum, Deut. 30.v.6. & per pœnitentiam innovatum ſit, Rom.12. v.2. Sicut enim vinum aceſcit, quod acido vaſi infunditur: Ita in corde terreno & ſpinis repleto ſemen verbi divini non benè conſervatur. Orandus ergò Deus eſt, ut purificet corda noſtra ſmegmate verbi ſui, quo purgat filios Levi, & colat eos quaſi aurum & argentum, ut poſteà Domino ſacrificia offerre poſſint in juſtitia, Mal.3.v.3.

3. *Fructum afferunt.* Hoc ultimum verè Chriſtianorum requiſitum eſt maximè neceſſarium. Sicut enim ſemen, quamvis in agro radices agat, creſcat etiam, culmum & ariſtas producat, ſi fructum non affert, nihil utilitatis habet, ſed tanquam ſtramen inane & vacuum ad ignem vel ad fimentum deſtinatur: Ita non ſufficit, ut verbum cœleſte auditum & conſervatum externum fidei culmen, & ſpecioſas pietatis ariſtas producat, ſed fructus etiam requiruntur, quos ſi non fert, maledictionem aliquando hæredidabit, ut ficus, Matth.21.v.19. fructus hic numerantur, Gal.5.v.22. quorum ſtudioſi ſectatores eſſe debemus, ut fidem noſtram demonſtremus, Jac.2.v.14.18. Deum glorificemus, & proximo etiam bono pietatis exemplo præluceamus, Matth.5.v.16. Et hoc fieri debet in patientia, ita vertit latinus interpres voculam ὑπομονῆς, quæ aliàs perſeverantiam ſignificat. Sicut enim ſemen in terram projectum varios tempeſtatis impetus ſuſtinere cogitur: Ita quoq; verbum Evangelii variis perſecutionibus obnoxium eſt. Quod ſi autem te quoq; fors illa tangit, eſto patiens, & tempeſtatem illam fortiter ſuſtine. Copioſa enim meſſis aliquando ſequetur, Jacob.5.v.7.

Dominica Eſto Mihi.

Evang. Luc. 18. v. 31. ad finem.

CUm Tobias junior in itinere propè fluvium Tigris pedes lavaret, & piſcis immanior ipſum vellet devorare, ipſe conſilio Angeli branchias apprehendit, & ex felle

piſcis

piſcis exenterati collyrium præparat, quo poſteà cæco ipſius patenti viſus reſtituitur, Tob.6.verſ.2.ſeqq.

Parem ferè hiſtoriam habemus in hodierno Evangelio, ubi Chriſtus Hieroſolymam proficiſcitur, quod iter propter varias ibi ſuſtinendas paſſiones ipſi periculoſum, nobis verò ſalutare eſt. Nam ſpirituale collyrium nobis præparavit, quo oculi noſtri aperiuntur, cujus beneficii typus eſt ſanatio cæci, quem in via Hieroſolymitana Chriſtus reſtituit.

Videbimus nos

I. Concionem Chriſti paſſionalem.

II. Curam cæci ſupernaturalem.

J.J.

EXEGESIS.

ZAchæus in arborem aſcendit, ut videret, quis eſſet Jeſus, Luc.19. verſ.4. Pari modo, ſi in arborem Crucis devotâ mentis elevatione aſcendamus, videbimus, quis ſit Jeſus, quàm bonus ſit, quàm miſericors, & quanto nos amore complectatur. Monet hoc vocula ecce, quam Chriſtus non abs re concioni ſuæ præmittit. Ecce, inquit aſcendimus Hieroſolymam, & perficientur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis.

Cum attentione igitur debita notetur

I. *Concionis locus*, ubi habita fuerit, nempe in via Hierichuntina, cum aſcenderet Hieroſolymas, ut illic juxta Prophetarum prædictiones pateretur & moreretur.

Hoc exemplo nos monere voluit, quænam & qualia colloquia noſtra in communi vitæ converſatione tàm domi quàm foris eſſe debeant, nempe de paſſione, morte & reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut cum Paulo judicemus, nos aliud nil ſcire, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum, 1.Cor. 2.v.2. nec in alio niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti glorciemur, Gal.6.verſ.14. quod inprimis notent ii, qui hoc tempore Bacchanalia celebrant, & compotando, ſaltando, geſticulando, indutis larvis Chriſtianum nomen proſtituunt. Nam obſcœnitas, ſtultiloquium, ſcurrilitas, Chriſtianis non conveniunt, inquit Paulus, Eph.5.v.3.4.

II. *Auditorum numerus.* Nam aſſumpſit Jeſus duodecim, inquit Evangeliſta, & ait illis. Per duodecim intelliguntur Apoſtoli, quorum erant duodecim, quos ipſe dictorum & geſtorum ſuorum teſtes immediatè vocaverat, Matth. 10.v.2. Act. 1.v.8.c.10.v.41. His exponit, quæ ipſi Hieroſolymis eventura erant: Ita nos quoque ſolitudinem cavere debemus, præſertim tempore mortis, ubi Diabolus valde operoſus eſt, ſed amicos convocemus, ut illorum præſentia & conſolatione ex Scripturis deſumpta in agone mortis animemur & erigamur, ut Jacob Patriarcha, Gen. 49. verſ.33. & Joſeph filius ejus hoc obſervarunt, Gen.50.verſ.25. Si tamen fieri non poteſt, ut aliquem ex amicis tecum habeas, ſed à patre & matre derelictum, in exilio & ſolitudine, mors te aggreditur, vide ut Chriſtum in corde retineas, qui fideliſſimus amicus eſt ſuorum fidelium, & ſicut dilexit eos à principio, ſic ad finem perdurat, Johan. 13.verſ.1. hunc alloquere per orationem, & ſpiritum tuum ipſi commenda, tunc audies cum latrone vocem illam jucundiſſimam: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo, Luc.23.v.43.

III. *Rerum pondus.* Non enim tractat ineptas & aniles fabulas, de quibus Paulus monet, 1.Tim.4.v.7. ſed arduos fidei articulos Apoſtolis ſuis proponit

I. De

I. *De paſſione*, cujus quotidiana recordatio noſtra debet eſſe meditatio, ut inquit Bernhardus. Nam propter iniquitates noſtras vulneratus eſt, ut nobis priſtinam ſalutem reſtitueret, Eſa. 53.v.5. Deſcribit autem Salvator paſſionem ſuam

1. *Ratione quantitatis.* Nam omnia inquit, conſummabuntur, quæ dicta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Unde apparet, Chriſtum non caſu, ſed definito conſilio & præſcientiâ Dei traditum eſſe, Actor. 2. v. 23. quò pertinent vaticinia, quæ in Scripturis paſſim occurrunt, Gen. 3. v.15. c.49. v.11. Pſal. 8. v. 6. & 22. v. 7. 18. ſeqq. 41. v.10. 69. v. 22. Eſai. 53. per tot. Daniel. 9. v. 26. Zach. 11. v. 12. Itemque typi, quibus paſſio Chriſti præfigurata eſt, tam perpetui quales fuerunt ſacrificia quotidie in tabernaculo & templo oblata in adumbrationem, quod pœnæ peccatis noſtris debitæ in alium trāsferantur, & quia taurorum & hircorum ſanguis non potuit tollere peccata, Ebr. 10. v. 4. ideo repetebantur ſemper. Item agnus paſchalis, vacca ruffa, hircus emiſſarius, cui peccata totius populi imponebātur; quàm temporarii, ut ſunt Iſaacus ligna portans, Gen. 22. v. 1. ſeqq. Joſephus à fratribus venditus, & in carcerem detruſus, Gen. 37. verſ. 23. 28. Serpens æneus, Num. 21. verſ. 8. 9. Simſon captivus, Jud. 16. verſ. 23. Jonas in ventre ceti, Jon. 2. verſ. 1. Hæc omnia & ſingula in paſſione Chriſti conſummata ſunt, ita ut nihil occurrat in tota paſſionis Dominicæ hiſtoria, de quo non extent in V. T. Prophetarum vaticinia. Nam Spiritus Chriſti qui fuit in Prophetis, prænunciavit eas quæ in Chriſto venturæ erant paſſiones & ſecuturas glorias, 1. Petr. 1. v. 11.

2. *Ratione qualitatis*, quod futura ſit

1. *Libera.* Nam eo ipſo, quod omnia enumerat, quæ Hieroſolymis conſummanda erant, & nihilominus tamen aſcendit, luculenter demonſtrat, quod non coactè ſed voluntariè patiatur. Hinc eſt quod in Pſalmo dicit: Ecce venio, in volumine libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam Deus meus, delectatus ſum, & lex tua in medio cordis mei, Pſal. 40. v. 8. quem locum de voluntaria oblatione Chriſti in cruce facta Epiſtola ad Hebræos rectè explicat, c. 10. v. 5. ſeqq. Vide etiam dicta ſimilia Eſa. 53. v. 7. Johan. 10. v. 17. 18. Hac ſpontanea & prompta voluntate Chriſti ſanctificati ſumus, Ebr. 10. v. 10. Sicut enim per inobedientiam primi hominis peccatores conſtituti ſunt multi: Ita per unius obedientiam juſti multi conſtituuntur, Rom. 5. v. 19. inſuper etiam hac ſuâ obedientiâ nobis exemplum reliquit, ut ſequeremur veſtigia ejus, 1. Pet. 2. v. 21. & crucem impoſitam patienter ſuſcipiamus, Matth. 16. v. 24.

2. *Congrua.* Nam Hieroſolymas aſcendit, quia Hieroſolymis pati & crucifigi debebat

1. *Propter typicam præfigurationem*, quia Iſaacus notante Auguſtino, olim etiam hîc immolari debuit, nempe in monte Moriah, ſuper quem Hieroſolyma ædificata eſt, Gen. 22. v. 2. Inprimis tamen ad ſacrificia V. T. hoc ipſo reſpectum eſt, quæ non niſi ad oſtium tabernaculi fœderis, eo per conſequens, non niſi in templo Hieroſolymitano offerri debebant, juxta mandatum Lev. 17. v. 4. Omnia autem ſacrificia V. T. fuere typi Chriſti, qui ſeipſum obtulit Deo in odorem ſuavitatis, Epheſ. 5. v. 2.

2. *Propter ſpiritualem Chriſti cum Prophetis cognationem.* Nam quia non contingit, ipſo Chriſto aſſerente, Prophetam perire extra Hieroſolymam, Luc. 13. verſ. 33.

L Con-

Congruum utique erat, ut ipſe etiam Hieroſolymis pateretur, tanquam Propheta magnus, quem Deus populo ſuo promiſerat, Deut. 18. v. 15. Luc. 7. v. 16.

3. *Propter myſticam ſignificationem.* Sicut enim Hieroſolyma in meditullio ſita eſt, & umbilicus quaſi fuit totius mundi: Ita paſſio Chriſti Hieroſolymis peracta pretium eſt orbis terrarum, & ad omnes homines ſeſe extendit. Sicut etiam Hieroſolyma eſt viſio pacis, & typus vitæ æternæ, Ap. 21. v. 2. Ita ſignificatum fuit Chriſtum paſſione ſua veram pacem & ingreſſum in cœleſtem Hieroſolymam nobis peperiſſe, Ebr. 9. v. 12.

3. *Varia.* Nam tradetur, inquit, filius hominis gentibus, nimirum Pontio Pilato, & militibus ejus, Matth. 27. v. 2. 26. Illudetur & conſpuetur, quod factum in domo Caiphæ, Matth. 26. v. 67. 68. cap. 27. v. 31. in domo Herodis, Luc. 23. v. 11. in prætorio Pilati, Matth. 27. v. 18. 19. in cruce partim à Judæis, partim à militibus, partim etiam à latrone ſiniſtro, Matth. 27. v. 39. ſeqq. de quibus illuſionibus prædixit David, Pſalm. 22. v. 7. flagellabitur, Matth. 27. v. 26. Occidetur. Id impletum eſt in crucifixione, Matth. 27. v. 35.

Varia illa ac multiplex Chriſti paſſio indicat varium ac multiplicem paſſionis fructum. Sicut enim in pretioſiſſimis medicinis multæ ſpecies ſimul conjunguntur, præſertim ſi morbi ſint complicati: Ita variæ erant morborum noſtrorum ſpiritualium ſpecies, proinde etiam in medicina his morbis oppoſita varias paſſionis ſpecies Salvator conjunxit. Gentibus traditus eſt, ut nos Patri cœleſti traderet, à quo per peccatum ſeparati eramus, Eſa. 59. v. 2. Illuſus & conſputus eſt, ut nos ab omnibus Angelis honoraremur. Flagellatus eſt, ut vibicibus ſuis nos ſanaret, Eſa. 53. v. 5. Crucifixus & occiſus eſt, ut morte ſuâ vitam nobis reſtauraret, 2. Tim. 1. v. 10.

Hoc grato pectore agnoſcamus, & ex amore reciproco Chriſto in obſequium nos tradamus. Ideo enim mortuus eſt, ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, 2. Cor. 5. v. 15.

II. *De reſurrectione.* Concio de paſſione erat ipſis ſcandalo, ideò addit prædictionem ſecuturæ ſtatim die tertio reſurrectionis. Hæc duo Scriptura ſemper conjungit. Nam ſicut traditus eſt pro delictis noſtris, ita reſurrexit propter juſtificationem noſtram, Roman. 4. verſ. 25. planè ut prædictum erat, Pſal. 110. v. 7.

Quod autem tertia die ſe reſurrecturum dicit, eventus ipſe comprobavit. Nam in paraſceve, quæ eſt dies noſtra veneris ante Solis occaſum ſepultus eſt, Matth. 27. verſ. 57. Luc. 23. v. 54. Sabbatho, qui eſt dies noſter Saturni ſub terra in monumento remanſit, in quo poſuit eum Joſephus Arimathæus, Joh. 19. v. 38. 41, illuceſcente Dominico die reſurrexit à mortuis. Ita nimirùm prædefinitum erat à Deo, Actor. 2. v. 23. quin etiam ante tertium diem reſurgere noluit, ut mora eſſet inter mortem & reſurrectionem, & mors ejus vera crederetur, ut Chryſoſtomus loquitur. Si enim primo vel ſecundo die revixiſſet, facilimè Judæi calumniari poterant ipſum non verè mortuum, ſed ecſtaſin aliquam perpeſſum fuiſſe.

Nos hoc tantùm notabimus, ut ſicut Chriſtus in paſſione oculos cordis ſui direxit ad lætiſſimam reſurrectionis cataſtrophen: Ita & nos ſub crucis pondere ad promiſſam liberationem reſpiciamus, certò perſuaſi, quod paſſiones hujus ſeculi non ſint condignæ futura gloria, Rom. 8. v. 18.

IV. *Con-*

Digitized by Google

IV. *Conſequens fructus*, qui certè perexiguus ratione diſcipulorum. Nam nihil horum intellexerunt, inquit Evangeliſta idque amplificat per per verba æquipollentia, quæ proximè ſequuntur, hoc modo: Eratq; hæc res ipſi occulta, nec cognoverunt, quæ dicebantur. Ita notante Chryſoſtomo diverſis verbis idem ter repetit, ut oſtendat, quomodo affectus intellectum impediat, nimirum affectus ille terrenus de regno Chriſti mundano, quem filii Zebedæi apertè, produnt, Matth.20.v.20. Marc.10.v.37.

Tam ſtupidi & ſtulti ſumus omnes naturâ, teſte Paulo, 1.Cor.2. v.14. proinde ingemiſcendum eſt ſemper cum Davide Pſ. 119. v.18. Domine aperi oculos meos, ut videam mirabilia legis tuæ. Ille habet optimum collyrium Apoc 3.v.18. quo oculos cordis noſtri illuminat, Eph.1. v.18.

De Secundo.

NOn immeritò Chriſtus dicitur Propheta potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo, Luc.24. v.19. Utriuſque rei exemplum habemus in hodierno Evangelio. In priore parte demonſtravit ſe *potentem in ſermone*, dum nervoſam de paſſione ſua concionem ad Apoſtolos habuit. In poſteriore verò demonſtrat *ſe potentem in opere*, quod ſit nimirum magiſter ille ſalvandi, qui cœcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam reſtituere debet, juxta vaticinium, Eſ.63. v.1.

Nos in tria membra potiora totam tractationem diſpeſcimus.

1. Se offert cœcus mendicans.
2. Chriſtus opitulans.
3. Populus glorificans.

Quod attinet cœcum mendicantem ſedet is in via propè civitatem Jericho. Marcus cap.10. v.46. Bartimæum appellat. Is cum ex aliis audiret Jeſum Nazarenum præterire, quanto poteſt animi & vocis clamore auxilium ejus implorat. Jeſu fili David miſerere mei.

Ex cœci hujus conſideratione apparet

1. *Peccati ſtipendium*, quod eſt mors cum omnibus morbis & defectibus corporis, Rom.6.verſ.23. poſtquam enim protoplaſti noſtri contra præceptum Dei prævaricati ſunt, Gen.3. verſ.1. non tantùm imaginem Dei, ſed etiam præclaras alias corporis & animi dotes amiſerunt. Hinc Sirach. cap.25. v.33. à muliere, inquit, factum eſt initium peccati, & per illam omnes morimur.

Peccatum igitur ſola & unica cauſa eſt, quod tanta poteſtas Diabolo in homines permittitur, ut ſuam adverſus ipſos tyrannidem exerceat, & infantibus etiam in utero materno non pareat, ſed quandoque ex ſingulari Dei permiſſione lædat, ut exemplum cœci, Joh.9.v.1. & claudi, Act.3.v.2. teſtatur.

Agnoſcant hoc

1. *Ægroti*, qui morbis periculoſis vel defectibus iſtiuſmodi corporalibus à DEO viſitantur, ut ad Deum confugiant, & peccatorum veniam ab eodem petant, exemplo Ezechiæ, Eſ.38. verſ.2. in primis verò, quod ipſis Deus propter peccatum immittit patienter ferant, cum Micha c.7. v.9.

Mundus dè claudis, cœcis, & ſurdis, &c. ut plurimùm ſiniſtrè judicat, juxta verſiculum:

Rari quippi boni quos ſic natura notavit:

Sed Deus hos defectus corporis non reſpicit, modò fides adſit, quâ unicè delectatur, Jerem.5. v.3. Ebr.11. v.6. ut exemplo Jacobi claudicantis, Gen. 32. v.31. & Tobiæ cœci manifeſtum eſt, Tob.2. v.11.

Digitized by Google

2. *Sani.* Nam quid boni habeat ſanitas, languor oſtendit, inquit Hieronymus. Certè *Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibusque tuis: nil*

Divitiæ poterunt regales addere majus. Cautè igitur proſpiciendum, ne peccatis variis, inprimis autem immodicis comeſſationibus & compotationibus morbos ipſi nobis attrahamus, ſed corpora noſtra præbeamus Deo tanquam hoſtiam vivam, ſanctam, gratam & acceptam Rom.12. v.1. nam malitia tua arguit te, & averſio tua increpabit te, ut ſcias & videas, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, inquit Jer. c.2. v.19.

II. *Eluctandi compendium*, quod cœcus hic ſuo exemplo nobis inſinuat, & quatuor potiſſimum virtutes commendat, quas ſub cruce conſtituti exercere debemus.

1. Eſt, *fortis adverſa toleratio.* Non murmurat adverſus Deum, ſed in via ſedet, & auxilium Chriſti patienter expectat: Idem nos quoque decet. Non indigemur pro his quæ patimur, ſed peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia minora eſſe flagella Domini, quibus quaſi ſervi corripimur ad emendationem non ad perditionem noſtram eveniſſe credamus, ut Judith ſeniores Bethuliæ alloquitur Judit.8. v.26. ſeqq.

2. *Occaſionis obſervatio.* Nam poſtquam audit ſtrepitum populi prætereuntis, ſtudioſè percontatur, quid hoc eſſet, & quia reſpondetur ipſi, Jeſum Nazarenum tranſire, gaudium mox concipit, & proinde occaſionem hanc exoptatiſſimam non vult prætermittere, quia aliàs propter coecitatem ipſum in locis diſſitis commorantem aſſequi non poterat.

Chriſtus adhuc hodie intra fines Eccleſiæ obambulat, & per verbi ſui prædicationem magnum ubiq; ſtrepitum movet, ſicut Aaron Pontifex cymbalis ſuis, quando coram Domino ingrediebatur & egrediebatur, Exod.28. v.33.

Obſervate igitur vos mei, hanc occaſionem, & quærite Chriſtum dum propè eſt, Eſai.55. v.6. ne excludamini cum virginibus fatuis Matth.25. v.12.

3. *Fiducialis oratio.* Nam quia agnoſcit per fidem Chriſtum eſſe divinitus miſſum in has terras, ut à corporis & animæ morbis genus humanum ſalveret, ideò clamat quantum poteſt: Jeſu fili David miſerere mei, quæ quidem brevis eſt oratio, ſed nervoſa, & duas in Chriſto naturas complectitur. Quando enim Chriſtum vocat Davidis filium, ipſum verum hominem agnoſcit, ex Davidis ſtirpe natum. Quando autem reſtitutionem viſus ab eo petit, Davidis Dominum, adeoq; verum Deum ipſum agnoſcit. Docet nos ſuo exemplo, quorſum in omnibus neceſſitatibus tàm corporalibus quàm ſpiritualibus confugere debeamus, nimirum ad ſolam Dei miſericordiam, idque in nomine Chriſti, Johan.16. v.23. in quo omnes petitiones noſtræ ſunt amen & ita, 2.Cor.1. v.20.

4. *Firma perſeveratio.* Chriſtus non ſtatim audit, ſed præterit quaſi ſurdus, tum ille vocem ſuam magis intendit, & quamvis increpatur ab aliis, non tamen à clamore & precibus deſiſtit. Talis noſtra quoq; debet eſſe invocatio juxta dicta Scripturæ, Hab.2. v.3. Pſal.130. v.5. 6.

Hæc de coeco mendicante.

Sequitur *CHriſtus opitulans*, cujus deſcribitur

1. *Prompta voluntas.* Quamvis enim præterit ad primam coeci vocem ac ſi non audiret, non tamen fecit hoc eo animo, ac ſi nol-

Digitized by Google

ſi nollet ipſi auxilium ferre, ſed ut clamantem probet, & ad rogandum magis provocet, ut Hieronymus ait. Cum enim coecus clamando pergeret, ecce ſtat Chriſtus & ipſum adduci jubet, quid vis, inquit, ut faciam tibi? Ita affectus eſt adhuc hodie ergà omnes fideles, qui ſub cruce auxilium ejus implorant, Pſalm.145. verſ.18,19. Sol ſtetit ad preces Joſuæ, Joſ.10. v.13. Ita ſtat etiam ſol juſtitiæ Chriſtus, Mal.4. v.2. & ſe ad preces noſtras cum omni bonitate ſua utendum fruendumque nobis offert. Nam oratio vincit invincibilem, inquit Chryſoſtomus, vide etiam Exod.32. verſ.10. Jac.5. verſ.16.

2. *Divina facultas.* Nam poſtquam deſiderium cœci cognovit, ſtatim reſpondet, recipe viſum, fides tua te ſalvum fecit, & confeſtim viſum recepit. Nam ῥήματα Chriſti ſunt πράγματα, Pſal.33. v.9.

Reſtat membrum tertium, nimirum *populus glorificans.* Nam cœcus recepto viſu Deum glorificans ſuo exemplo reliquam etiam multitudinem ad fidem, gratiarum actionem, & nominis divini glorificationem invitat. Hic eſt fructus fidei, Matth.5. v.16. Pari modo nos etiam pro acceptis beneficiis Deum glorificare debemus,

1. *Chriſtum ſequendo,* ut cœcus fecit: Nam qui ſequitur me, inquit, non ambulabit in tenebris, ſed lumē vitæ habebit, Joh.8. v.12

2. *Deo pſallendo,* juxta mandatum, Pſ.50. v.14. 1.Theſſ.5. v.18. Col.3. v.17.

3. *Proximum convertendo.* Hic eſt gratiſſimus Deo cultus, alios voce & exemplo Chriſto adducere, Jacob.5. v.19. 20.

Dominica Invocavit.

Evangelium Matth. 4. v. 1. 11.

CUm Philiſtæi caſtra metarentur adverſus Iſraelitas, egrediebatur ex caſtris Philiſtæorum gigas immanis nomine Goliath, & duellum offerebat agmini Iſraelitarum, ſed non audebat quiſquam ex toto populo inire cum hoc gigante certamen; dum venit David adoleſcens, qui funda ſua ipſum proſtravit & proprio poſtmodum gladio jugulavit, 1.Sam.17. v.4.

Gigas ille eſt imago Diaboli, qui etiam fortis armatus appellatur, Luc.11. v.21. & nec ad lanceam, nec ad arma aut loricam movetur, ſed ferrum quaſi paleam, & æs quaſi putridum lignum reputat, Job.41. v.18.

Hic etiam quadrageſimali inſultatione CHriſtum in deſerto infeſtavit, ſed funda verbi divini proſtratus & profligatus eſt. Victoria Davidis toti populo profuit: Ita nos quoque de victoria Chriſti gaudere & gloriari meritò poſſumus cum Paulo 1.Cor. 15. v.56.

Hoc duellum Chriſti & Satanæ proponitur nobis in Hodierno Evangelio, ut diſcamus à Chriſto promacho noſtro, quomodo cum tentatore Diabolo congredi ejuſdemque ictus ſtratagemata avertere queamus. Videbimus nos

I. *Congreſſus vehementiam.*
II. *Victoriæ conſequentiam.*

J.J.

Digitized by Google

EXEGESIS.

CUm lex Judæis promulganda eſſet, Moſes à populo ſemotus ivit ad montem Sinai, & abſque cibo & potu jejunus ibi manſit quadraginta dies, Exod. 24.verſ. 18.c.34. verſ 28. Ita Chriſtus Propheta ille magnus Moſi ſimilis, Deut.18. verſ. 18. voluntatem Dei annunciaturus in deſertum ſeceſſit, ibique per quadraginta dies jejunavit, & tandem in pugnam cum Diabolo deſcendit, cujus vehementiam exaggerat

1. *Conſideratio temporalis*, quando factum ſit, nimirum *τότε*, tunc, quâ voculâ reſpicit Evangeliſta ad præcedentem Baptiſmi hiſtoriam, & eo ipſo indicat, quod Chriſtus tum in arenam cum Satana deſcenderit, poſtquam trigeſimo ætatis anno à Johanne Baptismum, & à Patre cœleſti ordinariam vocationem ad miniſterium accepiſſet.

Hæc eſt ſors communis omnium Chriſtianorum, qui per baptismum Chriſto incorporati ſunt. Nam vita noſtra eſt militia ſuper terram, Job.7.v.1. Si capiti bellum intulit Diabolus, membris certè non parcet. Quare parati eſte ad pugnam, & induite armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli, Eph.6.v.11.

2. *Conſideratio localis*, ubi factum ſit, nimirum in deſerto. Marcus addit *μετὰ τῶν θηρίων*, c.1.v.13, unde colligitur, deſertum hoc procul ab hominum conſortio ſitum fuiſſe. Nam quia venerat ad peccata tollenda, par erat, ut in deſertum expelleretur ſub initium miniſterii ſui, quemadmodum hircus emiſſarius, de quo legere eſt Lev. 16. verſ. 21. Nos verò quantum poſſumus, loca ſolitaria cavere debemus, quæ in Scripturis ita deſcribuntur, quod Dæmones ibi habitare ſoleant, Eſa.13.v.21.22. propterea Deus ipſe judicavit non eſſe bonum, hominem eſſe ſolum, Gen. 2.v.18. cui aſtipulatur Salomo, Eccl.4.v.10.

3. *Conſideratio cauſalis.* Nam autor, qui Chriſtum ad pugnam hanc deduxit, eſt Spiritus Sanctus, ut Luc. c.4.v.1. clarè exprimit. Ductus verò non eſt per raptum ut Elias, 1. Reg.18.verſ.12. & Ezechiel, c.3.v.12. c.11.v.1. ſed per inſtinctum quendam ſingularem, cujus ille ductum, ſponte ſecurus eſt. Quod enim Marcus vocabulo *ἐκβάλλειν* utitur, non aliter intelligendum eſt, ac ſi operarii in meſſem dicuntur expelli, Matth. 9.v. 38. Luc.10.v.2.

Inſervit hoc noſtræ informationi, ne ipſi Diabolum ex temeritate provocemus, aut ſponte tentationes nobis fabricemus, ſed expectemus, donec à Sp. S. in deſertum expellamur, Deus enim non approbat eorum ſævitiam, qui affligunt animam ſuam, Eſa.58. verſ.5 & corpori non parcunt, Col. 2. verſ.23. ut Baalitæ ſolebant, 1. Reg.18.v. 28. Si verò à Deo ad certamen educimur, tunc habemus bonam conſcientiam, & poſſumus confidenter pugnare, hâc ſpe freti, fore, ut ſupra id, quod poſſumus, Deus nos tentari non permittat, 1. Cor. 10. verſ. 13.

4. *Conſideratio perſonalis*, qui nam ſint hi bellatores, qui in duello congrediuntur. Novimus è ſacris, Davidem, cum Goliatho, ut ſupra tetigimus, 1. Reg.17. verſ. 49. Michaelem cum Dracone, Apoc.12.v.7. Judith cum Holoferne, c.13.v.10. decertâſſe. Sed hîc videas tales duces in aciem deſcendentes, quos nemo unquam vidit.

A parte una prodit Chriſtus Jeſus unigenitus Dei filius, Joh.1.v.18. Deus fortis, Eſa. 9.verſ.6. Dominus potens in prœlio, Pſ. 24.v.8. cui omnia ſub pedibus jacent, Pſal. 8.verſ.7.

Digitized by Google

Ab altera parte erumpit Diabolus, qui vocatur Deus hujus ſeculi, 2. Cor 4. verſ. 4. princeps mundi, Johan. 14. v. 30. fortis armatus, Luc. 11. v, 21.

Res ſtupenda profectò, quod Satanas eò impudentiæ progreditur, ut cum Chriſto Jeſu, Meſſia mundi, ipſo Dei filio certare præſumat. Si hæc facta ſunt in ligno viridi, quid fiet in arido? Luc. 23. v. 31. Vigilemus igitur & oremus, ne in tentationes incidamus, Matth. 26. v. 41. & ut maximè incidamus, ne tamen ſuccumbamus, ſed per victoriam Chriſti quoque triumphemus, qui ideò tentatus eſt, ut nobis tentatis ſuccurrere poſſet, Ebr. 2. v. 18. cap. 4. v. 15.

5. *Conſideratio occaſionalis*, quâ nimirum occaſione Diabolus motus Chriſtum aggreſſus ſit. Hoc indicat Evangeliſta per quadrageſimale jejunium, unde fames tandem naturalis ſecuta eſt, quâ Diabolus ad tentationes ſuas abutitur.

Fuit hoc jejunium miraculoſum, quale etiam Moſis erat Exod. 34. v. 28. & Eliæ, 1. Reg. 19. v. 8. quo Chriſtus vocationem ſuam confirmare voluit, ne miniſterium ipſius videretur minus ac inferius miniſterio Moſis & Eliæ, quorum ipſe erat antitypus, ſicut etiam hoc fine in transfiguratione ipſius conſpiciuntur, Matth. 17. v. 3.

Commendavit autem nobis Chriſtus ſuo exemplo jejunium

1. *Spiritaale*, de quo Eſa. 58. verſ. 3.

2. *Corporale*, non *ſuperſtitioſum*, quod hoc tempore Pontificii inſtituunt, ubi à carnibus quidem abſtinent, ſed interim piſcibus & vino ſeſe ingurgitant, & ut Auguſtinus loquitur, tantum capiunt manducando, quantum non poſſunt digerere jejunando: Sed *religioſum*, quando vel ex ordinatione Magiſtratus Politici & Eccleſiaſtici ob imminentem aliquam cladem publicam jejunium certum populo præſcribitur, Eſdr. 8. v. 21. Jon. 3. v. 5. vel etiam privatim ex libertate Spiritus, aliquis certo tempore jejunat, ut David, 2. Sam. 12. v. 16. Nehemias, c. 1. v. 4. & alii fecerunt.

Tale jejunium omnibus Chriſtianis convenit. Eſt enim

1. *Carnis frenum*, quo cavetur laſcivia, Rom. 13. verſ. 14. Hinc Chryſoſtomus. Abſtinentia à cibis, inquit, propter hoc recepta eſt, ut rigorem carnis refrenet, & equum moderanti facilè parere faciat.

2. *Pietatis adminiculum*, quo ad meditationem rerum ſacrarum, ad exercitia, ad preces, &c. ardentiores & alacriores reddimur. Hinc toties Petrus monet, ut ſobrii ſimus, 1. Pet. 4. v. 8. c. 5. v. 8. abſit tamen hypocriſis, ne gloriolam humanam quæras in jejunio, Matth. 6. v. 16.

6. *Conſideratio modalis*, quæ tribus diverſis congreſſibus abſolvitur. Nam aggreditur Chriſtum

1. *Gladio diffidentiæ*, &, ſi filius Dei es, inquit, dic, ut hi lapides panes fiant. Paucis abinde diebus vox cœlitus delata erat. Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacuit mihi, Matth. 3. v. 17. Vocem hanc diſputat Chriſto Diabolus, argumento tertio à negatione propriorum eſſentialium deſumpto, quia non poſſit lapides in panes convertere. Hoc enim ſi poſſet, non opus eſſet, ut famem in deſerto pateretur. Quin etiam ulterius extendit hoc argumentum & ex relatis argumentatur hoc modo: Si Dei filius eſſes, majorem certè tui curam habiturus erat Pater cœleſtis, nec hîc in deſerto fame te contabeſcere permitteret. Sed Chriſtus apponit gladium Spiritus, eoq; nodum hunc feliciter diſſolvit. Non in ſolo pane vivit homo,

Digitized by Google

homo, ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei, Deut. 8. v. 3. Quo reſponſo diſtinguit Salvator inter modum homines alendi ordinarium, qui fit pane corporali, & extraordinarium, qui fit ſolo verbo, nutu & arbitrio divino, etiam abſque externo pane in ſumma rerum penuria, ut non ſolum exempla Moſis & Eliæ ſupra allegata, ſed Jonæ etiam in ventre ceti, Jon. 2. v. 2. & Pauli, Act. 9. verſ. 9. & aliorum, quorum ex Prophanis multos recenſet Dieter. Anal. part. 1. pag. 388. probant.

Talis tentatio in re domeſtica etiamnum valde uſitata eſt, quando nobis Diabolus perſuadere conatur, quod non ſimus apud Deum in gratia, & proinde nos inſtigat, ut filialem in Deum fiduciam abjiciamus, & illicita media vitam ſuſtentandi arripiamus. Hoc eſt ex lapidibus panem facere, & contra voluntatem Dei rebus ſuis conſulere. Sed quemadmodum Chriſtus verbo divino ſeſe erigit, & Deum etiam abſque mediis naturalibus ſe conſervare poſſe, firmiter confidit: Ita nos etiam fame preſſi impatienter adverſus Deum non murmuremus, nec mordentibus curis nos anxie excruciemus, multò minus de gratia Dei deſperemus, ſed memores effati Dominici: non ſolo pane vivit homo, &c. omnem noſtram curam in Domino jactemus, Pſ. 55. verſ. 23. certò perſuaſi, ſi innitamur vocationi noſtræ, & officium pro virili faciamus, nos non deſtitutum iri ullo bono, Pſal. 34. v. 11.

II. *Gladio inſolentiæ*, & abducit ipſum ex permiſſione Dei in pinnaculum templi ſanctæ civitatis Jeruſalem, quod, Theodorico referente, vel ambitus ille fuit, quo planum templi tectum cingebatur, ne quis prolaberetur, vel ſupremus angulus acuminatus, vel ſummum faſtigium, in quo nemo ſine diſcrimine ſubſiſtere potuit. Si filius Dei es, inquit, præcipita te deorſum, & ut eò facilius ipſi perſuadeat, allegat paragraphum ex Pſ. 91. v. 11. ſed Chriſtus ad Scripturam rurſus confugit, & quia Diabolus omiſerat, quæ ſibi non profutura videbat, Chriſtus alio teſtimonio defectum illum complet ex Deut. 6. v. 16. Dominum Deum tuum non tentabis.

Eodem genere tentationis aggreditur Diabolus Chriſti membra, & multos adhuc hodie ſuper pinnaculum templi ſtatuit, ut ambitione inflati & elati extra metas vocationis gloriolæ captandæ gratiâ vagentur & pereant. Caveamus igitur ambitionem, & humilitati ſtudeamus, ut Sirach. 3. v. 19. contenti gloriâ in domo noſtra maneamus, 2. Reg. 14. verſ. 10. nihil facientes per contentionem, vel per inanem gloriam, ſed per humilitatem alios ſuperiores nobis ipſis reputemus, Phil. 2. verſ. 3. ſuperbi enim ſunt phaſalli Diaboli, qui Rex ſuperborum dicitur, Job. 41. v. 25.

Videmus autem ex depravata Scripturæ allegatione, quale hoc ſit artificium, quando adhuc hodie Scriptura ab hæreticis vel mutilatè citatur, vel in alienum ſenſum detorquetur, nimirum à Diabolo originem trahit, qui mendax eſt ab initio, Johan. 8. verſ. 44. & in Paradiſo protoplaſtos noſtros hâc ſophiſticâ decepit, Gen. 3. verſ. 17.

Hoc didicerunt ab ipſo Pontificii, quando in Protevangelio contra hebraicam veritatem ipſa pro ipſo poſuerunt, Gen. 3. v. 15. & Calviniani, quando in quibusdam claſſicis Scripturæ locis pro alle Menſchen poſuerunt allerley Menſchen/ inprimis Tit. 2. v. 11.

III. *Gla-*

Digitized by Google

III. *Gladio opulentiæ*, & ducit ipſum in montem excelſum, ubi omnia totius mundi regna ἐν στιγμῇ χρόνου, ut Lucas notat c. 4.v.5. ipſi monſtrat, & hæc omnia, inquit, tibi dabo, ſi proſtratus adoraveris me. Hæc magna erat Satanæ impudentia, quare Chriſtus ipſum divina virtute abigit, dicens! Apage Satan, ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum ſolum adorabis, & illi ſervies, Deut.6.v.13.

Hoc idem Diabolus etiamnum audet in omnibus hominum ordinibus. In Eccleſiaſtico apud eos, qui mundo placentia prædicant. In Politico apud eos, qui fidem datam violant. In œconomico apud eos, qui proximum defraudant in contractibus ut ditescant: Hi omnes Diabolum adorant, & regna mundi verbo Dei præferunt, quod maximè cavere debemus. Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum lucretur mundum, & animæ detrimentum patiatur? Matth.16.v.26.

Quod ſi igitur Satanas aureos hosce montes in ſpeculo ſuo tibi oſtendat, & ad apoſtaſiam te ſollicitet, reſponde cum Chriſto: Vade poſt me Satan, promiſſis tuis aureis nihil apud me efficies. Poculum tuum Babylonicum aureum eſt, ſed plenum fornicationum, Apoc.17.verſ.4. fallacia ſunt & momentanea quæ promittis. Nam quicquid in hoc mundo eſt, σχῆμα eſt, 1. Cor. 7. verſ. 31. πολλὴ φαντασία, Act. 25. verſ. 23. ſtercus & vermis, 1. Macc. 2. verſ. 62. pecunia tua tecum ſit in perditionem, Actor. 8. verſ. 20. Ego Deum meum adorabo, & ei ſoli ſerviam. Nam merces ejus cum eo, & opus illius coram illo, Eſai.40. verſ.10.

De Secundo.

Sequitur *victoriæ conſequentia*, quæ penes Chriſtum eſt. Nam poſtquam ternâ vice Diabolum gladio Spiritus repreſſerat, palmam tandem obtinet, quæ duplici effecto hîc deſcribitur, quorum

I. Eſt *Diaboli præcipitium*. Nam mox ubi Chriſtus ipſi diſceſſum præcipit, diſcedere cogitur. Nam ipſe eſt fortior, qui fortem armatum ſuperare poteſt, Luc.11.v.22.

Nos verò cordis fiducia ipſi adhæreamus, & victoriam, quam tulit hic à Diabolo nobis applicemus. Nam in Chriſtum Diabolus nihil juris habebat, Joh.14. v.30. impugnando igitur Chriſtum amiſit jus ſuum, quod propter peccatum in nos habebat, quia victoria Domini eſt ſervorum triumphus, ut Hieronymus loquitur. Propter illum nos quoque vincimus, Rom. 8. v.37. & fides noſtra eſt victoria, quæ vincit mundum, 1. Joh. 5. v. 4. Deinde gladium Spiritus ad manus ſumamus, quod eſt verbum Dei, Epheſ. 6. v. 17. Tertiò diligenter oremus, Matth.26.v.41. ſi ita reſiſtimus Diabolo, fugiet à nobis, Jac.4.v.7.

II. *Angelorum ſervitium*. Nam Angeli accedebant, inquit Evangeliſta, & ſerviebant ei. Sic Deus tentationes mitigat, & lætum concedit exitum. Nam fidelis eſt, & neminem ſinit ultra vires tentari, ſed dat ἔκβασιν, ſcribit Paulus 1.Cor.10.v.13. Si unus Diabolus te oppugnavit, decem Angeli poſteà tibi ſervient, & tàm de ſuperata tentatione, quàm coronæ deſtinatione tibi gratulabuntur. Sunt enim πνεύματα λειτουργικά, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæredes erunt ſalutis, Ebr.1.v.14.

Digitized by Google

Dominica Reminiſcere.

Evangelium Matth.15. v. 21, 28.

CUm Patriarcha Jacob ex Meſopotamia rediret, & traductis uxoribus ac liberis ſuis per vadum Jacob ardentiſſimis precibus Deum invocaret, ut à manu Eſavi ipſum liberaret, qui armato milite ipſi in occurſum properabat, ecce vir quidam luctabatur cum eo, usque ad auroræ exortum. Sed vicit tandem Jacobus, & novum nomen propter victoriam illam adeptus eſt, Gen.32.v.24.

Lucta hæc Jacobi cum filio Dei eſt imago luctæ illius ſpiritualis, quam omnes illi Iſraelitæ, id eſt, verè Chriſtiani quandoque ſuſtinere coguntur in tentationibus, quas ipſis Deus immittit ad probam fidei, cujus exemplum nobis proponitur in hodierno Evangelio. Sed quemadmodum Jacob tandem vincit per fidem & orationem, Oſ.12. v.4. & novum propterea nomen reportat, quod non amplius Jacob ſed Iſrael debeat appellari, quia cum Deo & hominibus luctatus erat, Geneſ.32.v.28. Ita vincit etiam Cananæa tandem, & gloriam reportat. O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.

Nos totum ponderabimus Evangelium, quod duabus potiſſimùm partibus abſolvitur.

In *I.* Deſcribitur *Conflictus.*

In *II. Eventus.*

J. J.

EXEGESIS.

PEtrus mulierem vocat vas fragile 1. c.3. verſ.7. ſed præclara tamen facinora conſignavit Scriptura, quæ à mulieribus perpetrata ſunt, Judic.4. v.21. Judit.13.v.5. ſeqq. His omnibus præſtat Cananæa. Nam Jael, Judith, & cæteræ homines vicerunt, ſed Cananæa Chriſtum vincit invincibilem admirabili conflictu, cujus deſcriptionem accuratius intuebimur.

Occurrunt autem

1. *Temporis notatio*, quando factum ſit, nimirum poſt acrem illam cum Phariſæis & Scribis diſputationem de Traditionibus humanis, quas tanti æſtimabant ipſi, ut propter eas mandata divina transgredi non dubitarent. Quia enim fideli ſuâ informatione nihil proficiebat, ſed furorem potius hoſtium ſuorum magis magisque accendebat, Galilæam relinquit, & per fugam ex oculo hoſtium ſe paulisper ſubducit.

Docemur nos hoc exemplo, cum hoſtes veritatis certam perſequuntur perſonam, fugam eſſe licitam. Nemo enim propriam carnem unquam odio habuit, Epheſ.5. verſ. 29. inprimis hic CHriſti ſeceſſus ſpeculum nobis præbet Eccleſiæ, quæ ambulatoria eſt in his terris, & ad certum locum non alligatur, cujus typus fuit in V. T. tabernaculum portatile, quod ex uno loco in alium transferebatur, Exod.25. verſ.14.

2. *Loci ſpecificatio*, ubi factum ſit, nimirum in finibus Tyri & Sidonis, quo Chriſtus ex Galilæa ſeceſſerat. Hoc ipſo præludium quaſi fecit rejectionis populi Judaici, & vocationis gentium, de qua ſæpe hactenus ipſis concionatus fuerat, inprimis Matth.21. v.33.

v.33.43. Matth.8.v.11. conjunge locum Act. 13. v.46.qui cum reſponſo Chriſti in hodierna pericope optimè quadrat, ſiquidem Judæos filios vocat, quibus omnium primis panis, qui de cœlo deſcendit, debebatur, ſed quia rejiciebant, fames ipſis verbi cœleſtis à Deo immiſſa eſt, de qua Am.8. v.11.

Hoc repudium Judæorum nobis terrorem incutiat, ne ipſorum veſtigiis inſiſtentes eandem experiamur ſortem, & Chriſtum cum beneficiis ſuis amittamus, quod Paulus inculcat, Rom.11. v.22.

3. *Perſonarum denominatio*, quæ ſunt diſparis conditionis. Nam prodit hîc

1. *Cananæa mater*, de qua tria commemorat Evangeliſta, quæ ad conflictum hunc pertinent:

1. *Symbolum profeſſionis.* Nam Cananæa vocatur à regione Canaan, quam Deus ex juſto judicio maledictioni ſubjecerat, & propter idololatriam à ſocietate populi ſui ſequeſtraverat. Marcus græcam appellat,& patriam addit, unde fuit oriunda, nimirum ex Syrophœnica, unde Syrophœniſſa dicitur. Quæ deſcriptio religionis arguit diſcrepantiam. Nam Græci in Scriptura ſunt Ethnici, à republica Iſrael abalienati, Epheſ.2.v.12.

Videmus inde Chriſtum cum ſuis beneficiis etiam ad Ethnicos pertinere, unde non ſolùm gloria Iſraelis, ſed etiam lumen ad revelationem gentium à Simeone appellatur, Luc.2. v.32.

2. *Genus afflictionis.* Nam filia ejus à Diabolo miſerè vexabatur: in græco eſt *κακῶς δαιμονίζεται*, quo ingens tortura innuitur, quam puella hæc à Diabolo corporaliter obſeſſa toto corpore ſuſtinuit. Quilibet cogitet, quàm tragicum hoc fuerit ſpectaculum. Caveant igitur Parentes, ne vel ex levitate, vel etiam ex iracundia furias & execrationes quaſcunque in liberorum capita & ſalutem evomant, ut quidam in more habent poſitum. Nam benedictio Patris filiorum domos firmat, maledictio autem matris fundamenta eradicat, Sir. 3. verſ.11.

3. *Formula petitionis.* Nam magno clamore ad Chriſtum properat, & miſerere mei, inquit, Domine fili David. Quæ quidem brevis eſt oratio, ſed omnia adjuncta magno artificio complectitur. Orat enim

1. *Prudenter.* Non rogat Jacobum, non Johannem, non Petrum, nec chorum Apoſtolorum intendit, ſed ad fontem ipſum pergit, inquit Chryſoſtomus, & ſuam calamitatem CHriſto exponit. In quo peccant 1. Calviniani, dum naturas in Chriſto divellunt, & Chriſtum unâ adoratione invocare nolunt. Peccant etiam 2. Pontificii, dum ad ſanctos demortuos preces ſuas dirigunt, & ita relicto fonte è ciſternis vacuis aquas refocillationis haurire geſtiunt, Jer.2.v.13. Eſ.63.v.16.

2. *Reverenter.* Nam procidit coram Chriſto, ut Marcus ait c.7. v.25. & ſic provoluta indignitatem ſuam profitetur. Imitemur chariſſimi, quia manſuetorum & humilium ſemper Deo placuit deprecatio, Judith.9. v.16.

3. *Confidenter.* Nam firmiter credit, Chriſtum etiam localiter abſentem ſolo verbo Dæmonem fugere, & ſalutem filiæ reſtituere poſſe. Ita noſtræ quoque preces è vera fide, & firma cordis fiducia proficiſci debent, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere, Ebr.11.v.6.

4. *Ardenter*, dum cordis affectum magno & lamentabili clamore exprimit. Invo-

M 2 cabi-

Digitized by Google

cabimus & nos Deum in Spiritu & veritate, Johan.4.v.24. corde contrito & humiliato, Pſal.51.v.19.

5. *Indeſinenter*, & contra omnes tentationum impetus in devotione perſeverat: Ita nobis etiam perſeverandum eſt à cuſtodia matutina uſque ad veſpertinam, Pſ.130. v.6. nam inter omnes virtutes ſola perſeverantia coronatur, Apoc.2.v.10.

II *Chriſtus Archiater*, qui in mundum ideò venerat, ut opera Diaboli diſſolveret, 1.Joh.3.v.8. Hic exercet Cananæam ſupplicantem in palæſtra crucis,

1. *Tentatione taciturnitatis*, & non reſpondet verbum, adeò ut diſcipuli pro ea intercedant, dicentes, dimitte eam, quia clamoribus nos fatigat. Mirum quomodo ſe potuerit continere Dominus ad tam nervoſam & humilem orationem, qui aliàs exaudire conſuevit, antequam clamemus, Eſa.56. v.24. ſed factum eſt, ut Auguſtinus ait, non ut ei miſericordia negaretur, ſed ut deſiderium accenderetur.

Talem conflictum quotidie experiuntur multi, dum ſub cruce querulantur: Usque quò Domine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te, & non ſalvabis, Hab.1.v.2. ſed ſciant hoc non fieri ex indignatione, vel noſtri oblivione, ſed partim ad precum inflammationem, Luc.18.v.7. partim ad fidei & patientiæ probationem, ut quaſi igne coctos puriores ac juſtiores nos reddat, Pſ.12. verſ.7. partim etiam ad donorum ſuorum comendationem. Nam citò data vileſcunt, deſiderata autem diu dulcius obtinentur, inquit Auguſtinus.

2. *Tentatione particularitatis*. Nam quia Apoſtoli pro Cananæa intercedunt, reſpondet quidem, ſed duriter reſpondet, & non ſum miſſus, inquit, niſi ad oves perditas domus Iſrael.

Chriſtus duplici fine miſſus eſt, ut eſſet Redemptor, & ut eſſet Propheta & Doctor. Ratione prioris officii toti mundo miſſus eſt, Johan.3.v.16. 1.Joh.2.v.2. Sed ratione poſterioris officii tantùm Iſraelitico populo miſſus ac promiſſus eſt, unde vocatur miniſter Circumciſionis, Roman.15. v.8. & in prima diſcipulorum ablegatione eos tantùm ad Judæos miſit, Matth.10. v.5. Non igitur de officio redemptionis, ſed de miniſterio prædicationis verba Chriſti intelligenda ſunt, interim hoc reſponſum in corde hujus fœminæ ita ſonat, ac ſi planè à beneficiorum ſuorum participatione ipſam Chriſtus excludere velit. Quo ipſo præfigurantur cogitationes, quæ ſæpius in corde noſtro exſurgunt; an etiam ad nos beneficia Chriſti pertineant? an propter nos Chriſtus in mundum venerit? an etiam & nos ſimus in electorum numero? Sed quemadmodum Cananæa ſe non patitur hoc reſponſo deterreri, ſed abit ad ædes, in quas Chriſtus diverterat, & coram ipſo procumbens dicit: Domine, auxiliare mihi, quaſi dicat: miſſus ad auxilium omnibus afflictis: Ego in filia mea miſerè affligor. Ergò & mihi miſſus es. Pari ratione etiam nos ſurdis quaſi auribus ejuſmodi ſuggeſtiones de particularitate prætereamus, & reſpiciamus 1. univerſalem Patris miſerationem, Ezech. 33. v.11. 1.Tim.2. v.4. 2.Pet.3.v.9. 2. Univerſalem filii ſatisfactionem, Johan. 1. v.29. 2.Cor.5. v.15. 1.Joh.2. v.2. 3. Univerſalem Spiritus Sancti vocationem, Eſa.65. verſ. 2. Matth.11.v.28. Marc.16. v.15. nemo excludet, Oſ.13.v.9.

3. *Tentatione indignitatis*, & denuò petenti reſpondet: non eſt bonum ſumere panem filiorum & dare canibus. Judæos liberos regni Dei, ipſam canem nominat indignam,

Digitized by Google

dignam, quæ de jure liberorum participer. Hæc erat ἀκμὴ pugnæ, ubi omnia in acie novaculæ conſtituta videbantur. Quare heroicum animum induit Cananæa, & eleganti inverſione reſponſi vincit invincibilem. Fatetur ſe eſſe canem, interim ſibi petit dari quod canibus non ſolet denegari, micas videlicet miſericordiæ divinæ.

Hæc demum tentatio eſt omnium periculoſiſſima, quando indignitas noſtra nobis objicitur inter orandum, quod peccatores Deus non exaudiat, Joh.9.v.31.

Sed exemplo Cananææ non circumſpiciamus de operum meritis, ut hoc modo noſtram coram Deo juſtitiam ſtabilire velimus, Rom.10.v.3. Sed liberè profiteamur noſtram indignitatem cum Abrahamo, Geneſ.18.v.27. Daniele, c.9.v.18. & Centurione, Matth.8.v.8. & micas divinæ miſericordiæ imploremus, objicientes ipſi cum David. ſuaviſſimam invitationem ſuam, Pſ.27. v.8. Tunc certe is qui dives eſt in miſericordia, ſuperabundanter dabit plus quàm petimus aut intelligimus, Eph.3. v.20.

De Secundo.

FUit conflictus, ſequitur *eventus*, quem læta certaminis cataſtrophe quaſi coronat. Ubi notanda

1. *Chriſti exclamatio*, quâ auſteritatis ſpecie tandem ſepoſita amicam ſuam faciem oſtendit, & victricem Cananææ fidem prædicat. O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.

Videte, quanta ſit precationis vis & efficacia. Micas petit, & ecce theſauros divinæ miſericordiæ accipit. O inſtate dilecti, inſtate precando, & audietis etiam tandem aliquando vocem illam ſuaviſſimam, fiat ſicut vis: Sicut enim Joſeph ad gemitus fratrum ſe diutius cohibere non poterat, nam commovebantur viſcera, & erumpebant lacrymæ, ut textus ſonat, Geneſ.43. verſ.30. Ita cœleſtis Joſeph ad preces noſtras ſe non poteſt continere, ſed prorumpit tandem: Ego ſum JESUS frater veſter, nolite timere: Conturbata ſunt viſcera mea ſuper te, miſerans miſerabor tui, Jerem.31.v.20.

2. *Filia ſanatio.* Nam eo ipſo momento filia liberatur à dæmonio, Marc.7. verſ. 29.30. Unde apparet divinæ vocis Chriſti ἐνέργεια, quæ filiam ad Cananææ abſentem penetrat, & Diabolum expellit. Quapropter veneremur ipſum, & collaudemus Deum, qui tantam virtutem & majeſtatem homini Chriſto conceſſit, Matth.9.v.8.

Dominica Oculi.

Evangelium Luc. II. verſ. 14. 18.

CUm Simſon heros ille incomparabilis deſcenderet cum Parentibus ſuis in Thamnatha, ecce catulus leonis rugiens ipſi occurrit. Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilaceravit leonem quaſi hœdum, quamvis nil haberet in manu, Judic.14. v.5.

Admirandum profectò facinus! Sed audite dilecti, quid in hodierna pericope de CHriſto Evangeliſta commemoret, cujus typus

typus erat Simſon ille terrenus. Huic occurrit etiam Leo non corporalis, ſed infernalis, in obſeſſo aliquo homine, quem cœcum, ſurdum & mutum reddidit. At heroico zelo invadit eum, & miſeram illam ovem digito Dei ex faucibus leonis eripit, quod majori certè admiratione dignum eſt.

Intuebimur nos hiſtoriam illam propius, quæ tribus potiſſimùm partibus abſolvitur.

I. Dæmonii ejectio.
II. Miraculi acceptio.
III. Chriſti defenſio.

JJ.

EXEGESIS.

PRæſens Dominica vocatur Oculi ex Pſ. 25. v. 15. quo nomine pii Veteres reſpexerunt ad inſidias Diaboli, quibus à dextris & ſiniſtris nos ſemper oppugnat tanquam infernalis venator, Pſ. 91. v. 3. & monere voluerunt Chriſtianos, ut oculos habeant apertos & vigilantes, ad Deum, per ſerias preces directos, ſi μεθοδείας hujus venatoris effugere velint. Quem in finem ordinarunt pericopam talem, quæ tam Diaboli truculentiam quam Chriſti potentiam nobis ob oculos ponit. Nam erat Jeſus ejiciens dæmonium, inquit Evangeliſta & illud erat mutum, cumq; ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, in quibus verbis duo cumprimis ponderanda ſunt:

1. *Miſerum ſpectaculum.* Nam homo ille, qui Chriſto adducitur, erat corporaliter obſeſſus à Diabolo, & non tantùm mutus, ſed etiam ſurdus, ut vox græca κωφὸς ſubinnuit. Matthæus addit, fuiſſe ipſum quoque cœcum, c. 12. v. 22. O peſtiferam dæmonis aſtutiam, utramque viam occupavit atque obſtruxit, quibus erat ille crediturus, viſum ſcilicet atque auditum, exclamat Chryſoſtomus.

Ejusmodi poteſtatem naturaliter obtinet ſuper totum genus humanum, quod per peccatum tranſtulit in regnum ſuum, Col. 1. verſ. 13. homines per naturam ſunt quaſi ipſius palatium filii iræ, Eph. 2. v. 3. Servi peccati, Joh. 8. verſ. 34. Hoc nomine vocatur fortis armatus, quia armatur per peccata noſtra, quæ ſunt ipſius aculeus, 1. Corinth. 15. v. 55. & quemadmodum opifex in ſua officina per varia inſtrumenta pro lubitu operatur: Ita quoque Satanas in hominibus incredulis & impiis efficax eſt, & ad omnis generis flagitia ipſos impellit, Eph. 2. v. 2. 2. Tim. 2. v. 26.

Quamvis enim benigniſſimus Deus ex immenſa dilectione Filium ſuum unigenitum mundo dederit, Joh. 3. v. 16. ac per illum genus humanum ex poteſtate & regno Satanæ liberaverit, attamen Diabolus ſummis viribus renititur, & conatu quanto poteſt maximo hoc agit, ut maximam hominum partem in regno ſuo captivam detineat, ne beneficii hujus participes reddantur. Multi etiam ſponte in captivitate illa permanent, & contemnunt Dei conſilium adverſus ſemetipſos, Luc. 7. v. 30.

Hæc eſt ſpiritualis obſeſſio, quâ Chriſtiani nominis hoſtis, quos ſibi ſubjugavit, reddit cœcos, ut non videant claritatem Evangelii, 2. Cor. 4. verſ. 4. reddit ſurdos, ut aures habeant, & tamen non audiant, quod de idolis ait Pſaltes regius, Pſ. 115. v. 6. conf. Eſa. 6. verſ. 9. Jer. 6. verſ. 10. reddit mutos, ut non loquantur eloquia Dei, ſed blaſphemias, execrationes, turpiloquia, obſcœnitates, quæ ſanctos non decent, Eph. 5. v. 4. Ergò

orate,

Digitized by Google

orate, vos mei, nam ſicut Chriſtus Spiritu Dei ejecit dæmonia, ut dicit in Evangelio: Ita per preces ex vera in Chriſtum fide & Spiritus ardore profectas contra Satanæ inſidias munire nos poſſumus. Nam Spiritus S. eſt Spiritus gratiæ & precum, Zachar. 12. verſ. 10. Econtra verò ſicut civitas muris carens facili negotio ab hoſte occupatur: Ita cor hominis, quod vero DEI timore & precibus non eſt munitum & circumvallatum, facili negotio in Poteſtatem Satanæ redigitur, confer Tob. 8. verſ. 2. ubi per nidorem hepatis ex piſce Asmodæus fugatus eſſe legitur Talem vim habent etiam odoramenta precum, Apoc. 8. verſ. 3.

Leo terretur cantu galli: Ita leo infernalis precibus ex vigilanti ſpiritu profectis deterretur & abigitur, 1. Petr. 5. v. 8. 9.

2. *Inſigne miraculum.* Fortis quidem armatus eſt Satanas, ſed longè fortior Meſſias, qui ipſum expulit, unde cœco viſus, ſurdo auditus, muto loquela reſtituta fuit, adeoque quatuor ſimul in uno homine miracula perpetrata ſunt.

Evidenter hinc evincitur, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, & Magiſtrum ad ſalvandum, qui non ſolùm in diebus carnis ſuæ circumivit, & benefecit, & liberavit, qui à Satana affligebantur, Act. 10. verſ. 38. Sed adhuc pro nobis pugnat, & contra hoſtem infernalem ſuos fideles acriter defendit, nam in manibus ſuis deſcripſit eos, Eſa. 49. v. 16. conf. Eſ. 54. v. 10.

De Secundo

SEquitur miraculi acceptio, quæ eſt

1. *Dextra*, quò pertinent

1. *Admirantes.* Nam admiratæ ſunt turbæ, inquit Evangeliſta, & non ſimpliciter admiratæ ſunt, ſed ut Matthæus explicat, ἐξίσαντο, quod eſt obſtupeſcere, & de ſtatu mentis dejici, ut in raptibus fieri ſolet. Agnoſcunt igitur ex hoc miraculo Chriſtum eſſe Davidis filium, Matth. 12. verſ. 23. id eſt, verum Meſſiam, & promiſſum mundi Salvatorem; quamvis poſteà blaſphemantibus Chriſtum Phariſæis, os ſibi obturari ſinunt, & confeſſionem occultant, quod infirmitati ipſorum aſſcribimus.

Nos quando videmus Deum adhuc hodie miracula operari in cœlo, in terra, in mari, &c. non floccipendamus ea, ſed admiremur cum turbis in præſenti Evangelio, & virtutem Dei annunciemus, qui vocavit nos de tenebris in admirabile lumen ſuum, 1. Pet. 2. verſ. 9. Caveamus autem, ne in duas partes claudicemus, 1. Reg. 18. verſ. 21. Sed quod corde credimus ore quoque confiteamur, Roman. 10. v. 10. nam tepidos evomet Dominus, Apoc. 3. v. 16.

2. *Deprædicantes*, quorum fortaſſe plures fuerunt, ſed unica hîc erumpit muliercula, quæ vocem ſuam extollit, & beatus venter, inquit, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. Sed quia à Chriſto unico ſalutis noſtræ fundamento ad Mariam delabitur, acceptat quidem Chriſtus præconium illud, quatenus de felicitate & prærogativa externa accipitur, quam Maria mater Chriſti habet præ omnibus aliis mulieribus, ſed quia hoc nihil facit ad veram beatitudinem, quæ in altero ſeculo fidelibus præparata eſt, corrigit Chriſtus illam exclamationem, & imò, inquit, beati, qui verbum Dei audiunt & cuſtodiunt. Hoc eſt unicum medium, quo cuſtodimur per fidem in ſalutem, 1. Pet. 1. v. 5.

Mulier hæc ſuo nos docet exemplo, quàm facilè Deus etiam præter ſpem aliquos excitare

Digitized by Google

tare poſſit, qui gloriam ſuam annuncient, & errantibus contradicant, ſi vel maximè una tantùm ſit muliercula. Ita ſolus Moſes contradicebat incantatoribus Ægyptiacis, Exod. 7. verſ. 11. Elias Baalıticis ſacerdotibus quorum erant centúm quinquaginta, 1. Reg. 18. verſ. 19. Micha falſis Prophetis, 1. Reg. 22. verſ. 6. ſeqq. Johannes Huſſus Concilio Conſtantienſi. Lutherus toti Papatui. Non ergò moveamur; ſi populoſa malignantium caterva veritati reſiſtat. Ex ore enim infantium & lactentium ſibi laudem Deus perficere poteſt, Pſ. 8. v. 3.

2. *Siniſtra*

1. *Calumniantium*, ut ſunt Phariſæi & Scribæ, teſte Marco, c. 3. v. 22. Hi excipiunt contra propriam conſcientiam, Chriſtum ejicere dæmonia per Beelzebub principem dæmoniorum. Fuit autem Beelzebub idolum Philiſtinorum, cujus mentio fit, 2. Reg. 1. verſ. 2. quo nomine Judæi Diabolum intelligunt, gentium enim Dii ſunt dæmonia, Pſ. 96. verſ. 5. aliàs idem eſt quod Dominus ſeu Rex muſcarum, quia ſub vexillo ſuo totum exercitum Diabolorum, inſtar muſcularum per aërem volitantium, tanquam Imperator gubernat.

Diſcimus inde, nihil à morſu ſycophantarum tutum eſſe. Sed rectè faciendo neminem time, & ſi maledicorum morſus experiri cogeris, perpende, quod idem Chriſto accidit. Servus non eſt major Domino, Joh. 15. v. 20. Si Magiſtrum Beelzebub nominarunt, quid mirum ſi & miniſtros ita nominent, Matth. 10. verſ. 25. copioſa interim tibi merces in cœlo reſervatur, Matth. 5. v. 11. 12.

2. *Tentantium*, qui ſignum petunt è cœlo, ut vel ſolem ſiſtat, vel retrogredi faciat, quod utrumque contigit, illud tempore Joſuæ, Joſ. 10. verſ. 13. hoc tempore Hiſkiæ, 2. Reg. 20. v. 9. vel tonitrua excitet, ut Samuel, 1. Sam. 12. verſ. 18. vel ignem de cœlo dejiciat, ut Elias, 1. Reg. 18. v. 38. ſed hoc ipſo ſtultitiam ſuam produnt, dum miracula petunt in ipſis miraculis, cujus farinæ ſunt etiam hodierni Pontificii, dum ſub clariſſimam Evangelii lucem, quæ hodie reſplenduit, miracula à nobis flagitant. Sed quod Chriſtus Phariſæis reſpondebat Matt. 12. v. 39. idem habeant ſibi à nobis: Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei. Nam contenti ſumus ſignis & miraculis Apoſtolorum, quibus doctrinam noſtram confirmarunt. Et certiſſimum hoc Antichriſti ſignum eſſe nobis certò perſuademus, cujus adventus erit ſecundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis & prodigiis mendacibus, 2. Theſſ. 2. v. 9.

De Tertio.

Reſtat ut examinemus *Chriſti apologiam & defenſionem*, quæ eſt

I. *Refutatoria*, contra Phariſæorum & Scribarum calumniam potiſſimùm directa, & quinque conſtat argumentis.

1. Deſumitur *ab incommodo*, verſ. 17. 18. hoc modo: Si per Beelzebub ejicio dæmonia, ut vos dicitis, Satanas adverſus ſeipſum diſſidet. At Satanas adverſus ſeipſum non diſſidet, Ergò nec ego per Beelzebub ejicio dæmonia. Aſſumptionem Chriſtus probat inde, quia regnum ejus ſtat inconcuſſum, illud autem fieri non poſſet, ſi bella & diſſidia inteſtina prædominarentur. Hoc argumento commendatur nobis concordia, cum maxima ſit ſpirituum malorum in obfirmando regno ſuo conſenſio, ut & nos in aſſerenda & defendenda Eccleſiæ unitate per vinculum pacis invicti & unanimes ſimus, Eph. 4. verſ. 3. idem ſentientes, in

pace

pace agentes, 2. Cor. 13. v. 11. ſicut membra unius corporis, 1. Cor. 12. v. 12. nam Deus non eſt Deus diſſenſionis ſed pacis, 1. Cor. 14. v. 33. ſecus ab invicem conſumemur, Gal. 5. verſ. 15. Unitas tamen illa fundata ſit in verbo & veritate, Joh. 17. v. 17. aliàs melius eſt diſſidium veritatis cauſa ortum, quàm vitioſa concordia, ut Naziancenus loquitur.

2. *Ab exemplo*, v. 19. hoc modo: Si ego per Beelzebub ejicio dæmonia, etiam filii veſtri per illum ejicient. At non ejiciunt per Beelzebub. Ergò. Per filios ipſorum quidam intelligunt 70. diſcipulos, quibus poteſtatem dederat Dominus ſuper immundos ſpiritus, Luc. 10. v. 17. Hi enim in gremio Judaici populi nati & educati erant. Quidam verò Exorciſtas Judæorum, qui ope Diaboli immundos ejiciebant ſpiritus, ut videre eſt Marc. 9. verſ. 38. Luc. 9. verſ. 49. Actor. 19. v. 13. nam donum miraculorum etiam in hypocritas cadere poteſt, Matth. 7. v. 22.

Quia igitur Phariſæi & Scribæ hos divinâ virtute ejicere dæmonia aſſeverabant, rectè concludit Chriſtus, quod & ipſe divinâ virtute dæmonia ejiciat, & addit, ideò veſtri erunt judices, id eſt in extremo judicio vos condemnabunt ſuo teſtimonio, quod ex ſola calumniandi libidine contra propriam conſcientiam miraculum meum Diabolo authori aſſcripſiſtis.

Hæc eſt natura invidiæ, quod amicorum vitia laudet, & eorum, quibus non benè cupit, virtutes etiam ad orcum quaſi devoveat, juxta effatum Siracidis cap. 11. v. 33.

3. *à Contrario*, verſ. 20. quaſi dicat, ſi digito Dei, adeoque propriâ virtute dæmonia ejicio, utique hinc velut ex indubitato κρα-τηρίῳ colligere debebatis, perveniſſe ad vos regnum illud Dei, quod per Meſſiam inchoatum & conſtitutum iri, prædixêre Sancti Prophetæ, & conſequenter, me eſſe illum tot ſeculis deſideratum & expectatum Meſſiam, id quod multitudo ſignorum meorum luculenter arguit. Quibus verbis ſine dubio reſpexit Chriſtus ad hiſtoriam Moſis & Magorum Ægyptiorum, qui tandem ex productione pediculorum digitum Dei cognoſcebant, Exod. 8. v. 19.

Ex hac collatione Evangeliſtarum, quorum alter Spiritum Dei per digitum Dei interpretabatur, colligimus non tantùm Spiritum S. eſſe verum Deum, ſicut enim digitus cum manu & brachio, manus verò vel brachium cum corpore in natura unum ſunt: Ita Pater, Filius & Sp. S. tres quidem ſunt in perſonis, ſed una divina eſſentia, inquit Hieronymus. Sed etiam Judæos retundere poſſumus, qui adhuc hodie eodem ſpiritu calumniarum cum Patribus ſuis acti & ducti, per ſchem hamphoras Chriſtum miracula ſua perpetràſſe, impudentiſſimè nugantur, de quo vide Lutherum Tom. 8. Jen. fol. 109.

4. *Ab abſurdo*, v. 22. q. d. Abſurdum eſt, ut fortior armatus cedat ei, qui imbecilior eſt. Ita Satanas tanquam potentiſſimus ſpiritus ejici non poteſt, niſi à ſuperiore & fortiore. Quando igitur palatium ipſius, quod permittente Deo occupavit, expugno, indeque illum dejicio, utique indubitato opere teſtatum reddo, me non colludere cum Diabolo, ſed potius invicto ariete regnum ipſius oppugnare.

Deſcriptio illa Diaboli meritò nobis terrorem incutiat, ut peccata fugiamus, quæ nihil aliud ſunt, quàm arma injuſtitiæ quibus nos Satanas oppugnat, Rom. 6. verſ. 19. Hoc tamen è contrario ſolari nos poteſt, quod Chri-

Digitized by Google

Chriſtus fortior eſt, arma ejus abſtulit, in quibus confidebat, & ſpolia diſtribuit. Quin adhuc dum ad dextram Patris ſedens contra Draconem hunc ruffum, qui nos accuſat coram Deo noctes atque dies, acriter nos defendit, Apoc. 12. verſ. 7. & breviter ſub pedibus noſtris conteret, Rom. 16. v. 20.

5. *A diverſo ſtudio*, v. 23. quaſi dicat: Me non habere fœdus cum Beelzebub, vel hinc liquidiſſimè patet, quia mea & Satanæ opera planè ſunt diverſa, imò contraria, ego ſum veritas, Joh. 14. v. 6. ille pater mendacii, Joh. 8. v. 44. Ego lux vera, Joh. 1. v. 9. ille princeps tenebrarum, Eph. 6. v. 12. Ego pater omnis boni, Jac. 1. v. 16. ille author omnis mali, unde κατ' ἐξοχὴν πονηρὸς der Arge / oder der Böſe dicitur, Matth. 13. v. 19.

Notetur hæc Chriſti ſententia contra Neutraliſtas, qui Deo ſimul & Mammonæ ſervire volunt, Matth. 6. v. 24. ſed videant, quomodo conſcientiam ſuam liberent, nulla ſiquidem eſt communio lucis & tenebrarum, 2. Cor. 6. v. 15.

II. *Exhortatoria*. Quia enim Chriſtus videbat multos eſſe interſpectatores, qui non conſiderabant periculum, in quo ſingulis momentis verſabantur propter Satanam hoſtem illum ἀσπόνδον generis humani, quaſi in ſpeculo ipſis ob oculos ponit

1. *Diaboli molimina*, quod non dormit, ſed indefeſſo ſtudio circumvagatur, ſi hac non ſuccedit, alia rem aggreditur via, ut hiſtoria Jobi teſtatur. c. 1. v. 7. imò ſi vel maximè repellatur ſemel atque iterum, tamen redit impudentiſſimus ſpiritus, & multiplicato agmine nihil intentatum relinquit, ut domum priſtinam recuperare poſſit.

Hoc probè conſiderate vos mei. Ecce vigilat hoſtis, & vos dormietis! O ſcelus! ô dedecus! vigilate & orate, ne in tentationem incidatis, Matth. 26. v. 41.

2. *Summa diſcrimina*, quod extrema hominis illius pejora fiunt primis. Nam ſpiritus iſti complicato molimine cor ejus juſto Dei judicio ſecuritatem præcedentem punientis planè captivant & occœcant, quo pertinet dictum Petri 2. c. 2. v. 20. ſeqq.

Caveamus igitur, ne per ſecuritatem Diabolo viam aperiamus ad obſeſſionem ſpiritualem, ſed firmiter ipſi reſiſtamus per fidem, 1. Pet 5. v. 9. fides enim eſt ferramentum illud, quo Chriſto tanquam angulari lapidi conjungimur, 1. Pet. 2. v. 5. & quamdiu cum ipſo uniti manemus, tuti ſumus à Satanæ inſidiis. Nam major eſt qui in nobis eſt, quàm qui in mundo eſt, 1. Johan. 4. verſ. 4.

Dominica Lætare.

Evangelium Joh. 6. v. 1. 15.

MAgnum fuit miraculum, quod ad introitum Prophetæ Eliſæi in domum viduæ illius Propheticæ oleum repentè in urceolo ejus cœpit excreſcere, adeoque multiplicari, ut vaſis domeſticis non potuerit comprehendi, ſed aliunde mutuò ſumere neceſſe fuerit, & quod in eodem capite deſcribitur, non

non minus eſt eo, quod jam narravimus. Nam vir quidam veniebat de Baal Saliſa, & offerebat Prophetæ panes primitiarum hordeaceos viginti, quos ille dabat famulo, ut diſtribueret inter præſentem populum. Famulus reſpondet: Quantum hoc eſt, ut apponam coram centum viris. Cui Propheta: Da populo ut comedat. Hoc enim dicit Dominus: Comedent & ſupererit, quod & factum eſt juxta verbum Domini, 2. Reg. 4. v. 3. & ſeqq. 42. 43. Sed multò majus eſt tamen, quod in Evangelio nobis hodiè proponitur; ubi quinque panes hordeacei & duo piſciculi adeò multiplicantur, ut quinque hominum millia, præteritis mulieribus & pueris, quorum etiam ſine dubio, non exiguus fuit numerus, cibati atque ſaturiati ſunt, relictis duodecim fragmentorum cophinis, quantum antea in parato non fuerat.

Nos hiſtoricam hujus miraculi deſcriptionem hâc vice perluſtrabimus, quæ tribus partibus abſolvitur, ut ſunt,

I. Suſcepta conſultatio.
II. Miraculoſa cibatio.
III. Conſequens operatio. J.J.

EXEGESIS.

VEneranda antiquitas præſentem Dominicam egregio ornavit titulo, & Dominicam Lætare appellavit ex Eſa. 66. v. 10. Propter Evangelii pericopen, quæ hodie explicari ordinata eſt, & amplam lætandi materiam nobis ſuppeditat, ſi conſideramus vel cor Chriſti miſericors, quo commotus turbam accedentem miraculosè cibat: vel oculos vigiles, quibus nos aſpicit: vel manus omnipotentes, quibus panes acceptos multiplicat. Ponderanda igitur

I. *Occaſio*, quomodo ad miraculi hujus operationem devenerit. Illa duplex ponitur in I. parte prælecti Evangelii:

1. *Itineris nervus*, qui valde notabilis eſt

1. *Ratione impulſionis*. Nam μετὰ ταῦτα, inquit Evangeliſta, & reſpicit his verbis ad triſte nuncium, quod Chriſtus de morte Johannis Baptiſtæ acceperat, ut reliqui Evangeliſtæ exponunt. Hæc cauſa fuit, quod in deſertum conceſſit, ut eo modo tàm periculum vitaret, quàm à laboribus vocationis paulisper reſpiraret, Matth. 14. v. 13. Marc. 6. v. 31.

Docet nos ſuo exemplo, fugam eſſe licitam, & piam aliquam recreationem poſt exanthlatos labores vocationis Deum miniſtris ſuis non invidere, juxta verſiculum:

Quod caret alternâ requie durabile non eſt.

Nam frequens meditatio eſt afflictio carnis, inquit Salomo Eccleſ. 12. v. 12.

2. *Ratione expeditionis*. Nam abit trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis, quo nomine more hebræorum, quamvis aquarum collectionem mare appellantium, lacus Genezareth intelligitur, qui ab urbe adjacente Tyberiadis dicitur, Joh. 21. v. 1.

Videris hîc dilecti, conditionem omnium verè fidelium in hoc mundo. Pontifices & Prælati Hieroſolymitani in ampliſſimis palatiis degebant, & ex animi voto lautiſſimè victitabant, Chriſtus autem, qui viam Dei in veritate docet, Matth. 22. v. 16. & tam fideliter officio ſuo fungitur, ut nec ſpatium habeat, manducandi, Marc. 6. v. 31. in exilium ire cogitur, & vix habet quò caput reclinet, Matth. 8. v. 20.

Parem fortunam experiuntur omnes fideles ipſius diſcipuli in hodiernum diem, qui lampas contempta ſunt apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. dumque coronan-

Digitized by Google

nantur hi roſis, Sap. 2. v. 8. Illi ſpinis incedere coguntur, & variis expoſiti ſunt calamitatibus, Pſ. 34. v. 20. ſed committamus ſortes noſtras Domino, ille fugas noſtras numerabit, & lachrymas noſtras colliget in utrem ſuum, Pſ. 56. v. 9.

3. *Ratione terminationis.* Nam in deſertum ſecedit, & montem cum diſcipulis ſuis aſcendit. O quoties adhuc hodie Deus nos in deſertum ducit, hoc eſt, indigentiam corporalem & externam experiri patitur, ſed aſcendite cum Chriſto montem, Vos mei,

1. *Prece devotâ*, exemplo Davidis, Pſ. 121. v. 1.

2. *Mente piâ*, Col. 3. v. 1. 2.

3. *Fide indubiâ*, & certò tibi perſuade, Patrem qui in altiſſimo cœli monte habitat & humilia reſpicit, Pſal. 113. v. 6. auxilio ſuo tempore opportuno tibi affuturum. Nam oculi ejus ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus, ut eruat à morte animas eorum, & alat eas in fame, inquit Regius Pſaltes, Pſ. 33. v. 18. 19.

2. *Populi zelus.* Nam ſequebatur eum turba multa, inquit Evangeliſta, ut miracula viderent, quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Reliqui Evangeliſtæ addunt, quod itinere pedeſtri, Matth. 14. v. 13. & tanto fervore Chriſtum ſecuti ſint, ut prævenirent ipſum, Marc. 6. v. 33.

Erubeſcant noſtri Auditores, qui non catervatim ſed ſigillatim in templo comparent, quando Chriſtus per miniſtros ſuos concionatur, ut ſine ulla difficultate præſertim in concionibus hebdomadariis uno vel altero conceptu inter perorandum numerari poſſint. Non per mare Tyberiadis longo circuitu Chriſtum ſequuntur, ſed quamvis propè Eccleſiam habitent, concionis gratiâ ne pedem quidem domo exerunt. Non per integrum diem ad veſperam uſque, quod de turba præſente Matthæus cap. 14. verſ. 15. & Marcus 6. verſ. 35. commemorat, apud cultum divinum perſeverant, ſed ne horulam quidem abſque tædio auſcultant.

Pudeat nos extremæ hujus ſocordiæ, quam certo certius extrema πανολεθρία inſequetur, 2. Chron. 36. verſ. 16. Amos. 8. verſ. 12. 13. 2. Theſſ. 2. verſ. 11. Ergò caveamus & ambulemus in luce, dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant, Joh. 12. verſ. 35. 36.

3. *Commodum tempus.* Erat enim proximum paſcha dies feſtus Judæorum, ubi Hieroſolymis convenire, & ex informatione Pontificum agni paſchalis & omnium ſacrificiorum Leviticorum ſignificationes piè conſiderare debebant, ſed doctrina illa divina planè depravata erat. Pontifices negotiabantur cum ſacrificiis & doctrinam de Meſſia negligebant. Hinc populus velut grex ſine Paſtore oberrabat ἐκλελυμένοι καὶ ἐῤῥιμμένοι, Matthæus 9. verſ. 36. Hoc ipſo Chriſtus movetur ad miſericordiam, & non ſolùm animas paſcit cibo verbi cœleſtis, ſed etiam corpora ipſorum pane & piſcibus miraculosè ſaturat, ut inde cognoſcat, ſe eſſe cibatorem illum antiquum, qui in deſerto olim circa hoc anni tempus patres ipſorum pane cœlitus depluto pavit, Exod. 16. verſ. 15. hinc vocatur ἀρχιποιμὴν, 1. Pet. 5. verſ. 4. qui ipſe requirit oves ſuas & viſitat eas, Ezech. 34. v. 11. 16.

Quod autem prope erat paſcha, & tamen Chriſtus non Hieroſolymam aſcendit, ſed in Galilæam ſecedit, notant Doctores, factum eſſe propterea, ut paulatim ſolveret legem, & oſtenderet animadvertentibus

Digitized by Google

tentibus ceſſaſſe figuram, ut veritas adveniret, quæ Chryſoſtomi & Theophilacti opinio eſt, & confirmatur Col. 2. verſ. 16. 17.

II. *Chriſti quæſtio.* Poſtquam enim copioſam illam turbam videt ad ſe venire, quærit ex Philippo, unde ememus panes, ut hi manducent. Non autem quærit ex ignorantia; quia eſt ipſa Patris ſapientia, 1. Cor. 1. verſ. 24. neque ex conſilii inopia, quaſi neſciret ſaturationis medium, eſt enim conſiliarius, Eſa. 9. verſ. 6. hinc diſertè addit Evangeliſta: ipſe ſciebat, quid eſſet facturus, verſ. 6. ſed ut oſtenderet, ſe paternam eorum curam gerere, qui ipſum audiunt & ſequuntur. Deinde ut tentaret Philippum, quam cauſam Evangeliſta exponit, hoc eſt, ut exploraret fidem ejus, an ſerio crederet, quod Chriſtus etiam in deſerto tantam hominum copiam alere poſſit.

Eodem modo adhuc hodie ſuos quandoque ad examen vocat & inquirit, quid ex verbo didicerint. Nam Sapientia, id eſt, filius Dei ludit in orbe terrarum, Prov. 8. v. 30. id eſt, delectatur puerili noſtra ſapientia, & ſpiritualem noſtram in divinis ſtoliditatem ceu Pater ludens cum liberis paternè tolerat, ut verè dicatur φιλάνθρωπος, Tit. 3. v. 4. quò pertinet etiam tentationes, quas Deus immittit fidelibus ſuis, ut examinet fidem ipſorum, & hoc examine tàm ſibi ipſis, quàm aliis melius innoteſcat, quos quantosque profectus in verbo Dei fecerint. Nam Deus neminem tentat ad malum, Jac. 1. v. 13. ſic tentavit Abramum, Gen. 22. v. 1. imò omnes calamitates, quas in hujus vitæ ergaſtulo ſuſtinere cogimur, ſunt tales πειρασμοί, 1. Pet. 4. v. 12.

III. *Apoſtolorum reſponſio*, quam expediunt dupliciter:

1. *Calculando*, quod Philippo aſcribit Evangeliſta. Is ad Arithmeticam ſe confert, & ducentorum, inquit, denariorum panes non ſufficiunt, ut quiſque puſillum accipiat. Ducenti denarii reſpondent ex ſententia Doctorum triginta florenis Rhenanis, quibus ſecundùm ſupputationem Arithmeticam juſta proportione in capita diſtributis ſingulis portiuncula panis quæ obolo venit, diſtribuenda foret.

Unde apparet Philippi in rebus Oeconomicis peritia & ſagacitas, quæ aliàs laudem meretur, ſed hîc operam ſuam fruſtrà collocat. Viæ enim & cogitationes Dei non ſunt viæ & cogitationes noſtræ, Eſa. 55. verſ. 8.

2. *Perveſtigando*, quod de Andrea dicitur. Is diſcurrit hinc inde, & ſollicitè inquirit, quid in parato eſſet, ſed nihil invenit præter quinque panes hordeaceos, & duos piſciculos, & quid hoc inter tam multos?

Hanc quæſtionem ſæpe repetunt hodie multi Patresfamiliàs & calculos ſubducunt, numerantes ſeptimanas & dies, adeoque victus tenuitatem cum multitudine domeſticorum conferentes, ubi fere ſemper clauſula eſt, quid hoc inter tam multos? quæ ſpecies eſt diffidentiæ ethnicæ, cujus exempla extant Num. 11. v. 21. v. 22. Exod. 16. v. 2. 2. Reg. 7. v. 2.

Sed mortificanda eſt hæc diffidentia verbo Dei, quod paternam clementiam, omnipotentiam & ſapientiam Dei nobis commendat. Hoc triplici filo nitamur, & non dubitemus, qui nondum natis nobis in utero materno focum apparavit, qui corvos paſcit & lilia veſtit, neceſſaria quoque vitæ alimenta in ſe ſperantibus ſuppeditabit. Quod ſi autem victum habemus & amictum, contenti ſimus, 1. Tim. 6. v. 8.

De Secundo.

SEquitur miraculoſa cibatio, quam Chriſtus, poſtquam diſcipulorum incredulitatem in apricum produxiſſet, effectum dedit. Ubi duo conſideranda veniunt.

I. *Diſcipulorum miniſterium*, quod tribus occupatur actionibus, ut ſunt

1. Populi collocatio. Nam Chriſtus præcipit ipſis, ut turbam faciant diſcumbere, quia multum graminis erat in loco iſto.

Reliqui Evangeliſtæ, Marcus c. 6. v. 39. & Lucas c. 9. v. 14. memorant, turbam diſcubuiſſe juxta *συμπόσια καὶ κλισίας* ſecundum contubernia & areolas, ſive claſſes, centenos ſecundum longitudinem, & quinquagenos ſecundum latitudinem, idque eo fine, ut Apoſtoli commodius panes inter eos diſtribuere poſſet, & nemo in tanta multitudine præteriretur. Deinde ut miraculi majeſtas tantò magis inclareſceret, & tandem, ut computatio populi eò facilius inſtitui poſſet, quam Evangeliſta mox ſubjicit, & diſcubuerunt inquit, viri *ὡσεὶ πεντακισχίλιοι*, circiter quinquies mille, exceptis mulieribus & pueris, ut Matthæus c. 14. v. 21. expreſsè addit.

Hoc tamen inſuper notandum eſt, ſicut Chriſtus populum in deſerto non paſſus eſt diſcurſare, ſed diſcumbere juſſit: Ita ordinavit certas vocationes & ſtatus in genere humano, & unicuique in certo officii genere laborem impoſuit, quem diſcubitum nemo turbare debet vel ignavo otio, vel *πολυπραγμοσύνη*, 2. Theſſ. 3. v. 6. 10. 11. Fuiſſet quidem Deo facilimum circa laborem nos cibare, ſed poſt peccatum impoſuit laborem, quia caro per peccatum corrupta otio ad quævis vitia abutitur. Quilibet igitur ſedeat in ſuo loco, id eſt, maneat in ſua vocatione, ne præripiat alteri ſuam particulam, ſed expectet, donec etiam Deus ſuâ benedictione ad ipſum veniat, Pſ. 37. v. 3. 1. Cor. 7. v. 20. Sir. 29. v. 28. 29.

2. Cibi ſuppeditatio. Nam Chriſtus panes non ipſe diſtribuit, ſed diſcipulis diſtribuendos exhibet, & de piſciculis quantum vult. Ita nobis adhuc hodie largitur panem quotidianum, non ut ſimus proprietarii, ſed œconomi, Luc. 16. v. 1. & erogemus etiam aliquid pauperibus, Tob. 4. v. 7. Eſa. 58. v. 7. Job. 31. v. 17. Beneficentia illa opes terrenas non minuit, ſed auget, quemadmodum hîc panes creverunt in manibus diſcipulorum, Prov. 19. v. 17. videamus autem, ſi pauperibus aliquid diſtribuere volumus, ut ex manibus Chriſti accipiamus, id eſt, abſque fraude & detrimento proximi comparemus. Nam de malè quæſitis non gaudet tertius hæres. Quo ſpectat illud Salomonis, Prov. 16. v. 8. & Siracidis c. 11. v. 22. ſeqq.

3. Fragmentorum comportatio. Nam poſtquam comederunt & ſaturati ſunt præcepit Jeſus diſcipulis ſuis: Colligite fragmenta, ne quid pereat, collegerunt ergò & impleverunt duodecim cophinos. Ita nos quoque frugales ſimus, & fragmentorum reliquias ſtudioſè colligamus & reponamus. Subſtantia ſiquidem evacuata minuetur, Prov. 13. v. 11. & qui modica ſpernit, paulatim decidet, Sir. 19. v. 1.

II. *Chriſti magiſterium*, quò pertinet

1. Panum multiplicatio. Nam in ſanctas & benedictas manus eas accipit, & Patri cœleſti gratias agit, & verbo potentiæ ſuæ benedicit, & ecce, creſcunt panes in manibus diſcipulorum, ſicut olim farina & oleum Sareptanæ, 1. Reg. 17. v. 12.

Hoc facit adhuc, quamvis non percipiamus,

mus, dum exaudit cœlos, & illi exaudiunt terram, & terra exaudit triticum & vinum & oleum, Oſ. 2. v. 21. 22. conf. Deut. 28. v. 12. Pſ. 104. v. 13. 14. 15. Tempore ſationis agricola unum atque alterum modium frumenti, qui vix per unum atque alterum diem familiæ ipſius alendæ ſufficerent, in agrum deportat, & diſſeminat, ſed ita multiplicatur menſium aliquot ſpatio, ut multis plauſtris in horreum invehantur. Ita etiam multiplicat alia terræ naſcentia, multiplicat piſces, multiplicat gallinas & anſeres, multiplicat pecora, & diſtinctis anni temporibus diſtincta nobis fercula & obſonia præparat. Hæc magna ſunt miracula, ſed aſſiduitate vileſcunt, ut Auguſtinus loquitur. Agnoſcamus igitur Chriſti omnipotentiam, quâ è minutis magna, & è nullis aliqua facere poteſt, Rom. 4. v. 17.

2. *Populi ſaturatio.* Nam omnes impleti ſunt, inquit Evangeliſta. Quandoque accidit, ut panis non ſaturet, & hæc eſt pœna Dei, Hoſ. 4. v. 10. Hagg. 1. v. 6. Sed hîc benedictione Chriſti ſanctificati panes ita ſaturant turbam præſentem, ut pleni recedant omnes, quod græcum ἐνεπλήσθησαν evidenter arguit.

Hoc igitur agamus, ut benedictionem divinam piis precibus impetremus, ſine qua vanum eſt ante lucem ſurgere, Pſal. 127. v. 2. & quò plus laboraveris, tantò minus invenies, Eccl. 8. v. 17. conf. Prov. 10. v. 22. Sir. 11. v. 11. 12.

De Tertio.

Reſtat ut videamus etiã conſequentem miraculi operationem, quæ duplex eſt,

1. *Salutaris.* Nam agnoſcit turba ex hoc miraculo, quod Chriſtus ſit magnus ille Propheta, quem Deus olim populo ſuo promiſit, Deut. 18. verſ. 18. hic enim eſt finis & uſus miraculorum Chriſti, ut credamus argumento eorum inducti Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei, & ut credentes vitam habeamus per nomen ipſius, Joh 20. v. 31.

2. *Secularis.* Nam in Regẽ Chriſtum eligere cogitant, quia vanâ opinione de Meſſia imbuti erant, & Regem terrenum ipſum fore ſperabant, ſed Chriſtus quam primum hoc ipſorum conſilium animadvertit, ſubducit ſeſe, & ſecedit in montẽ ipſe ſolus, ut hanc præpoſterã & intempeſtivam coronationem evitaret, & reipſa reſtaretur, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, Joh. 18. v. 36.

Turba hæc imago eſt omnium eorum, qui apud Chriſtum temporalia quærunt, de ſpiritualibus ne tantillum ſolliciti. At cum temporale non ſatiet animam, cui vera & certa ſedes eſt æternitatis, ad ſpiritualia inprimis anhelemus, Matth. 6. v. 20.

Dominica Judica.

Evangelium Johan. 8. verſ. 46. 59.

Num. 12. verſ. 3. de Moſe dicitur, quod fuerit vir afflictiſſimus ſuper omnes homines, qui unquam vixerunt in mundo. Nam ſoror ejus Miriam ac frater Aaron contra ipſum murmurabant, imò totus populus aliquoties contra ipſum inſurrexit, ut queratur ipſe Exod 17. v. 4. adhuc paululum abeſt, & lapidabunt me.

Moſes

Moſes fuit typus Chriſti, ut conſtat ex Deut. 18. v. 18. hinc audimus in prælecta pericope, quod Judæi contra ipſum inſurgunt calumniando, & parum abeſt, quin lapidibus ipſum obruant.

Videbimus nos

I. Acerrimam diſputationem.

II. Tragicam terminationem.

J. J.

EXEGESIS.

De ſerpente antiquo dicitur Gen. 3. v. 15. quod inſidiaturus ſit calcaneo Meſſiæ. Hoc factum eſt non tantum in paſſione, ubi captivatus, flagellatus, & tandem crucifixus eſt, ſed etiam per totam vitam, quando variis adverſariorum calumniis obnoxius fuit, quæ ipſi cor fregerunt, ut ait Pſ. 69. v. 21. Exemplum habemus in acerrima illa diſputatione, quæ nobis in præſenti pericope deſcribitur, ubi tria conſideranda veniunt:

1. Collocutorum differentia. Ab una parte ſtat Chriſtus, qui ipſiſſima veritas eſt, in cujus ore dolus non eſt inventus, 1. Pet. 2. v. 22. Ab altera parte conſiſtunt Rabbini, Phariſæi & Scribæ, qui magna authoritate in populo Judaico pollebant, & pro columnis Eccleſiæ reputabantur, ſed acuerunt linguam mendaciis ſicut novaculam, Pſ. 52. v. 4. venenum aſpidum ſub labiis eorum, Pſ. 140. v. 4. quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, Rom. 3. v. 14.

Apparet inde, quod non poſſit in hac vita ſperari plenarius in religione conſenſus. Cum Chriſtus in diebus carnis doceret, non omnes illi crediderunt, ſed multi ſeſe ipſi oppoſuerunt, Luc. 2. v. 34. quantò minus hodie ſperari poterit ut omnes verbo divino obediant. Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis, inquit Paulus 1. Cor. 11. v. 19.

2. Loci reverentia, ubi habita ſit illa diſputatio, nimirum in templo Hieroſolymitano in conſpectu totius populi. Hoc eſt opus Diaboli, qui neque tempori neque loco parcit, quando videt ad malum aliquod patrandum ſibi anſam patere. Meritò hîc conſiderare debebant Phariſæi & Scribæ, quod templum ſit domus precationis, quæ contentionibus & calumniis non erat profananda: ſed qualis eſt devotio cordis, talis etiam eſt demonſtratio operis, nec obſtat loci ſanctitas, quin lapides tollant, & parati ſint, Chriſtum trucidare, ſi modò in poteſtate ipſorum ſitum fuiſſet, quemadmodum etiam cœdes ejuſmodi plures patrarunt in templo, ut Chriſtus ipſis exprobrat Matth. 23. v. 35. Caveamus igitur, ne hoc vel alio modo templum Domini prophanemus, ſed cuſtodiamus pedes noſtros ituri in domum Domini, & veniamus ut audiamus, Eccl. 4. v. 17. ſi quis enim templum Domini profanaverit, hunc perdat Dominus, 1. Cor. 3. v. 17.

3. Materiæ opulentia, quæ tribus potiſſimum theſibus abſolvitur. Ventilatur enim

I. *Perſona Chriſti ſublimitas*, quam Judæi impugnabant, non concedentes, quod Chriſtus ſit filius vivi, ſed reputabant eum pro nudo homine, pro filio Joſephi, & Abrahamum ipſi longè præferebant. Nam quia Diabolus oculos eorum faſcinaverat, hærent tantùm in externa ſuperficie, & formam Chriſti ſervilem contemplantur, de qua Eſa. 53. v. 3.

Sed contra Chriſtus argumentatur

1. à perfecta puritate, v. 46. hinc ſanctus ſanctorum dicitur, Dan. 9. v. 24. & ſegregatus

gregatus à peccatoribus, Ebr. 7. v. 26. nos quidem omnes in iniquitate concipimur, Pſ. 51. v. 7. ſed Chriſtus purus eſt & ſanctus, quia ex obumbratione Sp. S. conceptus eſt, Luc. 1. verſ. 35. & talia decebat, ut eſſet nobis Pontifex, qui non opus haberet prius pro ſuis delictis hoſtias offerre & deinde pro populi, Ebr. 7. v. 27.

2. *Ab officii dignitate*, v. 50. & 54. unde tale fluit argumentum: Cui Deus ſummum honorem tribuit, ille verus Deus eſt, nam honorem meum inquit, alteri non dabo, Eſ. 42. v. 8. At mihi ſummum honorem Deus tribuit, publicè teſtificans, quod ſim filius ejus dilectus, Matt. 3. v. 17. c. 17. v. 5. Ergò ſum verus Deus, is ipſe videlicet, quem Eſaias olim vidit in ſolio excelſo, Eſ. 6. v. 1. 2. Dan. 7. v. 13. ſeqq.

Videte dilecti, quid nobis incumbat. Deus Pater honorat filium, quantò magis vos ipſum honorare debetis cum viginti quatuor ſenioribus, Apoc. 4. v. 10. Væ blaſphemis & hæreticis, qui Deitatem ipſius impugnant, alios mediatores ſibi eligunt, adeoq; Dominum qui ipſos redemit, abnegant, 2. Pet. 2. verſ. 1. durum erit ipſis contra ſtimulum calcitrare, Act. 9. v. 5.

3. *Ab exiſtentiæ ſempiternitate*, verſ. 85. Cum enim Judæi objicerent: Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum vidiſti? apertè profitetur: πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι. Atqui ante Abrahamum humana ejus natura eſſe non poterat, utpote quæ in plenitudine temporis demum aſſumpta erat, Gal. 4. v. 4. ſequitur ergò præter humanam aliam Chriſtum naturam habere, divinam ſcilicet & æternam, cujus egreſſus eſt ab initio à diebus æternitatis, Mich. 5. v. 2.

Ventilatur etiam

II. *Doctrinæ Chriſti veritas.* Judæi habebant ipſum pro inſigni hæretico, qui Diabolo autore non ſolùm miracula ederet, ſed doctrinam etiam quam ſpargat in populo, ab ipſo didicerit, Johan. 7. v. 20. Hanc atrociſſimam calumniam Chriſtus retorquet, & commendat doctrinam ſuam

1. *Ab eminentia*, dum verbum Dei appellat, quod omnes, qui ex Deo nati ſunt, libenter audire debent, ſicut Abraham fecit, qui verbo promiſſionis tam firmiter adhæſit per fidem, ut magno deſiderio diem Chriſti videre exoptaverit.

Apparet hinc unam eandemque ſemper fuiſſe ſalutis & vitæ æternæ conſequendæ rationem. Nam verbum Dei eſt verbum Chriſti, & verbum Chriſti eſt verbum Dei, quod tàm in V. quàm in N. T. unicum medium fuit, per quod Sp. S. fidem accendit, Rom. 10. v. 17. quâ Patres ſalvati ſunt, quemadmodum & nos, Act. 15. v. 11. Audiamus igitur & nos, ſi cum Abrahamo & omnibus credentibus V. & N. T. ſalutem æternam conſequi velimus, Joh. 10. v. 27.

2. *à potentia*, v. 51. Diaboli non eſt proprium vivificare, ſed occidere, eſt enim homicida ab initio, Joh. 8. v. 44. ſed verbum meum, inquit Chriſtus, à morte præſervat, & vitam æternam affert omnibus, qui illud ſervant, & firma cordis fiduciâ in omnibus adverſitatibus ei inhærent.

Mors vulgò triplex eſt, 1. naturæ, 2. gratiæ, 3. gloriæ. Has mortis ſpecies non vident, id eſt, non experiuntur Chriſtiani, ubi tamen ſciendum, quod mors corporalis vel naturæ dupliciter conſideretur, 1. ut pœna eſt & initium perditionis, 2. ut medium eſt tranſitus ad ſalutem. Priori modo non vident eam pii. Nam mors eorum finis

Digitized by Google

malorum & janua vitæ eſt, ut ait Bernhardus, hinc pretioſa dicitur, Pſ. 116. v. 15. & lucrum, Phil. 1. v. 21. inprimis verò hîc intelligitur mors gloriæ, quæ mors ſecunda dicitur & peſſima, Apoc. 20. v. 14. huic morti non ſunt obnoxii, qui verbum Chriſti audiunt & cuſtodiunt, eſt enim ſermo ille vivus & efficax, Ebr. 4. verſ. 12. ſemen immortale, 1. Pet. 1. v. 23. verbum vitæ, Johan. 6. v. 68. quod animas noſtras ſalvare poteſt, Jac. 1. v. 21.

3. *à differentia*, verſ. 50. Politici quærunt gloriam in mundo, ut propter res à ſe geſtas laudem undique mereantur, ſed talis non eſt doctrina mea, quâ Dei gloria unicè quæritur. Si igitur doctrinam meam calumniis veſtris proſcindere non erubeſcitis, ſcitote, quod calumnia illa ad Patrem meum cœleſtem redundet, qui honorem ſuum tandem aliquando vindicabit, & ignominiam, quâ me innocenter afficitis, in caput veſtrum devolvet.

Hortatur autem Chriſtus nos ſuo exemplo, ut & nos ante omnia Dei gloriam quæramus, à quo ſumus, quicquid ſumus, 1. Corinth. 4. v. 7. conf. Col. 3. v. 17. 1. Cor. 10. v. 31. 1. Tim. 1. v. 17.

Denique ventilatur in hac diſputatione

III. *Vitæ Chriſti integritas.* Judæi Chriſtum Samaritanum appellabant, id eſt hominem apoſtatam, profanum & impium, quales erant Samaritani, qui religionem ex Judaica & Ethnica malè conſutam habebant, & modo à partibus Judæorum ſtabant, modò Gentilibus ſeſe aggregabant, unde Judæis tantoperè exoſi erant; ut ne cibum cum illis caperent, Johan. 4. verſ. 9. Quando igitur Samaritanum Chriſtum appellant, hoc indicare volunt, quod ſit homo levis & impius, qui turpiter à religione judaica ad gentiliſmum non ſolùm defecerit, ſed & populum ſimplicem à ritibus Moſaicis ſeducat.

Sed refutat hanc calumniam

1. *Pura conſcientia*, de qua Chriſtus in principio Evangelii gloriatur, & poteſtatem concedit hoſtibus ſuis, ut diligenter inquirant, & vel unius alicujus ſceleris, ſi poſſint, ipſum convincant.

Ita nos quoque conſcientiam ab omnibus delictis enormioribus puram ſervemus, ut cum Chriſto hoſtibus noſtris inſultare poſſimus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio noſtra, 1. Theſſ. 4. v. 3. ſine qua nemo Deum videbit, Ebr. 12. v. 14.

2. *Veriloquentia*, quæ hominis aliàs probi & ingenui ſingulare ornamentum eſt, & cultores ſuos in æterno olim reponet tabernaculo, Pſ. 15. v. 1. jam verò Chriſtus ipſiſſima eſt veritas, Johan. 14. verſ. 6. & propterea in hunc mundum venit, ut veritatem teſtaretur, Joh. 18. v. 37. Ergo mentiuntur Judæi, quod Samaritanum ipſum vocitant, qui in utramque partem claudicabant, & quemvis doctrinæ ventum ab agnita veritate dimoveri ſe patiebantur.

Cavete vos mei, ne Samaritanorum veſtigia prematis, ſed Chriſtum ſequimini, & ita amate veritatem, ut ad extremum usque halitum defendatis & cuſtodiatis, Sir. 4. v. 35.

3. *Obedientia*, quam verſ. 55. contra Judæos allegat his verbis: Ego novi Patrem meum & ſermonem ejus ſervo. Qui hoc facit Samaritanus non eſt, ſed Deum habet propitium, qui obedientiam præfert omnibus holocauſtis & victimis, 1. Sam. 15. verſ. 22.

Oſten-

Digitized by Google

Oſtendit autem Chriſtus hoc ipſo, quid ad vitam inculpatam requiratur, nempe Dei agnitio, & ſermonis ejus cuſtoditio hanc bigam virtutum ſponte ſequitur vita æterna, Joh.17.v.3.

De Secundo.

Supereſt diſputationis Cataſtrophe, quæ tribus membris abſolvitur, ut ſunt

1. *Intentata lapidatio.* Quia enim ſermo Chriſti, quo Abrahamo ſe priorem aſſeverabat, ipſis erat intolerabilis & tamen ſimul etiam irrefutabilis, ideò furor ipſis arma miniſtrat, lapidibus explorare conantur, quem argumentis refutare non poſſunt.

Et hæc nota eſt Eccleſiæ malignantium, quæ ſpiritu mendacii & homicidii regitur, & ex officina carnificis argumenta petit, quando argumentis Scripturæ deſtituitur. Non igitur offendamur, ſi adverſus nos etiam lapides tollant adverſarii, ſed cogitemus, hanc eſſe notam ovicularum Domini, ut mittantur in medium luporum, Matth. 10.v.16.& æſtimentur ſicut oves occiſionis, Rom. 8.verſ.36.Pſal.44.verſ.23. mercedem tamen noſtra in cœlis copioſa erit, Matth.5.v. 11.12.

2. *Chriſti occultatio*, quâ certè majeſtatis ſuæ illuſtre ſpecimen edidit, per opera confirmans quod dixerat, ſe ante Abraham eſſe, ut Chryſoſtomus ait, nam per medios hoſtes tranſit, & ita furorem ipſorum quaſi eludit, ut apertis oculis ipſum non amplius videant.

Sic Deus adhuc hodie ſuos quandoque abſcondit, & furori hoſtium ſubducit, Pſal. 31.verſ.21. probat hoc exemplum Eliſæi, 2. Reg.6.v.18. Ieremiæ, c.36.v.19. Athanaſii, & aliorum. Ergò ad ipſum confugiamus in omnibus neceſſitatibus, manus ipſius nondum abbreviata eſt, Eſ.50.verſ.2. Sed novit pios de tentatione eripere, 2.Pet.2.v.9.

3. *Templi declinatio.* Hæc pœna eſt, quæ contemptum Chriſti ſequitur. Nam Eccleſiam habet ambulatoriam, & ſi alicubi lapidibus peccatorum expellitur, aliò commigrat, 2. Theſſ.2.v.10. ſeqq.

Dominica Palmarum.

Evangel. Matth.21.verſ.1.9.

MElchiſedecum fuiſſe typum Chriſti, teſtatur Pſ.110. verſ. 4. & hoc præter alias cauſas etiam ideò, quia fuit ſimul Rex & Sacerdos, ſine Patre, ſine Matre, ſine genere, nec initium dierum habens neque finem, Ebr.7.v.3. Habuit ſine dubio Melchiſedeck ut verus homo patrem, matrem, familiam, initium & finem vitæ, neque enim cœlo delapſus aut ex nihilo factus, vel ab æterno extitiſſe & adhuc hodie ſupereſſe putandus eſt, ut quidem Melchiſedeciani ſomniarunt, ſed Scriptura non commemorat, ut hoc typo Chriſtum Pontificem maximum verè talem nobis præfiguraret, qui ἀπάτωρ eſt juxta humanitatem, ἀμήτωρ juxta divinitatem, & reſpectivè pro naturarum diverſitate nec principium dierum nec finem vitæ habuiſſe dicitur. Et ſicut Melchiſedeck erat Rex ſimul & Sacerdos: Ita Chriſtus duplici hoc munere pro nobis fungitur.

Digitized by Google

Id jure primogenituræ etiam obtinet. Nam primogeniti in V. T. primi erant in ſacrificio, & primi in regno, Geneſ. 49, v. 3. Talis eſt Chriſtus à Patre, Col. 1. v. 15. & à Matre, Luc. 2. v. 7. Hinc ſolennem ſuum Hieroſolymis ingreſſum ut Rex ſimul & Sacerdos noſter celebrare voluit. Dominica I. Adventus vidimus ingreſſum Chriſti regalem jam videbimus Deo volente ingreſſum ipſius Pontificalem, quia hoc tempore de paſſione in Eccleſia, unde tota hæc ſeptimana, ſeptimana paſſionis, vulgò die Marterwochen / appellatur, quam à Dominica Palmarum ordimur, & hæc à palmis nomen habet, quas in hoc ingreſſu populus ipſi prætulit.

Prælecta pericope duas habet partes, quarum

Prior Continet *ingreſſum Chriſti ſacerdotalem.*

Poſterior *applauſum populi feſtivalem.*

I. I.

EXEGESIS.

Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate ſuo, quo coronavit ipſum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus, inquit Salomo Cantic. 3. verſ. 11. Liceat mihi dilecti, vos etiam ita alloqui. Ingreditur hodie cœleſtis Salomo Hieroſolymas, ubi noverca peſſima Judaica ſynagoga coronâ ſpineam capiti ipſius imponit. Hæc eſt dies deſponſationis, quâ ſponſus ille ſanguinis Eccleſiam redemit, Actor. 20. v. 28. & æterno vinculo ſibi copulavit, Oſ. 2. verſ. 19. quod ſpontè fecit in lætitia cordis, ut ipſe teſtatur Pſalm. 40. v. 9. & Luc. 22. v. 15. Hoc ex præſenti Evangelio conſiderat hodie Sancta mater Eccleſia. Proinde egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, quomodo in diademate ſpineo ut Pontifex & Sacerdos noſter inceſſerit. Docet hoc

1. *Temporis nota.* Nam eo ipſo die ingreſſum ſuum inſtituit, quo olim juxta mandatum Dei agnus paſchalis ex grege ſeligebatur, videlicet die decimo menſis primi, & mactabatur poſteà die 14. circa veſperam, Exod. 12. verſ. 3. 6. Jam verò Chriſtus eſt verus agnus Dei, Johan. 1. v. 29. & paſcha noſtrum, 1. Cor. 5. v. 7. Proinde ut oſtenderet, figuram illam agni paſchalis in ſe impletam eſſe illo ipſo die, quo olim paſchales agni de grege ſeparabantur, peculiare quid orditur, & non conſueto hactenus more, ſed ſingulari cum pompa urbem ingreditur, quia tempus aderat, quo tanquam victima patri ſuo in odorem ſuavitatis ſe offerre debebat, Epheſ. 5. v. 2.

2. *Ingreſſus porta.* Veniebat Bethania ad montem Oliveti, & ſi recta via progredi voluiſſet, ad portam arcis Sionææ deveniſſet, ubi Reges habitare ſolebant, ſed deflectit à via ordinaria, & pergit ad portam ovium, zum Schaff-Thor / quæ ſic dicebatur, quia paſcebantur ante eam oves agno paſchali & ſacrificiis deſtinatæ; vel quia per eam oves immolandæ ad templum ducebantur.

Hoc ipſo Chriſtus indicare voluit, ſe eſſe verum & unicum N. T. Sacerdotem, qui non per ſanguinem taurorum & hircorum, ſed per proprium ſanguinem ſuum ſacrificium perficere velit, cujus typus fuerunt omnes agni, per hanc portam ad ſacrificia ducti, ſicut etiam paulò poſt in hiſtoria paſſionis à monte Oliveti per torrentem Kidron eâdem hâc portâ introductus eſt ad ſummum Sacerdotem Caipham, cui incumbebat, ratione officii agnos immolandos

dos vel etiam in paſchate mactandos explorare an qualitatibus in lege præſcriptis præditi ſint, Exod.12. verſ.1. 5. Levit.22.v.19. ſeqq.

3. *Urbs congrua.* Nam prohibitum erat in V. T. ne uſpiam, præterquam Hieroſolymis ſacrificia offerrentur, Deuter.16.v.5. proinde Hieroſolymas ingreditur Salvator, quia offerre volebat ſacrificium propitiatorium pro peccatis totius mundi, 1.Joh. 2. verſ.1. Deinde congruum erat, ut Hieroſolymis moreretur, quia erat Prophetarum maximus, Deuter.18.verſ.18. quos non contingit perire extra Jeruſalem, Luc.13. verſ.33. Tandem ideò quoque factum eſt, quia Hieroſolyma erat celeberrima totius Orientis Metropolis, & umbilicus quaſi univerſi mundi, ut ab Egeſippo deſcribitur, unde fructus paſſionis Chriſti, ſalus nimirum æterna ad omnes omninò homines emanere potuit, ſicut etiam Hieroſolymis Concionem Evangelii exorſi ſunt Apoſtoli, & exinde per totum mundum divulgarunt, juxta præceptum Chriſti Luc.24. verſ.47.

4. *Templi cura.* Nam ſtatim ad templum properat, & poſt heroicam reformationem ibi docet per integrum diem, quo oſtendit, ſe eſſe Sacerdotem illum magnum ſuper domum Dei, Ebr.10. v. 21. quem Pater cœleſtis nobis audiendum propoſuit, Matth.3. verſ.17. & ſimul etiam complevit, quod Haggæus de templo ſecundo prędixit. Hag 2.v.8.10.

5. *Zachariæ Prophetia*, quam allegat Evangeliſta verſ. 4. Cum enim Chriſtum nominaſſet Regem, & ejus ingreſſum deſcripſiſſet, mox ſubjungit: Tu autem in ſanguine teſtamenti tui emittis vinctos de lacu, in quo non eſt aqua, q.d. Meſſias hunc ingreſſum ſuum non ſolùm ut Rex, ſed etiam ut Sacerdos celebrabit, & effundet ſanguinem ſuum, qui eſt ſanguis Teſtamenti in ara Crucis, ut liberet genus humanum ex infernali captivitate.

Officia Sacerdotum erant I. docere, Mal. 2.v.7. II. Sacrificare, Ebr. 5. v.1. III. Orare, 1. Sam. 12. verſ. 23. IV. Benedicere, Num. 6.v.23. ſeqq. Hæc omnia Chriſtus, implevit in diebus carnis ſuæ, Johan.1.v.18. Eph. 5.v.2. Eſa.53.v.12. Ebr.5.v.7. Marc.10.v.16. Luc. 24.v.50. imò æternus ſacerdos eſt, Pſ. 110. verſ. 4. & quamvis in propria perſona non amplius doceat, tamen dat Eccleſiæ ſuæ Paſtores & Doctores, Eph.4. verſ. 11. quamvis ſeipſum non amplius offerat, tamen virtus ſacrificii ejus adhuc durat, Ebr.10.v. 14. eſt adhuc ad dextram Patris & interpellat pro nobis, Rom.8.v.34. & participes nos facit cœleſtis benedictionis, Matth.15.v.34. 1.Pet.3.v.9.

De Secundo.

Reſtat ut videamus etiam *applauſum populi feſtivalem.* Nam poſtquam Chriſtus aſina vectus Hieroſolymas ingreditur, non quidem magnates Romani Imperatoris, vel Hieroſolymitani Pontificis ipſum comitantur, ſed pueri & puellæ cū miſcella plebe, paucisq; diſcipulis, qui excipiunt ipſum.

1. *Liberaliter*, dum veſtes Chriſto ſubſternunt, & eo ipſo nos hortantur, ut cum diſpendio rerum privatarum publicum Eccleſiæ bonum juvare & promovere ſtudeamus, & pro ſua quiſq; parte operam demus, ut fideles Eccleſiæ miniſtri neceſſariam ſuſtentationem habere poſſint. Nam miniſterium verbi & Sacramentorum eſt quaſi vehiculum ingredientis ad nos Chriſti. Proinde libenter contribuamus de facultatibus

Digitized by Google

noſtris, ut rotæ vehiculi iſtius propellantur, & miniſtros Eccleſia habeat idoneos, qui nos paſcant in ſcientia & doctrina ad vitam æternam. Quicquid hac ratione in cultum divinum impenditur, id ſub ſpe largiſſimæ retributionis in fœnus Domino elocatur, ſicut ſcriptum eſt Proverb. 3. verſ. 9. Gal. 6. verſ. 10.

2. *Regaliter.* Nam palmas præcidunt ex arboribus, quæ ſignum ſunt victoriæ, ut videre eſt 1. Macc. 13 v. 51. 2. Macc. 10. v. 7. Hoc ipſo agnoſcunt Chriſtum triumphatorem & principem pacis, qui paſſione & morte ſuâ omnes hoſtes noſtros debellare & ſuperare debebat.

Sequimini vos mei, & Chriſto ad exemplum hujus plebeculæ offerte palmam fidei, quæ mundum vincit, 1. Joh. 5. v. 4. & agnoſcite ipſum non ſolùm pro vero pacis Principe, qui iram Patris placavit, & æternam pacem reſtauravit, Eſ. 9. v. 6.

Palma non cedit oneri, ſed quo magis premitur, eò magis aſſurgit: Ita nos quoque quando preſſuram habemus in mundo, Joh. 16. v. 33. animo non frangamur ſed gloriemur de afflictionibus, Rom. 5. v. 3.

3. *Hilariter.* Nam lætum Oſianna Chriſto, publicè accinunt, & nil curant Pontifices. Ita confiteamur Chriſtum coram mundo, ut confiteatur nos coram Patre cœleſti, Matth. 10. v. 32. Nam unanimis confeſſio, & celebratio nominis divini juge Deo ſacrificium & proprius veri Chriſtiani character eſt, Ebr. 13. v. 15.

Feria I. Paſchatos.

Evang. Marc. 16. verſ. 1. 8.

CUm Simſon in oppido Gaza à Philiſtæis captivus detineretur, ſurrexit mediâ nocte, & ambas portæ fores cum poſtibus ſuis apprehendit, impoſitasq; humeris portavit ad verticem montis qui reſpicit Hebron, Judic. 16. v. 3.

Simſon fuit typus Chriſti, Simſon enim idem eſt quod vir ſolis, ein Sonnenmann/ & ita convenit cum Chriſto, qui eſt ſol Juſtitiæ, Mal. 4. verſ. 2. videbatur etiam ante biduum captivatus à morte & inferno, dum in cruce penderet, & poſtea in carcerem ſepulchri detruderetur, ſed hodie ſurrexit perruptis & deſtructis inferorum portis, & captivam duxit captivitatem, Epheſ. 4. verſ. 8. Pſal. 68. v. 19. quin & nos eduxit ſimul de lacu in quo non eſt aqua, Zachar. 9. v. 11.

Hoc beneficium majus eſt, quàm eductio Iſraelitarum ex ſervitute Ægyptiaca. Quemadmodum igitur liberationis hujus Ægyptiacæ annua & ſoleñis in populo Iſraelitico celebrabatur memoria, Exod. 12. v. 25. ita beneficium à Chriſto nobis exhibitum multò magis recolere debemus, quo fine ſolennitas præſentis feſti à majoribus noſtris inſtituta eſt.

Nos abſq; ulteriori verborũ circuitu prælectam Evangelii pericopen ad manus ſumemus, quâ prima de Chriſto à mortuis reſuſcitato Concio deſcribitur, & videbimus

I. *Devotionem mulierculārum laudabilem.*

II. *Concionem Angeli memorabilem.*

J. J. EX-

EXEGESIS.

CUm Abraham viciſſet Regem Chodorlaomor, exivit Melchiſedeck & benedixit ei, Gen.14.v.18. Hodie vicit ſemen Abrahæ, æquum igitur eſt, ut egrediamur ipſi in occurſum, & gratulabundi accinamus ex Pſ.95.v.1. Venite jubilemus Domino, jubilemus petræ ſalutis noſtræ. Exemplo ſuo prælucent nobis mulierculæ, quæ ſuâ devotione nos admonent, quomodo paſcha noſtrum cum ſancta ſolennitate & pia reſuſcitati Chriſti memoria celebrare poſſimus & debeamus.

Requiritur igitur

I. *Sabbathi obſervatio*, quæ mulierculis hiſce tam religioſa fuit, ut quamvis conſtituiſſent ex pia affectione Dominum Jeſum in ſepulchro more Hebræorum inungere, non tamen prius illud faciant, quàm Sabbathum præteriit, quod Judæi ſeptimo die hebdomadis juxta legem celebrare ſolebant, Exod. 20.v.10.

Sabbathum quietem denotat. Quia igitur Deus præſens feſtum ordinavit, & præ aliis diebus ſanctificavit, quieſcere debemus

1. *Ab operibus*, ut ſoli Deo vacent corpora noſtra, tanquam hoſtia acceptabilis, Rom.12.v.1.

2. *A ſceleribus*. Solent pleriq; feſtis diebus compotationes, comeſſationes, luſus & alia id genus exercitia diabolica inſtituere, quib⁹ à templo abſtrahuntur, & in abyſſum præcipitantur infernalem, ubi nulla quies erit damnatis in æternum, Apoc.14.v.11. Proinde expurgandum eſt vetus peccatorum fermentum, ut epulemur paſcha noſtrum, non in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis, 1. Cor.5.v.6.7.

II. *Unguenti præparatio*. Volebant mulierculæ corpus Dominicum in ſepulchro ungere, & à corruptione præſervare, hinc pretioſa ſibi comparant aromata, ex quibus unguentum conficiunt. Sed errant miſeræ. Corpus enim Domini, quod propter inhabitantem λόγον corruptionem non debebat videre, Pſal.16.v.10. tali unctione non indigebat, inde etiam ſurrexerat antequam ad ſepulchrum venirent. Spirituali igitur modo ipſum ungamus

1. *Unguento pœnitentiæ*, ſicut peccatrix illa Luc.7.v.37.38. lachrymis ſuis Chriſto pedes lavit & crinibus capitis deterſit. Hoc unguentum ipſi gratum eſt, Luc.15.v.10.

2. *Unguento beneficentiæ*, in membris ſuis, & panem frangamus eſurienti, hoc eſt compati ſuper contritione Joſephi, quod qui non faciunt, abominatio ſunt coram Domino, Amos 6.v.6.

III. *Sepulchri viſitatio*, non paſſibus corporeis, ut olim in Papatu corporalibus iſtiuſmodi peregrinationibus ad ſanctum ſepulchrum plus nimio tributum eſt, ſed affectu devotæ mentis, ut myſteria & fructus reſurrectionis Dominicæ expendamus, quâ ſe verum Dei filium, victorem mortis & vitæ ducem comprobavit, Act.3.v.15. Viſitationem illam ſuſcipiunt mulierculæ

1. *Summo diluculo*, quod & nobis imitandum eſt. Si enim hæ mulierculæ dilexerunt Chriſtum, quem putabant mortuum, quantò magis nos decebit, ut diligamus eum, quem ſcimus vivere, & ſummo diluculo ad piam huius myſterii meditationem & Chriſti reſuſcitati glorificationem ſurgamus, ingeminantes cum Davide Pſal.5.v.4. 57.v.9. 108.v.2.3. nam vigilantibus mulieribus, & ſummo manè ad ſepulchrum abeuntibus nunciatur Chriſti reſurrectio. Vigilemus

& nos

& nos ſpiritu noſtro in præcordiis noſtris, Eſ. 26. v. 9. ut eum inveniamus, Prov. 8. v. 17.

2. *Amicabili colloquio*, cujus materia duplex.

1. *Gravamen.* Nam inter eundum recordantur lapidis, quo Joſephus & Nicodemus oſtium monumenti occluſerant, & quis, inquiunt, revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Talis nos quoque ſuo modo lapis gravat ſub cruce, qui ſæpe impedit, ut Chriſtum invenire non poſſimus, unde oritur quæſtio, quis devolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti? quis liberabit me de corpore mortis huius? Rom. 7. v. 24. quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam, Pſ. 55. v. 7. nam magna & multa eſt juſti tribulatio, Pſ. 34. v. 20.

2. *Levamen.* Nam ſuſpicientes vident lapidem eſſe revolutum. Ita ſuis fidelibus ἀπὸ μηχανῆς quandoque auxilium mittit Deus Pater cœleſtis, & propterea adjutor in opportunitate dicitur, Pſalm. 9. verſ. 10. Sepulchra noſtra ſunt clauſa ingenti ſaxo, quo minus ex illis ad vitam progredi poſſimus, hoc eſt, lex Dei in tabulis lapideis deſcripta propter peccatum nos accuſat, & morti captivos tradit, ſed Chriſtus glorioſa reſurrectione ſuâ lapidem revolvit, non ſolùm à ſuo, ſed etiam à noſtro ſepulchro, & hanc gratiam nobis promeruit, ut è ſepulchris noſtris ad vitam æternam reſurgere poſſimus, 1. Cor. 15. v. 22.

De Secundo.

SEquitur *Angeli Concio*, cujus hîc deſcribitur

I. *Scopus*, qui eſt

I. *Conſolatorius*, ſi ſpectemus

1. *Angeli formam*, viderunt enim ſepulchrum ingreſſæ

1. *Adoleſcentem.* Hoc indicatum eſt, quod in futura reſurrectione, quam Chriſtus nobis acquiſivit, juventus noſtra renovabitur ut aquilæ, & nemo ibi amplius ſeneſcet, ſemper erimus ſani vegetique juvenes, germinabimus & florebimus inſtar palmæ, Pſal. 92. v. 15.

2. *Sedentem.* Cum Chriſtus naſceretur, in aëre ſeſe librabat cœleſtis præco nativitatis Luc. 2. v. 13. Sed jam ſedet regnantem indicans, qui in nativitate ſtando bellaturum ſignificabat, ut habet gloſſa ordinaria in hunc locum.

3. *Splendentem.* Nam ſtolâ candidâ amictus erat, quam Lucas c. 24. verſ. 4. ab adjuncta fulguratione, & Matthæus c. 28. v. 3. à comparatione nivis exaggerat. In paſſione Chriſti ſol obtenebreſcebat, & pullum quaſi amictum induebat propter obitum Creatoris & fratris ſui, Mal. 4. verſ. 2. nunc verò in reſurrectione veſtes Angeli candidas aſſumunt, creatori ſuo de victoria, & nobis de ſtola juſtitiæ per Chriſtum reſtauratâ congratulantes, Dan. 9. v. 24.

2. *Exordii normam.* Quia enim expaveſcebant mulierculæ ob aſpectum Angeli, mox alloquitur ipſos. Nolite expaveſcere, cur trepidatis, vult dicere, non ad terrendum ſed ad exhilarandum veni. Bonum affero nuncium exultate boni, dolor & timor exulet omnis.

Videte dilecti. Fructus reſurrectionis Chriſti eſt expulſio timoris. Non eſt ut metuatis Diabolum, Chriſtus exarmavit ipſum, Luc. 11. v. 22. vel chirographum peccati, deletum eſt ſanguine Chriſti, Col. 2. v. 14. vel mortem, excoriata eſt morte Salvatoris, 1. Cor. 15. v. 55. quâ vitam & ἀφθαρσίαν nobis retulit, 2. Tim. 1. v. 10.

II. *Informatorius.* Nam Jeſum quæritis Naza-

Nazarenum, inquit, qui crucifixus eſt, ſurrexit & non eſt hîc, ecce locum, ubi poſuerunt ipſum. Quibus verbis indicat, ſe non hominem, ſed Angelum Domini eſſe in hunc finem ablegatum, ut de reſurrectione Chriſti ipſas informaret. Quando enim dicit: Surrexit, teſtatur

1. *Reſurrectionis veritatem.* Deus quidem in V. T. per Sanctos Prophetas veritatem & certitudinem Dominicæ reſurrectionis ſatis confirmaverat, Pſalm.16.v.10. 110. verſ. ult. Eſ. 53. v 10. &c. Sed ut fides reſurrectionis eò certior eſſet, Angelum de cœlo mittit, qui teſtis eſt verax & fidelis, ex numero eorum, qui ſemper vident faciem Patris cœleſtis, Matth.18.v.10. nam articulo reſurrectionis Chriſti cardo ſalutis noſtræ vertitur, 1.Cor.15. v.14.

2. *Reſurrectionis majeſtatem,* quæ in eo conſiſtit, quod virtute propriâ reſurrexit. Dicit quidem ſcriptura aliquoties Chriſtum eſſe à patre cœleſti reſuſcitatum, Roman.6. v.4. Ebr.13.verſ.20. ut certi redderemur pro peccatorum noſtrorum debitis per mortem Chriſti plenè ſatisfactum eſſe, aliâs ſponſorem noſtrum ex ſepulchri carcere non dimiſiſſet, ſed ne quis cogiret, Chriſtum tam impotentem fuiſſe, ut non potuerit ſeipſum ſuſcitare, ideò dicit Angelus, ſurrexit, virtute ſcilicet propriâ, Joh.2. v.19. 10.v.17.18. hinc eſt quod Paulus dicit, per reſurrectionem ex mortuis Chriſtum ſe potenter declaraſſe filium Dei, Rom.1. v.4.

3. *Redivivi corporis idenditatem*, quod idem qui in cruce mortuus, & poſteà per Joſephum & Nicodemum ſepultus eſt, hoc ipſo corpore, quod in cruce pependerat, reſurrexerit. Hoc docet Angelus, quando Chriſtum crucifixum appellat, & locum mulierculis oſtendit, ubi poſitus fuerat.

Hoc maximam nobis conſolationem præbet. Quia enim corpore illo Chriſtus reſurrexit quod ex Mariâ aſſumpſit, & pro nobis in mortem tradidit, de Amore & benevolentia ipſius non eſt ut dubitemus. Nam in reſurrectione & collocatione ad dextram Patris, imò in omnem æternitatem frater noſter permanet, Joh.20. v.17.

III. *Exhortatorius.* Nam præcipit illis, ut hoc quod viderunt & audiverunt, annuncient diſcipulis ejus, & inprimis Petro, qui majori ob lapſum ſuum triſtitia, quàm reliqui diſcipuli, perculſus, majori etiam ſollicitudine de morte Chriſti affligebatur, & proinde læto hoc nuncio præ aliis magis indigebat. Præceptum hoc illuſtrant promiſſione Chriſti, quâ præceſſurum ſe diſcipulos in Galilæam anteà receperat, Matth.26. v.32. Marc.14. v.28.

Apparet inde profundiſſima Chriſti longanimitas & miſericordia, quâ diſperſos diſcipulos & Petrum abnegatorem recipit. Hoc argumentum eſt infallibile, quod non velit mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, Ezech.33. v.11. ubi enim exuperat delictum, ibi exuperat gratia, Rom. 5. v.20.

II. *Effectus*, qui duplex,

1. *Refugium.* Nam abeuntes citò fugerunt à monumento propter ſtuporem & timorem qui illos invaſerat.

Hæc eſt naturæ noſtræ poſt lapſum infirmitas, ut, quia peccati & imperfectionis ſibi conſcia, divinum angelicumque conſpectum fugiat, ut teſtatur exemplum Adami, Gen.3. v.8. Danielis, c.10. v.7.8.9. Johannis, Ap.1. v.17.

Studeamus igitur, ut hic cum timore & tremore ſalutem noſtram operemur, Phil. 2. verſ.12. ne exhorreſcamus olim, cum ante

P tri-

tribunal Chriſti comparebimus, ſed capita noſtra attollamus, gaudentes, quod redemptio noſtra appropinquet, Luc. 21. v. 28.

2. *Silentium*, quod præ timore nemini quicquam dixerunt, de rebus iis, quæ ad ſepulchrum ipſis evenerant, nemini, videlicet, in via ſibi occurrenti, quamdiu ſtupor & metus iſte duravit. Mox enim dum revertuntur Hieroſolymas, Chriſtus ipſis obviam venit, & omnem metum adimit, Matth. 28. v. 9. 10. Tunc omnia iſta, quæ evenerant, undecim Apoſtolis, & cæteris diſcipulis omnibus pleno ore recenſent. Luc. 24. v. 9. Magnalia enim Dei non ſunt reticenda, ſed ubique prædicanda & latè divulganda, Tob. 12. v. 7.

Feria II. Paſchatos.

Evangelium Luc. 24. v. 13. 35.

Legimus Gen. 44. & 45. de Joſepho, quod fratres ſuos ſtatim cognoverit, ſed ipſi non cognoſcebant ipſum. Primùm quidem durius ad eos loquitur, tanquam ad alienos, ſed tandem non poteſt ſe cohibere, & irruens in colla fratrum ſuorum, indicavit ipſis dicens: Ego ſum Ioſeph frater veſter, nolite pavere, atque ita fratrum triſtitia in ſummam lætitiam murata eſt.

Similem proceſſum obſervavit Chriſtus cœleſtis ille Joſephus in hodierno Evangelio. Fratres ejus, ut ipſe nuncupat Apoſtolos, Matth. 28. v. 10. ab eo turpiter profugerant, Petrus inſuper etiam ipſum abnegaverat, neque tamen Chriſtus eos propterea repudiat, ſed aſſociat ſeſe ipſis in via, principio quidem in forma peregrina, ſicut Joſephus, & ſtultitiam ipſorum increpat, poſteà tamen exarſit cor ejus, & non potuit ulterius ſe cohibere, ſed manifeſtavit ſe, ut agnoſcerent eum, non ſecus ac dixiſſet. Ego ſum cœleſtis Joſeph, frater veſter, nolite pavere, mortuus eram, & ecce vivo in ſecula ſeculorũ, & habeo claves mortis & inferni, Apoc. 1. verſ. 18. quo pacto timor omnis evanuit, & gaudio valde magno perfuſi ſunt diſcipuli, ut prælecta pericope ſatis ſuperque reſtatur, cuius tres ſunt partes, quarum

I. Complectitur *diſcipulorum peregrinationem*.

II. *Chriſti aſſociationem*.

III. *Reſurrectionis manifeſtationem*.

JJ.

EXEGESIS.

Sicut ſolis ortum præcedit aurora ſive diluculum: Sic apparitionem Chriſti præceſſit angelica reſurrectionis ejusdem manifeſtatio, quam heri conſideravimus. Heri angelus de reſurrectione Chriſti concionatus eſt, hodie Chriſtus ipſe apparet, & ſe redivivum diſcipulis exhibet. Heri mulieres diſcedebant à monumento cum aliquali gaudio, cui timor & dubitatio permixta erant. Hodie gaudent diſcipuli, & cor ipſorum ardet. Heri audivimus Angelum dicentem: Surrexit & non eſt hîc. Hodie Chriſtus ipſe teſtatur, ſe non ſolùm reſurrexiſſe, ſed & in gloriam ſuam intraſſe. Ut ergò creſcunt reſurrectionis myſteria: Ita quoque

creſcere

Digitized by Google

creſcere debent paſchalia noſtra gaudia quorum incrementum promovebit hodiernum Evangelium, ubi conſideranda veniunt

1. *Viatorum numerus.* Nam duo ex illis inquit Evangeliſta, videlicet ex ordine 70. diſcipulorum, quorum mentio fit Luc. 10. v. 1. & alter Cleophas appellatur, qui fuit germanus Joſephi, alterius autem nomen non exprimitur, ibant.

Erant hi diſcipuli in ſummo propter mortem Chriſti mœrore conſtituti, proinde ad relevandam triſtitiam expatiantur bini, & ſolitudinem, quæ commune melancholicorum receptaculum eſt, quantum poſſunt, evitant. Hortantur nos ſuo exemplo, ſi triſtitia & mœrore gravemur, quod ſolitudinem ante omnia vitare, & vel unum è multis eligere debemus, in cujus gremium ſecretum cordis angorem tutò effundere poſſimus. Amicus enim dulcis eſt propter conſilium animæ, Prov. 27. v. 9. Væ autem ſoli, quis ipſum eriget? Eccl. 4. v. 10.

2. *Peregrinationis tempus*, quando factum fit, prima ſcilicet hebdomadis die, quæ apud nos propter reſurrectionem dominicam Dominica dicitur, ut Theophylactus notat, ſed à meridiè circa veſperam, poſtquam cultus divinus jam peractus erat.

Si levandi animi gratiâ die dominicâ, vel etiam feſtis anniverſariis parumper expatiari velis, ante omnia templum viſita, & res ſacras confice, verbum Dei audiendo, orando & pſallendo, quæ vera ſunt media recreandi animum, Pſal. 19. v. 8. 9. exemplo Hannæ, 1. Sam. 1. v. 7. ſeqq. & viduæ illius octogenariæ, Luc. 2. v. 37.

3. *Terminus*, qui duplex

1. *à quo*, Hic eſt Civitas Hieroſolyma, ubi diutius nolunt commorari, quia cives ejus Chriſtum interfecerant. Ita fugite Vos mei, commercia improborum, ſi amicitiam Chriſti fovere & conſervare velitis. Nulla enim eſt ſocietas juſtitiæ cum injuſtia, Chriſto cum Beliale, 2. Cor. 6. v. 15.

2. *Ad quem.* Nam in vicum abeunt, diſtantem ab Hieroſolyma ſtadiis ſexaginta, cui nomen Emaus. Emaus idem eſt quod arx firma. Talis eſt nomen Domini, quò tempore tribulationis confugere debemus, Prov. 18. v. 10.

4. *Dialogus.* Colloquuntur enim non de fabulis anilibus, ſed de Jeſu Nazareno, ejusque miſerabili fato, quod ſuperioribus diebus perpeſſus erat Hieroſolymis.

Ita non ſufficit intereſſe pnblicis feriarum paſchalium conventibus, & per preces & pſalmodias hoſtiam laudis Deo ſacrificare, ſed & hoc nobis incumbit, ut domi & foris in quavis converſatione beneficia nobis præſtita expendamus, & domeſticis noſtris commendemus, juxta admonitionem Pauli Col. 3. v. 16. 17. & ipſius Jehovæ Deut. 6. v. 7.

Væ autem illis, qui feriis hisce paſchalibus in popinas Emaunticas proximorum pagorum, villarum & vicorum catervatim deambulant, verbis otioſis, ſtultiloquiis & obſcœnitatibus ſe recreantes, quæ Chriſtianos dedecent, Eph. 5. v. 4. ſi. enim de quovis verbo ἀέργῳ aliquando ratio cuivis reddenda erit, videant quomodo excuſent ſuam ἀσωτίαν, Matth. 12. v. 36.

De Secundo.

Sequitur pars altera, nimirum *Chriſti aſſociatio.* Dum enim hisce de rebus alternatim ſermones conferunt, ut vox græca ὁμιλεῖν importat, ecce appropinquat Jeſus, & comitem ſe adjungit, quo ipſo oſtendit, ſe

P 2 eſſe

eſſe paſtorem illum bonum & fidelem, qui relinquit oves in deſerto paſcentes, & quærit oviculam errantem, ut ad gregem eam reducat, Luc. 15. v. 4.

Deſcribitur autem hæc Chriſti aſſociatio

1. *Juxta formam.* Non enim apparet ipſis in forma propria, ſed tanquam viator, ſicut anteà Mariæ Magdalenæ in forma hortulani apparuerat, Joh. 20. v. 15.

Inde duplex oritur conſolatio, quâ nos erigere poſſumus

1. *In rebus ſecundis.* Si enim partes officii nobis demandati pro virili exequimur, Dominum hunc præſentem habemus, paſtores paſtorem, præceptores præceptorem, viatores viatorem, &c. qui labores noſtros ex alto ſecundabit & promovebit. Tentatus enim per omnia compati novit infirmitatibus noſtris, & in quo paſſus eſt ipſe, poteſt ſuccurrere iis, qui tentantur, Ebr. 2. v. 18.

2. *In rebus adverſis.* Si in forma peregrina ſub cruce & calamitate nobis appareat, ne animum proptereà deſpondeamus, ſed certi ſimus, ipſum in media tribulationum anguſtia nobis adeſſe, licet in parietis umbra, vel per cancellos intueatur noſtrum certamen, ſicut Antonio inter graviſſimas Dæmonis vexationes præſens erat, juxta ſuaviſſimam conſolationem, Eſ. 41. v. 10. 11.

2. *Juxta normam*, quomodo ſeſe aſſociaverit

1. *Coambulando.* Quantoperè lætabatur Tobias ob ſuum comitem, & tamen neſciebat ipſum eſſe angelum & legatum altiſſimi? Tob. 5. v. 5. Nos ſcimus, non angelum, ſed ipſiſſimum Dei filium nobis comitem ſe adjungere velle, quis igitur non exultet? Nam filius non eſt ſolus, ſed Patrem ſecum habet, Joh. 10. v. 38 & quoniam à Patre & filiô procedit Sp. S. hinc ubi ſunt illi, ibi ſimul eſt utriusque Spiritus, adeoque tota benedicta Trinitas. Ubi Dominus ibi ſimul miniſtri adſunt, nimirum ſancti angeli, qui mandata ejus exequuntur, Pſal. 103. v. 20.

Si igitur vides hominem pium ambulare cum ipſo Deum Patrem. qui non procul eſt ab unoquoque noſtrûm, quia in ipſo ſumus, vivimus & movemur, Act. 17. verſ. 28. & Deum Filium, qui promiſit ſe fore medium, ubi duo vel tres congregati fuerint, Matth. 18. verſ. 20. & Deum Sp. S. cujus templa ſunt omnes fideles, 1. Cor. 3. verſ. 16. cogita etiam omnes angelos, ipſum comitari, qui ſunt miniſtratorii Spiritus emiſſi propter eos, qui hæreditare debent vitam æternam, Ebr. 1. v. 14.

O ambulacrum pulcherrimum! O comitatum glorioſiſſimum! Si Deus pro nobis, quis contra hos? Rom. 8. v. 31.

2. Interrogando. Quàm primum enim appropinquat, ſtatim interrogat diſcipulos: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes?

Duo Chriſtus quærit in his verbis:

1. *De ſermone familiari*, quem inter ambulandum commutabant. Ita notat adhuc quàm accuratiſſimè ſermones & colloquia noſtra, ubicunque verſamur, & aliquando rationem à nobis exiget. Proinde caveamus ne ſermo corruptus egrediatur ex ore noſtro, ſed quæcunque vera, quæcunque pura, quæcunque honeſta, juſta & amabilia ſunt, loquamur, Phil. 4. verſ. 8. ne triſtitia afficiamus Spiritum Sanctum, per quem obſignati ſumus in diem redemptionis, Eph. 4. v. 29. 30.

2. *De angore ſingulari.* Novit enim triſtitiam

Digitized by Google

triſtitiam cordis, & gemitus noſtri coram ipſo non ſunt abſconditi, Pſ. 38. v. 10. Quò pertinent dicta Scripturæ, Pſal. 10. verſ. 14. 58. verſ. 12. Si igitur mœrori tuo conſultum cupis, ad Chriſtum te confer, & mitigationem ſupplica, non derelinquet te orphanum, Joh. 14. verſ. 18. dolet enim ſuper miſeris Iſrael, Jud. 10. v. 16.

3. *Informando.* Poſtquam enim Cleophas aperit ipſi tàm colloquii materiam, verſ. 18. 19. quàm triſtitiæ ſcatebram, verſ. 20. 21. 22. 23. 24. & eo ipſo craſſam ſuam ignorantiam prodit, prolixum Chriſtus ſermonem inſtituit, qui duabus partibus abſolvitur.

I. *Eſt incredulitatis objurgatio,* verſ. 25. ſtultos nominat ob mentis cœcitatem, tardos ob cordis in credendo difficultatem.

Apparet inde non eſſe mirum aut novum, ſi in viſibili Eccleſiæ cœtu inveniantur ſtulti & tardi corde ad credendum omnibus, quæ Prophetæ locuti ſunt. Quando quidem Chriſtus in ſua ſchola tales etiam habuit, qui tamen, ut Doctor ille cum erudita lingua, Eſa. 50. v. 4. non concionatus eſt, ut Scribæ & Phariſæi, ſed ὡς ἐξουσίαν ἔχων, Matth. 7. v. 29. qualiter non locutus eſt unquam ullus homo, Joh. 7. v. 46.

Stulti & tardi corde ſunt

1. *Pertinaces,* qui concionibus pœnitentiæ nil quicquam moventur, ſed pergunt in peccatis, adeoque conſilium Dei ſpernunt adverſus ſemetipſos, Luc. 7. v. 30.

2. *Simplices,* qui conciones quidem frequentant, ſed nihil proficiunt, de quibus Paulus 2. Tim. 3. v. 7.

3. *Sapientes*, hi ſunt docti ſtulti, qui ſingula fidei myſteria ad rationis ſuæ quincuncem protervè examinant, vel præconceptis opinionibus faſcinati ſunt, & illas acriter defendunt. Nam ſapientia mundi ſtultitia eſt coram Deo, 1. Cor. 1. verſ. 20.

Notent hoc

1. *Paſtores*, ut ad exemplum Magiſtri ſui ſtultos hoſce & tardos corde citra ullum perſonarum reſpectum coram omnibus redarguant & non parcant, ſiquidem officium miniſtri Evangelici legitimè adminiſtrare velint, 2. Tim 4. v. 5.

2. *Auditores*, ſi quando ab animarum ſuarum vigilibus acriter ob ſtultitiam & tarditatem ſuam redarguantur, ne ipſis ſuccenſeant, vel correctiones iſtas ſuſque deque habeant, ſed ad exemplum Cleophæ & Comitis ejus patienter ſuſcipiant. Qui enim cuſtodit increpationes, aſtutior deinde fit, & auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientum commorabitur, Prov. 15. verſ. 31.

II. *Veritatis commonſtratio*, quam deſumit

1. Ex *decreti neceſſitate*, verſ. 26. Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, inquit, & introire in gloriam ſuam? Hæc neceſſitas premit omnes & ſingulos Chriſtianos, Act. 14. verſ. 22. Ita decretum: Ita decreti ſtat ſententia. Ergò tollamus crucem noſtram & patienter ſequamur. Nemo enim coronatur ante pugnam & victoriam, 2. Tim. 2. verſ. 5. Satanas invertit hunc ordinem. Clientibus ſuis promittit & largitur aliquid gloriolæ, quam poſteà ſequitur æterna paſſio & ignominia; ſed Chriſti ordo ſic habet, ut prior ſit paſſio, & ſempiterna ſuccedat gloria. Melius autem hîc breviter pati, quàm in æternam perniciem præcipitari. Non enim condignæ ſunt paſſiones hujus ſeculi gloria nobis revelanda, Rom. 8. v. 18.

Digitized by Google

2. *Ex Scriptura veritate.* Nam incipiens à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis Scripturas, quæ de ipſo loquebantur, verſ. 27.

Optimus igitur confirmandi doctrinam modus eſt, Scripturæ allegatio, cujus unicus & principalis ſcopus eſt Chriſtus, & quod Moſes & Prophetæ de ipſo nunciarunt futurum, id Evangeliſtæ & Apoſtoli nunciaut completum. Eſt enim α & ω, Apoc. 1. v. 8. & quaſi centrum Scripturæ, Pſ. 40. v. 8. Joh. 5. v. 39. Act. 10. v. 43. Huc ſpectant vaticinia clariſſima de paſſione & reſurrectione, itemque typi varii, quos adduxit

1. *è libris Moſaicis*, confer Gen. 3. v. 15. & Rom. 5. verſ. 18. 19. Col. 2. v. 14. 15. item Gen. 14. v. 3. 18. v. 18. 22. v. 18. & Gal. 3. v. 8. 16. Ebr. 11. v. 18. Typi in Moſe plures reperiuntur, cujus tota politia nil niſi pædagogia fuit ad Chriſtum, Gal. 3. v. 24. & umbram habuit futurorum bonorum, Ebr. 10. v. 1. confer Gen. 17. v. 10. & ſeqq. & Col. 2. v. 11. Rom. 4. v. 11. Item Exod. 12. v. 3. & 1. Cor. 5. v. 7. item Exod. 16. v. 14. & Joh. 6. v. 31. item Num. 20. v. 11. & 1. Cor. 10. v. 4. item Num. 21. v. 9. & Joh. 3. v. 14. adde Ebr. 7. v. 8. 9. 10. per totum.

2. *è libris Propheticis.* conf. Eſa. 7. v. 14. & Matth. 1. v. 23. Jer. 33. v. 15. 17. & Luc. 1. v. 27. Mich. 5. v. 2. & Luc. 2. v. 5. Eſa. 40. v. 3. itemque Mal. 3. v. 1. & Matth. 3. verſ. 3. Joh. 1. v. 6. Pſ. 118. v. 22. & Matth. 21. v. 42. Pſ. 41. v. 10. 55. v. 13. 15. & Joh. 13. v. 18. Zach. 11. v. 12. 13. & Matth. 27. v. 5. 9. Eſ. 50. v. 6. 53. verſ. 2. 3. & ſeqq. Pſ. 22. verſ. 7. 8. 15. 16. & Matth. 26. v. 67. 27. v. 2. & ſeqq. Luc. 22. v. 66. Joh. 18. v. 28. 29. Pſ. 16. v. 9. 10. Eſ. 53. v. 9. & Matth. 27. v. 57. Luc. 23. v. 50. Joh. 19. v. 38. Oſ. 6. v. 2. 13. v. 14. Zach. 9. v. 11. & Matth. 28. v. 1. Marc. 16. v. 1. Luc. 24. v. 1. Joh. 20. v. 1. 1. Cor. 15. v. 55. Mich. 2. v. 13. Pſal. 68. v. 19. 110. v. 1. & Marc. 16. verſ. 19. Luc. 24. v. 51. Act. 1. v. 9. Ebr. 1. v. 13. Eph. 4. verſ. 8. &c.

Sic oportuit Chriſtum pati, & intrare in gloriam ſuam. Sic prædixerunt Prophetæ per Spiritum Chriſti τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, 1. Pet. 1. v. 11. Unde poſſumus colligere non ſolùm quod Chriſtus ſit verus Meſſias, ſed etiam quod per paſſionem & reſurrectionem ſuam æternam nobis redemptionem acquiſiverit. Sicut enim propter peccata noſtra mortuus eſt, ita reſurrexit propter juſtitiam noſtram, Rom. 4. v. ult.

De Tertio.

Reſtat pars tertia *de reſurrectionis manifeſtatione*, eujus hîc deſcribitur

I. *Modus.* Nam ubi ventum eſt ad caſtellum Emaus, fingebat Chriſtus ſe longius iturum, ſed manifeſtare decrevit reſurrectionem ſuam.

Notanda igitur hîc ſeſe offerunt

1. *Chriſti ſimulatio*, quam adhuc hodie in uſu habet, præſertim ſub cruce & perſecutione, ubi quandoque ſimulat, ſe diſceſſurum, vel abſconditſe, ut jures ipſum quàm longiſſimè abeſſe, & tui curam depoſuiſſe, ut Zion lamentatur, Eſa. 49. v. 14. & David, Pſal. 31. v. 23. 44. v. 25. huc pertinet exemplum Gideonis, Jud. 6. v. 13. ſed apage tales cogitationes. Dominus tecum eſt, & certamen tuum videre expectat, quod Antonio reſpondebat.

Et cum blanditur Pater eſt, cum punit is idem eſt.
Sic homo ne pereat, deficiàtve facit.

2. *Diſcipulorum invitatio.* Nam cogebant eum, inquit Evangeliſta, & dicebant:

mane

Digitized by Google

mane nobiſcum, quoniam advesperaſcit & inclinavit dies.

Utinam etiam inter nos eſſent, qui Chriſtum eo modo cogerent, quales ipſe precatores requirit, Ezech.22. verſ.30. *Hac vis Deo grata eſt*, inquit Tertullianus. Et ſicut Joſua curſum ſolis precibus ſuis ſiſtere poterat, Joſ.10. v.12. Ita nos quoq; ardentibus ejuſmodi precibus Chriſtum ſolem juſtitiæ detinere poſſumus, Pſalm.145.v.18.19. Exempla ſunt in promptu. Jacobus Dominum cogebat precibus ſuis; cum longius iturum ſe ſimulabat, Gen.32.v.26. Moſes, Exod.32.verſ.11. ſeqq. Cananæa, Matth.15. v.23. ſeqq.

Sequamur dilecti,& cum ſponſa dicamus Cant.3.v.2.ſeqq. quæram quem diligit anima mea, tenui eum & non dimittam, &c. Habemus ſanè cauſas pergraves.

Adeſt *veſpera ſpiritualis in ſtatu Eccleſiaſtico*. Veſpera ingruit per hæreſes & perſecutiones. Sicut enim circa veſperam lux ſolis diminuitur: Ita ſol juſtitiæ incipit radios contrahere, & lux Evangelii in multis regionibus incipit extingui, ubi prius in candelabro poſita luxit omnibus in domo, Matth.5. v. 15.

In ſtatu Politico veſpera ingruit per bella & devaſtationes. Sicut enim circa veſperam ſolent oriri tempeſtates, tonitrua & fulmina: Ita quoque circa hanc mundi veſperam variæ calamitatum tempeſtates oboriuntur. Sicut enim ſub primo CHRiſti adventu conditio Judæorum erat miſerabilis, ingemiſcebant ſub jugo alieni magiſtratus, & it[illegible]t, ut cenſerentur, Luc.2.v.3. Ita quoque in ſecundo Chriſti adventu Eccleſia laborabit ſub graviſſimo onere bellorum juxta CHRiſti ipſius prædictionem, Matth.24.v.7.

In ſtatu Oeconomico, veſpera ingruit per ſecuritatem & impœnitentiam. Sicut enim circa veſperam homo fit ſomnolentus, & non amplius tam alacris eſt ad labores & ſtudia, ſicut manè ſub auroram: Ita circa hunc mundi veſperam non amplius viget alacre pietatis ſtudium, ſed homines ſunt ſecuri & remiſſi ad bona opera, multiplicatur iniquitas, & charitas frigeſcit, Matth.24. v.12. refer huc Jer.9. v.2. & ſeqq. Mich.7. v.2.ſeqq.

Adeſt etiam *veſpera naturalis*

1. *Seculi*. Vivimus enim in ultimis temporibus, fines ſeculorum in nos devenerunt, 1.Cor.10. verſ.11. noviſſima hora eſt, 1.Joh.2.v.18.

2. *Termini*. Neſcimus enim, quando nobis erit moriendum, Geneſ. 27. verſ. 2. ſingulis horis & momentis mors nobis imminet, ſenibus in janvis, juvenibus in inſidiis, ut Bernhardus ait, Eccleſ.9. verſ.5.12. Proinde orandum: Mane nobiſcum Domini, ne fortè non cogitantibus nobis dies inclinet, & ſub vitæ huius veſperam vitæ nobis lux inſperato caſu extinguatur, ſed Chriſtus nobiſcum ſit, & per umbroſam mortis vallem nos deducat, Pſalm.23.v.4. nam quocunq; loco ceciderit arbor vel ad auſtrum vel ad aquilonem, ibi jacebit, Eccleſ.11.v.3.

3. *Chriſti gratificatio*. Nam quia precibus ſuis ita cogebant ipſum, intravit, ut maneret cum ipſis. Unde eluceſcit

1. *Precum efficacia*, quibus invincibilem ligare & omnipotentem vincere poſſumus, Jacob.5. v.16. promiſit nobis, quod velit nobiſcum manere uſque ad conſummationem ſeculi, Matth.28. v.ult. Hanc promiſſionem ſi in precibus ipſi tanquam ſcutum obtendimus, non poteſt non re-

ſpon-

ſpondere & dare quod petimus, Pſal. 27. v. 8. Jerem. 31. v. 20.

2. *Permanentis gratia*, quam declarat

1. *Accumbendo*, verſ. 30. Ita paratus & promptus eſt adhuc hodie, ut apud nos divertat in corde noſtro, imò pulſat januam, & vult ſibi aperiri, ut cœnam nobiſcum capiat, Apoc. 3. verſ. 20. ſi aperimus ipſi per pœnitentiam, hîc dulcedine verbi & Sacramentorum, illic autem ubertate domus cœleſtis & torrente voluptatis cibabit & inebriabit nos, Pſ. 36. v. 9.

2. *Gratias agendo*, verſ. 30. & hoc ipſo docet, quomodo nos etiam panem cum gratiis accipere, & piis precibus benedicere debemus, juxta præceptum divinum, Deut. 8. v. 10.

3. *Panem frangendo*, v. eod. Pontificii ex hoc loco communionem ſub una ſpecie probare contendunt. Sed fruſtrà. Nam Chriſtus ſacram cœnam inſtituit ſub utraque ſpecie, quæ inſtitutio norma & forma eſt, juxta quam in omnibus controverſiis ſtatuendum, credendum & judicandum eſt. Quia igitur hîc neque verba formalia, neque membra ſubſtantialia Chriſtus adhibet, exinde ſatis apparet, nullum hîc Sacramentum vel inſtitutum vel celebratum eſſe, aliàs ſequeretur, ubicunque Chriſtus panem accepit, benedixit, fregit & diſtribuit, ibi cœnam adminiſtratam fuiſſe, ut Matthæi 14. v. 19. dicitur.

Inhærete igitur Vos mei, primævæ inſtitutioni. Hîc non agitur de cœna, ſed de vulgari tantùm convivio, & frangite panem veſtrum pauperibus, Eſa. 58. v. 7. ita frangetis cor Dei paternum, Pſ. 41. v. 2. frangetis cœli fores, & Deus benedictionem ſuam largiter ſuper vos effundet, Mal. 3. v. 10.

4. *Oculos aperiendo.* Videbant quidem antea Chriſtum, & eloqui audiebant, ſed non agnoſcebant ipſum, quia oculi eorum tenebantur. Jam verò mediante fractione Chriſtus velum illud aufert. Non enim dabit in æternum fluctuationem juſto, Pſal. 55. verſ. 23. ira ejus durat momento, ad veſperam commorabitur fletus, & ad matutinum jubilatio, Pſ. 30. verſ. 6. 7. hinc ipſe alloquitur nos Eſ. 54. v. 7. ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, ſed in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.

5. *Diſparendo.* Nam poſtquam ipſum agnoverunt diſcipuli, ἄφαντος ἐγένετο, inviſibilis ſive inconſpicuus factus eſt, inquit Evangeliſta. Hoc argumentum eſt infallibile, quod corpore glorificato reſurrexerit, cui etiam corpora noſtra mortalia aliquando conformabit, Phil. 3. v. ult. Jam habemus corpus ψυχικὸν, ſed reſurget πνευματικὸν, 1. Cor. 15. v. 44. & ἰσάγγελον, Matth. 22. v. 30.

II. *Fructus*, nimirum reſurrectionis certitudo, quam hauſerunt

1. *Ex mutuo colloquio*, verſ. 32. Sicut igitur diſcipuli hi in fide confirmantur per concionem Chriſti: Ita confirmat nos magnoperè, quando audimus, quomodo Moſes & omnes Prophetæ in V. T. de Chriſti reſurrectione vaticinati ſunt. In hoc volumine ſcriptum eſt de Chriſto, Pſ. 40. v. 8.

2. *Ex numero reciproco.* Nam poſtquam Chriſtum viderunt, ſtatim revertuntur Hieroſolymas ad reliquos pios condiſcipulos, qui ipſis annunciant: Verè reſurrexit Dominus, & Simoni apparuit. Illi con-

Digitized by Google

confirmant ipſorum fidem, enarrantes omnia, quæ in via geſta erant. Imitemur & nos laudabile hoc piorum exemplum, nihil prius ducentes, quàm ut gaudium noſtrum in Domino fratribus noſtris communicemus, mutuis nos inde conſolationibus confirmemus, Dei gloriam amplificemus, & bonum comune, quantum poſſumus, propagemus. Hoc requirit Chriſtiana charitas, quæ à fide nunquam ſolet abeſſe, Gal.5.v.6.

3. *Ex firmo teſtimonio*, fractione nimirum panis, quam peculiarem ipſi fuiſſe Lyra teſtatur, ac ſi ſcinderetur cum cultello. Utut ſit, fractionem hanc ſuo modo adhuc apud nos adminiſtrat. Nam in duplici ſignificatione verbum frangendi uſurpatur. Primò idem eſt quod comminuere & in partes dividere, quod Chriſtus fecit, in convivio Emauntico. Deinde etiam pro diſtributione accipitur, Eſa. 58.verſ.7. Hoc modo Chriſtus adhuc hodie nobiſcum accumbit, & panem frangit, Pſal. 104. verſ. 14.15. Si verò panem non frangit & diſtribuit, in toto orbe panis deeſt, ſicut tempore Joſephi, Geneſ. 47. v. 13. ut omnes cum Abedmeleco lamentati cogantur: Non ſunt panes ultra in civitate, Jerem. 38.v.9.

Agnoſcamus nos ex hac fractione, Chriſtum eſſe verum alimentatorem, & ſi fames nos premat, imploremus ipſum, tunc franget nobis panem noſtrum, ut famem ſedare poſſimus, Eſ.30.v.20.Pſ.132.v.15.& tandem in æternam patriam translocabit, ubi panem comedemus in regno cœlorum, Luc.14.v.15.

Feria III. Paſchatis.

Evangel. Luc. 24.verſ.36.47.

CUm Holofernes Dux ille & Imperator Aſſyrius truncato capite expiraſſet, & omnis exercitus ejus partim cæſus, partim in fugam conjectus, & de terra Iſraelitarum expulſus eſſet, ſpoliabant Iſraelitæ caſtra eorum, & prædam adeò divitem reportarunt, ut non eſſet numerus in pecoribus, & jumentis & univerſis mobilibus, unde omnes à minimo ad maximum uſque divites facti ſunt, de prædationibus Aſſyriorum. Nam per dies triginta vix collecta ſunt ſpolia à populo Iſrael, Judith.15. v.7.ſeqq.

Chriſtus vos mei, Dux & Imperator noſter cœleſtis Holofernem infernalem devicit, caput ejus contrivit, & totum ſimul exercitum ejus, peccatum, mortem & infernum expugnavit & in fugam conjecit. Hodie à pugna reducem ſe nobis ſiſtit, & prædam diſtribuit. Adeſte igitur, quotquot laboratis & onerati eſtis, Chriſtus pacem annunciat, quæ ſuperat omnem rationem, & conſcientias tranquillat. Hæc præſtat omnibus ſpoliis, quæ Iſraelitæ ex Caſtris Aſſyriorum abſtulerunt, & in mediis belli tumultibus cor hominis Chriſtiani in Deo exhilarat, Phil.4.v.7. ſicut prælecta pericope abunde teſtatur. Videbimus

I. Chriſti manifeſtationem.

II. Reſurrectionis confirmationem. J.J.

EXEGESIS.

ITerum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, inquit Salvator Johan.16.v.22. Hæc pro-

promiſſio impleta eſt in hodierno Evangelio, ubi diſcipulis ſuis in occluſo contubernio congregatis ſeſe manifeſtat, & inſperatum in cordibus ipſorum gaudium accendit. Notanda igitur circa manifeſtationem illam

I. *Temporis nota*, quando facta ſit, nimirum ea ipſa veſpera, quâ diſcipuli Emaunte reverſi nunciabant cæteris omnia, quæ geſta erant in via & quomodo agnoverint eum in fractione panis. Hæc enim ipſis loquentibus ſtetit Jeſus in medio eorum.

Sic Chriſtus ſimiliter ſit ſcopus & materia ſermonis noſtri, tunc ſeſe aſſociabit nobis lubentiſſimè juxta promiſſionem Johan.14. v.18. Non loquamur ſemper terrena, multò minus obſcœna, ut ſolent Epicuri de grege porci, qui feriis hiſce paſchalibus in popinis conveniunt, & non de filio Virginis, ſed de filio Veneris, non de cœlo & cœleſtibus ſed de mundo & terreſtribus, non de Pſalmodiis Davidicis, ſed de cantilenis Venereis, & ineptiis ſermones inſtituunt. Hi certè non Chriſtum ſed Diabolum in medio habent, qui ſcurrilibus iſtiuſmodi colloquiis delectatur tanquam imundus ſpiritus, Luc. II. v. 24. Cavete igitur vobis à ſermonibus obſcœnis, &, ſi boni eſſe & haberi velitis, ex bono theſauro veſtro bona proferte, quod bonorum in quarto modo proprium eſt, Matth.12.v.35.

3. *Apparitionis forma*, quæ fuit

1. *Mirabilis*. Venit enim ex improviſo, quaſi ἀπὸ μηχανῆς, cum foribus clauſis nullus eorum adventũ ejus ſomniaſſet, nedum ſperaſſet, quod noſtræ etiam conſolationi inſervit. Nam idem Chriſtus θεάνθρωπος, qui ex improviſo diſcipulis in ſumma triſtitia conſtitutis adfuit, nobiſcum etiam erit omnibus diebus, Matth.28. v.20. nihil ipſi impoſſibile eſt, ſed penes ſe omnium locorum claves in promptu habet, ingreditur & egreditur ubicunq; vult, & poteſt dilectos ſuos ex omnibus anguſtiis liberare, 2.Pet.2. v.9. Probat hoc exemplum Joſephi, Sap.10. v.14. Jonæ,c.2.v.11. Danielis,c.6.v.16. trium virorotum in fornace Babylonica, Daniel.3. verſ.26. Ita ne dubita, cum tranſieris per aquam, tecum erit, & flumina non operient te, cum ambulaveris in igne, flamma non ardebit te, Eſ.43.v.2.

Cave autem, ne pecces in abſcondito, & dicas cum impiis: non videbit Dominus, Pſ.94. v.7. Latibula diſcipulorum penetrat, cur tua non penetraret? Oculi ejus ſunt lucidiores ſole, & omnia abſcondita per veſtigant, Siracid.23.v.28.

2. *Notabilis*. In medio enim conſiſtit, ut ferè ſemper in more habuit. Eſt enim Sol juſtitiæ, Mal.4.v.2. qui in medio ſeptem planetarum locum ſuum obtinet. Certè ubicunq; Chriſtum quærimus, ſemper in medio ipſum in glorioſa & ſuperbenedicta Trinitate, eſt media h. e. ſecunda perſona. Si conſideramus ipſum in nativitate, naſcitur media nocte, quò accommodant pii veteres dictum Sap.18.verſ.14.15. in pueritia, ſedit in medio Doctorum Luc.2.v.46. in paſſione medius pependit inter duos latrones, Luc. 23.v.33. Heri ambulabat medius inter Emaunticos, hodie ſtat medius inter diſcipulos, juxta promiſſionem Matth.18.v.20. hinc videt ipſum Johannes ambulantem in medio candelabrorum aureorum, Apoc.1.v.13.

Hoc ipſo nobis inſinuare voluit

1. *Officii ſui proprietatem*, quod ſit mediator unicus inter DEUM & homines, 1.Tim. 2. v.5. quia enim peccata noſtra dividebant inter Deum & homines, Eſa. 59. verſ.2. Chriſtus in medio ſtetit, ut pro peccatis

Digitized by Google

catis ſatisfaceret, & genus humanum Patri ſuo reconciliaret, quia participat de natura divina, ut Deus, & de natura humana, ut homo, atque ſic extrema illa diffidentia, Deum offenſum & hominem lapſum rurſus combinavit, ut ſuaviſſimè jam conſpirent & cohabitent. Juſtificati enim fide pacem habemus cum Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, inquit Paulus, Rom.5.v.1.

2. *Amoris ſui æqualitatem*, ideò enim ſtetit in medio, ut oſtenderet beneficia ſua ad omnes, æqualiter pertinere. Quamvis enim Petrus gravius peccaverat quàm reliqui Apoſtoli, Chriſtus tamen nullam facit ſeparationem, ſed in medio ſtans tàm propinquum ſe Petro ſiſtit, quàm reliquis Apoſtolis.

Hoc inſignem præbet conſolationem, quando tentatione indignitatis affligimur, quod gravius peccaverimus quàm ſancti Dei homines. In Chriſto enim mediatore noſtro per fidem ſumus æquales, cujus ſalutaris gratia apparuit omnibus hominibus, Tit. 2. verſ.14. Si igitur vel maximè in hoc mundo ſumus velut oves in medio luporum, Matth.10.v.16. Chriſtus tamen ut Paſtor fidelis lupos coercebit, & in medio noſtri conſiſtet, ſicut columna nubis ſtabat medio loco inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſrael, Exod.14.v.20.

3. *Amicabilis.* Nō increpat ipſos propter deſertionem, ſed amicè ſalutat, dicens: Pax vobis. Quæ formula erat Judæis uſitata, qua diſcipulis ſuis non proſperitatem duntaxat & ſalutem communem, ſed pacem præcipuè ſpiritualem apprecatur, de qua jam ante ipſis dixerat Johan.14.v.27. Eſt enim Princeps pacis, Eſa.9.v.6.& per ſanguinem crucis omnia reconciliavit tùm quæ in terra, tum quæ in cœlis ſunt, Col.1.v.14.20.

Pacem habemus ſupra nos cum DEO, Rom.5.v.1. infra nos cum inferno & morte, Oſ.13.v.14. intra nos cum propria conſcientia, Col.2.v.14. Juxta nos ad dextram cum Angelis qui nobis non magis adverſantur, ſed defendunt & cuſtodiunt, Ebr.1. v. ult. ad ſiniſtram cum proximo. Nam unus panis & unum corpus multi ſumus, ſicut de de uno pane & de uno calice participamus, 1.Cor.10.v.17.

Gaudete igitur peccatores & omnes afflicti quotquot eſtis & ubi eſtis. Nullus triſtitiæ & timoris locus jam ſupereſt, pacificata ſunt omnia, pax in cœlo, pax in terra, pax cum Deo, pax cum Angelis, pax cum hominibus bonæ voluntatis, Luc.2.v.14. Videte autem, ne violetis conditiones pacis, quas pater cœleſtis nobiscum ſancivit, impii enim non habent pacem, Eſa.48.v.ult.

III. *Conſequens efficacia*, quæ duplex

1. *Terror*, Nam exhorreſcunt diſcipuli ad conſpectum Chriſti, qui propria conſcientia ipſis dictabat, quàm turpiter aufugerant ab ipſo in horto, relicto magiſtro ſuo in manibus hoſtium, pro quo tamen vitam & fortunas ſuas omnes exponere polliciti erant. Ita nimirum fieri ſolet, quando homines afflicti ſuis indulgent ſpeculationibus, & vel leviculum conſcientiæ vulnus ſentiunt, ibi omnis conſolatio expirat, terret eos ſonitus folii volantis, Levit.26. v.36. & nemine perſequente fugiunt, Proverb.28. verſ.1. ſemper namque ſæva præſumit conſcientia perturbata, Sapient.17. verſ.11.

2. *Error.* Putant enim ſe videre ſpectrum ſicut anteà cum in mari ambulabat noctu, Matth.14. v.26. Apparet inde Diaboli malitia, qui faciem humaniſſimam & verba jucundiſſima Chriſti Salvatoris pervertere,

& ex melle & medicina, fel merum & venenum efficere poteſt, ut infirmos fide in triſtitiam & deſperationem conjiciat. Delectatur enim perditione, Job. 41. v. 13. quandoque internis nox vexat tentationibus peccata exaggerando & gratiam Dei extenuando, quandoque etiam ſpectra addit, quibus exagitat timidas conſcientias, ſed muniamus nos panoplia ſpirituali à Paulo deſcripta, Eph. 6. v. 13. certò perſuaſi, quod citra Dei veniam ne pilum à capite commovere poſſit, Matth. 10. v. 30. nam princeps mundi judicatus eſt, Joh. 16. v. 11.

De Secundo.

Fuit manifeſtatio, ſequitur *confirmatio*. ubi duo cumprimis notanda veniunt:

I *Dubitationis ſublatio*, quæ fit

1. *Verbis*, v. 38. Nam quid turbati eſtis, inquit Salvator, & quare tales cogitationes aſcendunt in cordibus veſtris, q. d. Ego ſum Magiſter veſter antiquus, non veni, ut terrorem vobis incutiam, quod ſpectra facere ſolent, ſed ut conſolatione efficaciſſima per aſſecurationem reſurrectionis meæ vos perfundam.

Suppullulat inde

1. *Conſolatio*. Nam videtis hîc dilecti, quid à Chriſto vobis expectare liceat, nimirum efficaciſſimam conſolationem in omnibus adverſitatibus, eſt enim Deus omnis conſolationis, Rom. 15. verſ. 5. & in hunc finem deſcendit in hanc lacrymarum vallem, ut mederetur contritis corde, & conſolaretur omnes lugentes, Eſa. 61. v. 2. Diabolus autem eſt ſpiritus ille ἀνεπιχαιρέκακος qui delectatur perditione, Job. 41. v. 13. & afflictis afflictionem addere ſtudet, ut in deſperationem ipſos conjiciat, & ſi vel maximè aliquando conſolatoria verba emittit, & dulce canit, facit ut fallat, inſtar aucupis, ut depingitur, Pſ. 91. v. 3.

2. *Dehortatio*, quia enim cogitationes novit Salvator, provideamus Dominum in conſpectu noſtro ſemper, quoniam eſt nobis à dextris, Pſ. 16. verſ. 8. & renes probat, Jer. 17. v. 10. quicquid igitur pudet dicere, pudeat etiam cogitare, inquit Hieronymus. Deus enim corda inſpicit & judicat, 1. Sam. 16. v. 7. 1. Cor. 4. v. 5.

2. *Signis*. Nam manus & pedes ipſis oſtendit, & videte, inquit, quia ego ipſe ſum. Contrectate me & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

Hoc ipſo comprobat

1. *Reſurrectionis veritatem*. Ideò enim cicatrices vulnerum ſuorum retinuit οἰκονομικῶς, ut ſanaret vulnus incredulitatis in corde diſcipulorum ὀφθαλμοφανερῶς, inquit Auguſtinus, qui non poterant ſibi imaginari, quod à morte reſurrexiſſet. Aliàs corporis glorificati qualitatibus repugnant tales nævi, Eph. 5. v. 27. 1. Cor. 15. v. 41. videbunt quidem impii, quem pupugerunt, in extremo judicio, Zach. 12. v. 10. Sed quod vulnera & cicatrices viſuri ſint nuſpiam dicitur. Ceſſavit enim talis œconomia, poſtquam Chriſtus ad dextram Dei exaltatus eſt, quod evincitur inde, quia corpora noſtra in reſurrectione omni nævo atque defectu carebunt, utpote σύμμορφα corpori Chriſti, Phil. 3. v. 21.

2. *Reſurrectionis identitatem*. Nam vero & eſſentiali ſuo corpore reſurrexit, quod in cruce pependit, mortuum & ſepultum eſt, Joh. 2. v. 19. 21. Ita etiam nos iiſdem numero corporibus reſurgemus, quæ in hac vita habemus & circumferimus Job. 19. verſ. 26. ipſa oſſa arida in terra quieſcentia, denuò vivifica-

Digitized by Google

vivificabuntur, Ezech. 37. v. 5. Deus enim omnia ſanctorum oſſa cuſtodit, unum ex his non peribit, Pſal. 34. v. 21. Adde quod congruum eſt juſtitiæ divinæ, ut quilibet in corpore ſuo reportet ſive bonum ſive malum, quod perpetravit dum in vivis erat. 2. Cor. 5. verſ. 10.

3. *Factis.* Nam adhuc non credentibus illis præ gaudio, & mirantibus, ut inquit Evangeliſta, eſculentum aliquid poſtulat; & cum offerrent ipſi partem piſcis aſſi, & favum mellis in conſpectu eorum comedit, quod iterum ſecundùm diſpenſationem intelligendum eſt. Edere enim & bibere, ſunt propria corporis naturalis, quibus uſus eſt Chriſtus poſt reſurrectionem, non ex indigentia, ſed ut eo modo veritatem corporis reſurgentis aſtrueret, ut Beda loquitur. Quò enim debiliores fiunt diſcipuli in fide, eò magis Chriſtus infirmitatem ipſorum ſublevat non ſolùm verbo, quod audiunt, ſed etiam ſigno externo, quod oculos incurrit. Pariter adhuc hodie affectus eſt erga omnes, qui fidem habent languentem & deficientem. Huc pertinent promiſſiones gratiæ, Eſ. 42. v. 3. 54. v. 8. Jer. 32. v. 42. Oſ. 11. v. 9. &c. quibus innitere firmiter, & ſi adhuc dubitas præ gaudio, quod ex promiſſionibus illis oritur, adde ſigna gratiæ, quibus promiſſiones ejuſmodi confirmantur, ut nulla dubitationis cauſa fidelibus ſupereſſe poſſit. Rom. 4. v. 11.

II. *Plenior informatio*, quâ revocat ipſis in memoriam

1. *Sermonis priſtini tenorem*, v. 44. ut videant completum, quod anteà ſæpius de paſſione, morte & reſurrectione ſua prædixerat. Eſt enim verax, & quod promittit, infallibiliter præſtat, Pſ. 33. v. 4.

Revocate vobis etiam in memoriam, dilecti, verba quæ locutus eſt in diebus carnis ſuæ Matth. 7. v. 7. 11. v. 28. Joh. 6. v. 37. 10. v. 28. faciat quod bonum eſt in oculis ejus, & ex omnibus verbis bonis, quæ ſe Dominus præſtiturum nobis promiſit, unum non præteribit in caſſum, Jeſ. 23. v. 14.

2. *Vaticiniorum propheticorum valorem*, & mentem illorum aperit, ut Scripturas intelligant. Nam animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. verſ. 14. Chriſtus autem eſt leo ille de tribu Iuda, qui librum aperire, & ſeptem ejus ſigilla ſolvere poteſt, Apoc. 5. v. 5. ab eo igitur poſtulanda eſt ſapientia piis & aſſiduis precibus, ſi verum Scripturæ ſenſum aſſequi velimus, Iac. 1. v. 5. Pſ. 119. v. 18. Sir. 39. v. 1. & ſeqq.

Elicit autem ex vaticiniis hiſce propheticis

1. *Neceſſitatem paſſionis*, verſ. 46. Licet enim alius modus redimendi genus humanum Deo non defuit, cujus poteſtati omnia ſubjacent æqualiter, convenientior tamen ſanandæ miſeriæ noſtræ non fuit ullus, nec eſſe potuit, quam mors Chriſti, inquit Auguſtinus. Agnoſce hinc charitatem Patris, qui filio non pepercit, ut ſervum redimeret, Rom. 8. v. 32. Agnoſce charitatem filii, qui ſe ipſum dedit pro nobis, Tit 2. v. 14. Agnoſce charitatem Sp. S. qui hæc omnia per Prophetas prædixit, & adhuc obſignat in cordibus fidelium, tanquam ἀῤῥαβῶν τῆς κληρονομίας ἡμῶν Eph. 1. v. 14. Si igitur Deus pro nobis quis contra nos? Rom. 8. v. 31.

2. *Neceſſitatem reſurrectionis.* Caro enim Chriſti erat caro vivifica, Joh. 6. verſ. 53. Proinde impoſſibile fuit, teneri eum à morte, Actor. 2. v. 24. quin etiam nihil profuiſſet nobis ipſius mors, ſi non reſurrexiſſet, reſurrexit enim propter juſtitiam noſtram, Rom. 4. v. 25. & ſi vel unicum aliquod peccatum

catum inexpiatum ſupetfuiſſet, à mortuis reſurgere non potuiſſet, à mortuis reſurgere non potuiſſet, quia ſtipendium peccati eſt mors Roman. 6. verſ. 23. vide etiam 1. Cor. 15. verſ. 17.

3. *Neceſſitatem prædicationis*, cujus deſcribitur. v. 47.

1. *Modalitas*, quomodo prædicatio illa inſtitui debeat, nimirum in nomine Chriſti, id eſt, ad ipſius mandatum. Sunt enim pii paſtores legati Chriſti, per quos exhortatur nos Deus, ut reconciliemur ipſi, juxta Paulum, 2. Cor. 5. v. 20. Cave igitur ne Deum per legatos ſuos te exhortantem fallas, & operam ludere facias ſed libenter obtempera, & verbum eorum cum lenitate ſuſcipe, ut ſalvet animam tuam, Jac. 1. v. 21.

2. *Materialitas*. Duo enim prædicare debent

1. *Pœnitentiam*, quæ ex lege oritur, Rom. 7. v. 7. & triſtitiam ſecundum Deum operatur, quæ neminem pœnitet, 2. Cor. 7. verſ. 10.

2. *Indulgentiam*, ne peccatores deſperent in peccatis ſuis, ut Cain, Judas & alii, ſed ad Chriſtum confugiant, de quo omnes Prophetæ teſtantur, quod in nomine ejus remiſſionem conſecuturi ſint omnes credentes, Act. 10. v. 43.

Hi ſunt duo baculi, Sanfft und Wehe/ Zach. 11. v. 7. quibus omnes fideles animarum paſtores uti debent. Si igitur pœnitentiam prædicant, & baculo væ peccata tua ſuſcitant, ne ægrè feras, ſed cum gratia agnoſce. Hoc eſt ipſorum officium, à quo vel latum unguem recedere ipſis religio eſt, Ezech. 3. v. 17. ſeqq.

3. *Univerſalitas*. Nam Hieroſolymis quidem Apoſtoli incipere debent, & Judæis primùm annunciare Evangelium, Act. 13. v. 46. ita enim prædixerat David Pſ. 110. v. 2. Eſaias, c. 2. verſ. 3. Sed ibi non ſubſiſtendum erat. Nam Judæi & Gentes ad regnum Chriſti pertinebant, & proinde per concionem Apoſtolorum ad pœnitentiam invitandi erant, qui in univerſum terrarū orbem emiſſi, Matth. 28. v. 19. omnibus ubique hominibus, ut pœnitentiam agerent, annunciarunt, Act. 17. v. 30.

Unde apparet, quàm ſitiat Deus noſtram ſalutem, & non velit ullum perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Pet 3. v. 9. nam miſericordia ejus ſuper omnem carnem, Sir. 18. verſ. 12.

Dominica Quaſimodogeniti.

Evangelium Joh. 20. v. 19. 29.

De Noah legimus Gen. 9. v. 20. quod finito diluvio egreſſus arcâ plantaverit vineam. Idem de Chriſto audivimus in hodierno Evangelio. Poſtquam enim ſævis illis aquis & tumentibus paſſionis fluctibus ſuperatis ex arca ſepulchri vivus reſurrexit, miniſterium inſtituit, & diſcipulos ſuos ablegavit in univerſum mundum, ut vineam, id eſt, Eccleſiam ſibi plantarent per concionem Evangelii, & adminiſtrationem Sacramentorum tanquam ſemen immortale, 1. Petr. 1. v. 23.

Nos hiſtoriam Thomæ, quæ die ipſi ſacro explicari ſolet, omittentes, priorem ſaltem

tem

tem abſente Thoma diſcipulis reliquis factam apparitionem hâc vice explicabimus, quæ duas habet partes

I. Occurrit *Veſpertina præſentatio.*

II. *Miniſterii Ordinatio.*

J.J.

EXEGESIS.

QUinque vicibus primo reſurrectionis die Chriſtus apparuit, 1. Mariæ Magdalenæ, Joh. 20. v. 14. 2. mulieribus à ſepulchro redeuntibus, Matt. 28. v. 9. 3. duobus diſcipulis Emaunticis, Luc. 24. v. 15. 4. Simoni Petro, ibidem v. 34. tandem 5. decem Apoſtolis in contubernio quodam abſente Thoma congregatis, de qua apparitione agitur in præſenti pericope. Deſcribitur autem tripliciter; quod fuerit

I. *Singularis.* Venit enim ſub veſperam cum fores eſſent clauſæ, & hoc ipſo oſtendit

1. *Auxilii ſui opportunitatem.* Manè ſurrexerat, per integrum tamen diem in ſuſpenſo relinquit Apoſtolos, & veſperi demum apparet. Hic nempe Dei mos eſt. Multos diu exercet, nec ſtatim auxilium affert: Sed tandem cum adveſperaſcit & fermè deſperatum videtur, exoptatus adeſt, ſi vel maximè ob confesſionem Evangelii in tenebricoſum & obſcurum carcerem, à perſecutoribus conjiciamur, ut nullus amicis & cognatis ad nos pateat aditus, tamen nullæ fores clauſæ, nullæ feræ, nulli parietes poterunt prohibere, quò minus ſuo ſolatio & auxilio Chriſtus nobis præſens ſit, Eſ. 43. v. 2. Durate igitur vos mei & expectate dum moram fecerit Dominus, veniens veniet & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Cogita quod vos etjam tardi eſtis in poenitendo, & nolite murmurare adverſus Deum quando tardus eſt in ſuccurrendo, ſic probatur fides, exercetur patientia, perficitur charitas, accenditur oratio, & æterna ſalus promovetur, Rom. 5. v. 4. 8. v. 28. 2. Cor. 4. v. 17.

2. *Virtutis ſuæ immenſitatem.* Calviniani hîc nihil ſingulare agnoſcunt & divinum, ſed in his verbis deſcriptionem eſſe putant temporis veſpertini. Oecolampadius per feneſtram fortè, vel per camini reſpiraculum intraſſe, Beza fores ſponte patuiſſe, vel parietes factos eſſe pervios, alii januam per Angelum apertam eſſe ſomniant. Nos cum veneranda antiquitate verbis inhæremus, & firmiter credimus, clauſis januis Chriſtum ad diſcipulos ingreſſum eſſe. Non enim defuit Chriſto potentia tum ex virtute Deitatis, ſecundùm quam ſuperabundanter facere poteſt ultra quàm nos intelligimus, Eph. 3. v. 20. tum etiam ex dote ſubtilitatis corporis glorificati, 1. Cor. 15. v. 45.

Apparet hinc, nihil Chriſto eſſe impoſſibile, ac penes eum omnium locorum claves cuſtodiri, ingreditur & egreditur, quocunque & undecunque viſum fuerit. Monumentum quidem ſigillo obfirmatum erat, eodem tamen egreditur, januæ hîc erant clauſæ, nihilominus ingreditur. Eſt enim fortis ille perruptor, qui ubique perrumpere, & auxilio ſuo nobis adeſſe poteſt, Mich. 2. v. 13. Pſ. 91. v. 15.

3. *Corporis glorificati nobilitatem.* Quamvis enim Chriſtus eodem corpore reſurrexit, quo paſſionem & mortem ſuſtinuit, non tamen amplius eſt merè naturale, multò minus animale, & infirmitatibus humanis obnoxium, ſed ſpirituale & glorificatum corpus, quod alterius corporis obſtaculo impediri non poteſt.

Stolidum proinde ac præpoſterum eſt carnem Chriſti χειμετρεῖν, ut loquitur Athanaſius, quæ non ſolùm glorificata, ſed etiam cum λόγῳ perſonaliter unita, & ad dextram Patris

Patris cœleſtis exaltata eſt. Quieſce igitur Calvini ſoboles ab homine, cujus ſpiritus in naribus ejus eſt, quia excelſus reputatus eſt, Eſ. 2.v.vlt. Ex hac Chriſti capitis gloria noſtra quoque corpora glorificationem conſequentur, cum reſurgent in extremo die, Phil. 3. v. 21. manebit tamen corpus τῦτο ſed non τοιῦτο, erimus ἰσάγγελοι, Matth. 22. v. 30. non angeli, habebimus corpora πνευματικά, non πνεύματα, 1. Cor. 15. v. 44.

II. *Ocularis.* Nam oſtendit ipſis manus & latus ſuum id eſt, cicatrices vulnerum, quas retinuit in hunc finem, ut reſurrectionis veritatem eò fortius aſtrueret, & incredulitatis radices ex corde Apoſtolorum evelleret. Hæc vulnerum & clavorum ſtigmata Chriſtus adhuc hodie monſtrat anxiis conſcientiis in verbo & Sacramentis. Aſpice manus ejus, quibus te notavit, & nunquam oblivisci poteſt, Eſa. 49. verſ. 16. aſpice latus ejus, quod aperuit, ut abſcondaris in iſto foramine more columbarum, quando vident advolare accipitrem, Cant. 2. v. 14. & immunis eris ab omni tempeſtatum periculo. Nihil enim tam efficax eſt ad curanda conſcientiæ vulnera, quam vulnerum Chriſti meditatio ſedula, quorum livore ſanati ſumus, Eſa. 53. v. 5.

III. *Salutaris,*

1. *Ratione ſtationis.* Nam in medio diſcipulorum apparet, inquit Evangeliſta, nec ſine cauſa, ſed ut Sol inter ſidera illuminando, ut flos inter lilia decorando, ut Imperator inter milites confortando, ut cor inter membra vivificando, ut Doctor inter diſcipulos informando. Gaude fidelis anima, Chriſtum in medio habes. Vide modò, ut & tu in medio ſemper ambules, & virtutem amplectaris, quæ in medio inter duo extrema conſiſtit. Ubi enim duo vel tres congregati ſunt in nomine Chriſti, ibi medium ſe fore pollicitus eſt, Matth. 18. v. 20.

2. *Ratione apprecationis.* Nam pacem ipſis affert, quam reſurrectione ſuâ inſtauravit, unde Princeps pacis dicitur, Eſa. 9. v. 6. qui ideò venit in mundum, ut pedes noſtros dirigeret in vias pacis, Luc. 1. verſ. 79. Hæc eſt pax ſpiritualis, quam mundus dare non poteſt, Joh. 14. v. 27. & ſuperat omnem intellectum, Phil. 4. v. 7.

Angit & mordet vos conſcientia peccatorum mole gravata & ſauciata, Pſal. 38. v. 3. 4. 5. pax vobis. Dominus Jeſus miſertus eſt veſtri, & omnia peccata veſtra in profundum maris projecit, Mich. 7. v. 19. Col. 2. v. 13. 14. Cavete igitur, ne pacem hanc turbetis per peccatum, quod dividit inter nos & Deum, Eſa. 59. v. 2.

3. *Ratione exultationis.* Nam gaviſi ſunt diſcipuli viſo Domino, inquit Evangeliſta. Mundi lætitia eſt impunita nequitia, & inſtar puncti tranſit, Job. 20. verſ. 5. Proinde in Chriſto redivivo gaudium noſtrum quæramus, qui dabit nobis petitiones cordis noſtri, Pſ. 37. v. 4.

De Secundo.

Reſtat ut videamus etiam *Miniſterii Ordinationem*, cujus deſcribitur

I. *Modus*, qui tribus membris abſolvitur, nam

1. *Pacem reiterat*, & hoc ipſo oſtendit, miniſterium Eccleſiaſticum eſſe ſalutare illud medium, per quod homines DEO reconciliantur, & cum ipſo in gratiam reddire poſſunt, unde vocatur διακονία τῆς καταλλαγῆς, 2. Cor. 5. verſ. 18. De matrefamiliâs in ſpirituali domo Dei, quæ eſt Eccleſia, dicitur in Pſalm. 68. v. 13. quod dividat ſpolia, illa ſcilicet, quæ Chriſtus ex duello cum forti

arma-

Digitized by Google

armato ſuſcepto per reſurrectionis triumphum reportavit, Luc. 11. v. 22. Hoc fit per miniſterium verbi, quod verbum pacis dicitur, Eph. 6. v. 15.

2. *Miſſionem renovat*, v. 21. Per fugam & abnegationem indignos ſe reddiderant ſacroſancto hoc miniſterio, proinde renovat Chriſtus vocationem, & ſicut miſit me Pater, inquit, ita ego mitto vos. Chriſtus duplici fine à Patre in hunc mundum fuit miſſus, 1. ad redimendum, Matth. 20. v. 28. 2. ad docendum, Matth. 15. v. 24. priori modo non mittit alios, quia torcular calcavit ſolus, Eſa. 63. verſ. 3. & eſt unus mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. De poſteriori igitur miſſionis modo intelligendum eſt, quod hîc Chriſtus dicit: Sicut me miſit Pater, ita ego mitto vos.

Cum autem hæc miſſio ſit verè divina, ſummam autoritatem miniſterio conciliat. Complectitur enim

1. *Legitimam vocationem.* Sicut enim Chriſtus non venit propria authoritate, ſed in nomine Patris, Johan. 5. v. 43. ita nemo ſeipſum miniſterio ingerere debet, ſed expectet legitimam vocationem, Ebr. 5. verſ. 4.

2. *Gratioſam Dei operationem.* Sicut enim Chriſtus non fuit relictus ſolus, ſed Patrem habuit ſecum, qui per miniſterium ejus efficax fuit, Joh. 5. v. 19. Ita quoque Chriſtus vult efficaciter operari per officium miniſtrorum, ut labor ipſorum non ſit inanis, 1. Cor. 15. v. 58.

3. *Sedulam officii adminiſtrationem.* Chriſtus non eſt à Patre miſſus ad politicum dominium, ſed ad docendi miniſterium, Johan. 18. v. 37. Eſa. 61. v. 2. Ita quoque miniſtri Eccleſiæ à politico dominatu ſibi temperent, Luc. 22. v. 26. Chriſtus non ſuam ſed Patris cœleſtis doctrinam prædicavit, Johan. 14. v. 24. c. 17. v. 8. ſic Eccleſiæ miniſtri non proponant populo ſua ſomnia, ſed Chriſti verba & Scripturæ oracula, Joh. 8. v. 31. 1. Pet. 4. v. 11.

4. *Miniſtrorum ſortem & conditionem.* Chriſtus non eſt miſſus, ut in his terris mundanum favorem quæreret, & dies bonos haberet, ſed ut voluntatem Patris faceret: Ita miniſtri Eccleſiæ non debent ſibi aliam ſortem, quàm Chriſtus in his terris habuit, expetere, Joh. 15. v. 20.

3. *Spiritum S. communicat.* Nam cum dixiſſet hæc, inquit Evangeliſta, flavit in eos, & dicit eis, accipite Spiritum S. Hoc non eſt eo ſenſu accipiendum, ac ſi Spiritus Sanctus ſit flatus corporeus, ſed ideò inſufflatione uſus eſt, tanquam medio ſenſibili, ut oſtenderet

1. *Suam cum Patre æqualitatem.* Sicut enim Sp. S. vocatur Spiritus Oris Jehovæ Pſ. 33. v. 6. & ſpiraculum Omnipotentis, Job. 33. v. 4. propterea quod à Patre ab æterno procedit, Joh. 15. v. 25. Ita hîc inſufflando Apoſtolis Spir. S. Chriſtus communicat, quia à ſe quoq; ab æterno procedit, unde ſimiliter Spiritus labiorum Chriſti, Eſa. 11. v. 4. & Spiritus Oris ejus dicitur, 2. Theſſ. 2. v. 8.

2. *Miniſterii efficacitatem.* Sicut enim Deus in primæva creatione Adamo inſpirabat animam, quæ imagine Dei inſignita erat, ut ejus beneficio, non ſolum in hac, ſed etjam in futura vita beatam vitam agere potuiſſet, Gen. 2. v. 7. Ita per miniſterium verbi, quod eſt miniſterium Spiritus, 2. Cor. 3. v. 8. imago Dei per lapſum amiſſa, in homine reparatur, & ideò per inſufflationem Chriſtus Sp. Sanctum dare voluit Apoſtolis.

Olim auferebat Deus de Spiritu, qui erat in Moſe, & dabat ſeptuaginta viris, ut unâ

R cum

Digitized by Google

cum Moſe ſuſtentarent onus populi, Num. 11.v.17.25. quia igitur ſuper Chriſtum requieſcit Spiritus Domini, Eſa. 11.v.1.61.v.1. & quidem ſine menſura, Johan.3.v.34. ex illius plenitudine Apoſtoli accipiunt Sp.S. Joh.1. v.16. cujus duplex eſt operatio.

1. *Renovatio*, Pſal.104.v.30. Tit.3.v.5.

2. *Conſolatio*, Eſa.57.v.16. ubi ſimile obſervandum eſt, quod ab eteſiis deſumitur, quæ tempore æſtivo viatores ſuaviter refrigerant: Ita Spiritus S. eſt in æſtu temperies, unde paraclectus dicitur Joh.16.v.7.

II. *Scopus*, v.23. ut plenipotentiã habeant

1. *Peccata remittendi*, omnibus ſcilicet & ſingulis, qui dolent ſuper illis ſeriò, in Chriſtum credunt, & vitæ emendationem promittunt. Hæc eſt clavis ſolvens, Matth. 16.v.19.

Fluit hinc conſolatio pro miſeris peccatoribus, quâ erigi poſſunt, ſi peccatorum magnitudine & multitudine gravantur. Nam paſtores Eccleſiæ habent poteſtatem remittendi, & quod agunt in terris, apud Deum ratum eſt in cœlis, ut inquit Chryſoſtomus. Millies igitur peccaſti, millies pœnitere, & millies gratiam conſequeris. Habemus enim Deum qui peccata remittit, & aufert iniquitatem reliquiarum hæreditatis ſuæ, Mich.7.v.18.

2. *Peccata retinendi*, nimirum impœnitentibus, & obſtinatis, qui in peccatis contra conſcientiam ſecurè pergunt, & vitam emendare nolunt, his debent peccata reſervare, abſolutionem denegare, & pro ratione delictorum ex Eccleſiæ conſortio ejicere, exemplo inceſtuoſi, 1.Cor.5.verſ.5. Hæc eſt clavis ligans, Matth.16.v.19.

Poteſtatem hanc clavis utriusque omnes ac ſinguli Eccleſiarum Paſtores ordinarii non ex autoritate propria, ſed in ſolidum à Chriſto habent, qui eſt domus Dominus, Ebr.3.v.6. proinde non ſunt bruta fulmina, aut tonitrua ex pelvi, quando miniſtri Eccleſiæ impœnitentibus retentionem peccatorum ex verbo Dei annunciant. Non enim homo eſt qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis hanc poteſtatem dedit, inquit Chryſoſtomus. Qui ergò contemnit, non homines contemnit, ſed Deum, 1.Theſſ. 4.verſ.8.

Dominica Miſericordias Domini.

Evangelium Johan.10. verſ 12. 16.

CUm gravis hinc inter Core, Datan & Abironem, illinc verò inter Moſen & Aaronem quoad ſummum ſacerdotium orta eſſet contentio, Deus controverſiam hanc miraculosè terminaturus virgas duodecim Principum tribuum filiorum Iſrael tabernaculo inferri, & unicuique tribus nomen inſcribi jubet hâc conditione, ut cujus virga manè floruiſſet, ex illa tribu ſummus Sacerdos conſtitueretur. Sed ecce, ſola virga Aaronis poſtridie floruiſſe, frondiuſſe, fructumque amygdalinum protuliſſe comperta eſt, quo ſigno declarabat Deus, ſolum hunc præ cæteris ad ſummum ſacerdotium divinitus electum & prædeſtinatum eſſe, Num.16.v.3.& 17.v.2.ſeqq.

Phariſæi & Scribæ Vos mei, parem Chriſto movebant controverſiam, honores ſummi Pontificis ipſi deferre recuſantes, ſed ecce prodit in hodierno Evangelio cum virga paſto-

paſtorali, & per ejus florem miraculoſum refutat adverſarios, ut nihil inveniant, quod regerere poſſint. Hoc ipſo effecit, ut ab omnibus hodie in univerſalem paſtorem & œcumenicum Eccleſiæ ſuæ Pontificem recipiatur, qui verè de ſe gloriari poteſt: Ego ſum paſtor bonus.

Videbimus nos

I. Paſtoris curam.

II. Ovium naturam. J. J.

EXEGESIS.

MIſericordias Domini cantabo in æternum, ex Pſal.89. v.1. hodie beneficia Salvatoris deprædicatura intonat Eccleſia, unde præſens Dominica nomen ſortita eſt. Magnum enim & indubium miſericordiæ argumentum eſt, quod Paſtorem ſe Chriſtus ipſe nuncupat paſtoralem multis argumentis commendat. Producit enim

I. *Fidelitatem in paſcendo.* Eſt enim paſtor ille quem Prophetæ prædixerunt, Eſa. 40. verſ.11. Ezech.34. v.23.37. v.24. Typi ejus fuerunt Abel, Gen.4.v.2. Jacob, Gen. 29. v.20. Moſes, Exod.3.v.1. David, 1.Sam. 16. v.11. quæ omnia quaſi digito monſtrat Salvator, quando inquit in principio Evangelii. Ἐγώ εἰμὶ ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, unde ἀρχιποιμὴν à Petro dicitur, 1.c.2. v.25. Paſtor à paſcendo nomen habet, quia proprium ejus officium eſt oves paſcere. Hoc præſtat Chriſtus abundanter, Pſ.23. v.1. & paſcit oves ſibi commiſſas

1. *Cibo corporali*, dum alimenta ad victum & amictum neceſſaria ipſis ſuppeditat, tanquam verus cum Patre & Spir. S. Deus, Joh.5.v.18. Ebr.1.v.3. 1.Tim.6.v.8.

2. *Cibo ſacramentali*, dum ipſas corpore & ſanguine ſuo paſcit in S. cœna, quod nullus unquam Paſtor fecit, Matth. 26. verſ.28.

3. *Cibo ſpirituali per verbum Evangelii*, Eſ.38.v.16. quod vocatur manna abſconditum, Apoc.2.v.17. Hæc ſunt paſcua illa bona & pinguia montium Iſrael, Ezech. 34. v.14. quibus ſi grato animo fruimur hîc in tempore gratiæ, ibi beatificâ viſione nos paſcet, Pſal.17. v.15. & torrente voluptatis inebriabit, Pſ.36. v.9.

II. *Charitatem in redimendo*, v.12. Bonus paſtor ponit animam pro ovibus. Idem Chriſtus fecit. Omnes nos eramus tanquam oves errantes, Eſ.53. v.6. ſed venit Chriſtus, & non ſolùm quæſivit quod perierat, Luc. 19. v.10. ſed & animam ſuam pro nobis depoſuit, ut nos ex infernalis lupi faucibus eriperet, 1.Petr.1. v.18. Eph.5. v.2. Actor.20. v.28. Apoc.5. v.9. Typus hujus fidelitatis proponitur nobis in Davide, 1.Samuel. 17. v.34.

Magnum hoc eſt ſolatium pro iis, qui voce legis terrentur, & ob peccata ſua maledictionem metuunt, cui terrori opponenda eſt ſuaviſſima illa vox boni paſtoris: Ego pono animam meam pro ovibus meis, noli timere, ego redimam te, Eſ.43.v.1.

III. *Fortitudinem in defendendo.* Mercenarius viſo lupo fugit. Secus facit Chriſtus, qui non retrocedit, ſed oves ſuas maſculè defendit contra lupum infernalem, & ejus aſſeclas hæreticos & tyrannos, qui nihil aliud ſunt quàm lupi rapaces & gregi non parcunt, Matth.7. v.15. Act.20. v.29. primis trecentis annis Eccleſia fuit oppugnata per tyrannos, ſequentibus ſeculis per falſos Doctores, hodie ab utroque hoſtium genere oppugnatur. Sed confidite fratres, paſtorem habemus fortem & fidelem, qui non dormit, neque dormitat, Pſal.120. v.4. ſed eſt murus igneus circa ovile ſuum, Zach, 2. verſ. 5.

IV, *Benevolentiam in agnoſcendo*. v. 14. nam agnoſcere hoc loco non ſignificat notitiam merè theoreticam, ſed potius practicam, quæ curam ſimul & benevolam affectionem includit, Pſalm. 1. v. 6. 2. Tim. 2. v. 19. novit igitur Chriſtus oviculas ſuas non notitia ſolùm viſionis, ſecundùm externum aſpectum, ut Themiſtocles nomina civium Athenienſium, & Cyrus Perſarum Rex nomina militum triginta millium, qui ſub ipſo ſtipendia merebant, ſed viſione etiam dilectionis ſecundùm internum cordis affectum, & in manibus ſuis deſcripſit, ut nunquam eorum obliviſcatur, Eſa. 49. v. 16.

Paſtores aliàs ſignare ſolent oviculas ſuas: Ita Chriſtus ſignavit nos ſigno Thau, Ezech. 9. v. 4. id eſt, ſanguine in ara crucis effuſo, ſicut olim ſanguine agni paſchalis Iſraelitæ poſtes & ſuperliminaria domorum ſignabant, Exod. 12. v. 23. hinc novit qui ſint ſui, 2. Tim. 2. v. 19. & ab angelo percuſſore illos liberat, qui terretur, ut inquit Damianus, quando videt Chriſtianorum labia ſanguine Chriſti rubentia. Nam in Chriſto habemus redemptionem per ſanguinem ejus, Col. 1. v. 14.

V. *Sedulitatem in adaugendo*. Nam alias adhuc oves habeo, inquit, quas oportet me adducere, & hoc ipſo gentes etiam ad ſocietatem Eccleſiæ vocandas eſſe innuit, gentes enim ſunt oves iſtæ aliæ, quæ non erant ex hoc populi Dei ovili, ſed ſegregatæ & alienæ à teſtamento promiſſionis, Epheſ. 2. v. 12. At Chriſtus diruit maceriem per prædicationem Evangelii, & ipſas quoque de longè vocavit, Epheſ. 2. v. 13. 14. Ita valde auxit gregem ſuum, ut Jacobus Patriarcha, Gen. 30. v. 37. ſeqq. nam duabus etiam virgis utitur, alteram vocavit amabilem, & alteram dolorem, Zach. 11. v. 7. Celebrent ergò gentiles hanc Chriſti bonitatem, qui vocavit eos è tenebris ad lucem, & ſicut is, qui vocavit ſanctus, ipſi quoque ſancti ſint, quod monet Petrus 1. c. 1. v. 15. 16.

De Secundo.

VIdimus Paſtoris curam. Videbimus etiam *ovium naturam*, quæ eſt

I. *Culpabilis*, ſi ſpectes

1. *Stoliditatem*. Eſt enim ovis animal ſimplex, & ad errandum proclive? Ita nos omnes naturâ ſumus ſtulti & tardi corde, Luc. 24. v. 25. & non intelligimus quæ ſunt Spiritus Dei, 1 Cor. 2. v. 14. ſed aberramus à recto ſalutis tramite, unusquisque graditur viam ſuam in adinventionibus cordis ſui, Eſa. 53. verſ. 6. Hoc agnoſcamus & cum Davide ingemiſcamus ex Pſal. 119. v. 176. O bone Jeſu, ſumus velut oves, quæ perierunt, require ſervos tuos.

2. *Timiditatem*. Quamprimùm enim lupum videt appropinquantem, mox exhorreſcit, & in pedes quantum poteſt, ſe conjicit. Hic eſt timor ſervilis, qui in amore locum non habet, 1. Joh. 4. v. 18. proinde eliminemus illum oportet ex corde noſtro, Rom. 8. v. 15. Nam lupus infernalis nocere nobis non poteſt, ſed judicatus eſt, Joh. 16. v. 11. interim timore filiali Deum proſequamur, Phil. 1. v. 12. quo qui caret, juſtificari non poterit Sir. 1. v. 27.

3. *Stupiditatem*. Ovis, quæ ſemel à grege aberravit, per ſe redire nunquam poteſt, ſed magis magisque in errorem rapitur, & tandem à lupo devoratur. Imò ſi grex per ponticulum ducatur, & una in aquam prolabitur, omnes deſiliunt, quod certè maximæ ſtupiditatis indicium eſt. Sic nos quoque per prava exempla facilè ſcandalizamur, & viribus propriis ad ſalutem redire

non

Digitized by Google

non poſſumus. Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere, Phil.2.v.13. proinde oremus cum Jer.31.v.18. Converte me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus.

II *Imitabilis*. Tangit enim Chriſtus Paſtor noſter fidelis & œcumenicus in contextu hodierni Evangelii proprietates quasdam ovium bonas & laudabiles, quibus omnes pii inſtructi eſſe debent, cum ſint oves Chriſti triplici reſpectu,

1. *Quoad creationem*, Pſal.100.v.3.
2. *Quoad redemptionem*, Eſa.53.v.6.
3. *Quoad ſanctificationem*, Matth.15. verſ.24.

Tales ſunt

1. *Obedientia*. Agnoſcit enim vocem Paſtoris, & ſequitur eum, quocunque vel ſola fiſtula deducitur: Ita veri Chriſtiani vocem paſtoris ſui agnoſcunt & ſequuntur, quæ in Scriptura ſonat, per quam Deus nobis loquitur. Vox Chriſti eſt: agite pœnitentiam & credite Evangelio, Marc.1.verſ. 15. Qui igitur beneficiis hujus paſtoris vult frui, illum oportet pœnitentiam agere, per quam gaudium in cœlo excitatur, Luc. 15.v.10. Pſ.51. verſ.19. Vox Chriſti eſt Joh. 13.verſ.34. mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Qui beneficiis hujus paſtoris vult frui, illum oportet diligere proximum, 1.Joh.4.v.12. Vox Chriſti eſt: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, Matth.11.v.28. qui ergò odio & ſuperbiâ delectantur, ovibus CHriſti annumerari non poſſunt, 1.Iohan.3.verſ.15. non autem ſufficit audire vocem Chriſti, ſed oportet etiam ab aliena voce mercenarium aures avertere.

Eſt animal quoddam in Africa Hyæna dictum, magnitudine lupi, quod noctu accedit ovilia, & paſtorum vocem imitatur, quâ oves evocat & egreſſos dilaniat. In eo proponitur imago hæreticorum, qui aſſueſcunt ὅμοια λαλεῖν, ἀνόμοια φρονεῖν, & per dulces ſermones & aſſentationes corda innocentium ſeducunt, Rom.16.v.18.

2. *Patientia*. Nam cum ad occiſionem ducitur non grunnit ut porcus, non mordet ut canis, non recalcitrat ut equus, ſed prorſus obmuteſcit, & mortem patienter ſuſtinet: Ita omnes Chriſtiani patientes malorum eſſe debent, ut miniſtros Dei decet, Ebr.10.v.36. 2.Cor.6.v.4. Luc.21. v.19. Jac.5.v.8.

3. *Innocentia*. Ovis eſt animal pacificum, nec aliis animalibus ullo modo nocet: Ita Chriſtiani debent eſſe ſimplices, ſicut columbæ, Matth.10.verſ.16. deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & detrectationes, ſicut modò geniti infantes, 1.Pet. 2.v.1.2.

4. *Beneficentia*. Ovis eſt animal frugiferum, lac & lanam, imò nihil eſt in ove, quod non poſſit aliquem uſum præſtare. Sic pii frugiferi ſint in bonis operibus, Tit.3. v.14. tales oves Deus habere expetit, Tit.2. verſ.14.

Hœdi ſunt petulca & laſcivia animalia, gradiuntur ἀτάκτως per præcipitia, nec lac, nec lanam præbent, ſed turpiter fœtent. Videte igitur, ut ovium naturam habeatis juxta proprietates modò enumeratas, ut non ad ſiniſtram cum hædis, ſed ad dextram Chriſti cum ovibus tandem aliquando ſiſtamini, & vocem audiatis jucundiſſimam:

Venite benedicti Patris mei, &c.
Matth.25.v.13.& ſeqq.

R 3 DO-

Dominica Jubilate.

Evangelium Joh. 16. v. 16. 23.

VEnerunt Iſraelitæ in peregrinatione ſua primùm in Mara, ubi aquæ erant amaræ, ut bibere illas non poſſent, ſed Moſes ligno, quod monſtrabat ipſi Dominus, dulcorabat eas, & paulò pôſt in Elim deducebat, ubi erant duodecim fontes aquarum & ſeptuaginta palmæ, & caſtra metati ſunt juxta aquas, Exod. 15. verſ. 23. ſeqq. Ita Deus adhuc hodie omnes ſpirituales Iſraelitas mirabiliter ducit, Pſ. 4. v. 4. primùm in Mara ad aras crucis, quas tamen ligno crucis Chriſti ita dulcorat, ut diligentibus Deum omnia in bonum operentur, Rom. 8. v. 28. Deinde in Elim ad aquas vivas æternæ Hieroſolymæ, quæ tanquam Chryſtallum de ſede Dei & agni procedunt, & ex utraque parte fluminis ſtat lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos, & folia ejus conducunt ad ſanitatem gentium, Apoc. 22. v. 1.

Hæc eſt ſalutaris illa metamorphoſis, quæ crucem noſtram aliquando ſequitur. Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia, Pſ. 30. v. 6. de utroque Chriſtus agit in hodierno Evangelio, quod σὺν θεῷ expendendum ſumemus, & videbimus

I. Concionem crucis.

II. Concionem lucis.

J. J.

EXEGESIS.

JAcob Patriarcha jamjam moriturus duodecim filios ſuos convocat, ſimulque bona & mala ipſis eventura prædicit, Gen. 49. verſ. 1. ſeqq. Idem facit Chriſtus in prælecta pericope, cum jam abitum ad Patrem meditaretur, cujus valedictoriæ concionis fragmentum hodie meditatur ſancta mater Eccleſia. Prima pars, ut ſupra diximus, agit de cruce, quæ ratione ſubjecti duplex eſt,

I. *Paſſio Capitis.* Nam modicum, inquit Chriſtus, & non videbitis me quia vado ad Patrem. Per hoc modicum intelligit paſſionem ſuam, quæ modicum, per tres puta horas inchoanda, erat. Et hàc ipſa prædicatione ipſos quaſi præmunire voluit contra ſcandalum ex aſpectu mortis oriturum. Oſtendit enim ſe non caſu ſed decreto & voluntate Patris, nec invitum & coactum, ſed ſponte paſſioni & morti ſe objicere, ſicut expreſsè ait Joh. 10. v. 18.

Notanda igitur hîc

1. *Pondera verborum*, quæ inveniuntur

1. *In propoſitione.* Non enim dicit: non habebitis me, ſed, non videbitis me. Sol dum turbidis, nigricantibus & pluvioſis nubibus obductus eſt, à nobis non conſpicitur, & nihilominus æquè ac ſub ſudo cœlo curſum ſuum peragit: Ita Chriſtus ſol ille juſtitiæ, Mal. 4. verſ. 2. ſub turbidis ac pluvioſis tentationum nubibus à nobis non conſpicitur, licet æquè ac in florente rerum ſtatu nobis præſens ſit, Pſal. 91. v. 15. idque ad finem usque ſeculi, Matth. 28. verſ. 20. ideò autem ſe abſcondit, ut quiritando ſuſpiremus: Ah Domine usque quò? Pſal. 6. v. 4.

2. *In confirmatione*, ubi Chriſtus paſſionē & mor-

Digitized by Google

&mortem ſuam abitum vocat ad Patrem: Ita noſtram & noſtrorum mortem non debemus intueri oculis corporeis, qualis nobis exterius videtur, ſed oculis fidei, tunc apparebit, quod ſit tranſitus ad cœleſtem Patrem & patriam, dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, 2. Cor. 5. v. 6. cum morimur autem tranſimus à morte ad vitam, Joh. 5. v. 24. & videbimus bona Domini in terra viventium, Pſal. 27. v. 13.

Hæc omnia promptitudinem moriendi in nobis excitent. Quid eſt vita noſtra? certè labor & dolor, Pſ. 90. v. 10. deſideremus ergò cum Paulo diſſolvi, ut cum Chriſto ſimus, Phil. 1. v. 23. & communionem habeamus cum Patre & filio, 1. Joh. 1. v. 3.

2. *Ignorantia diſcipulorum*, verſ. 17. 18. unde apparet rationis humanæ in rebus fidei cœcitas, quæ nihil percipit de Spiritu Dei, ſtultitia eſt ipſi, & non poteſt intelligere, 1. Cor. 2. v. 14. præſertim in myſterio crucis, ibi non poſſumus nobis imaginari, quod noſtro bono immittatur, ſed dicimus cum Davide in trepidatione noſtra, projecti ſumus, Pſ. 31. v. 23. & cum Sione: Dominus dereliquit nos, Dominus oblitus eſt noſtri, Eſa. 49. v. 14. ſed Scriptura docet contrarium, quod nimirum per crucem Deus mentis noſtræ nebulas detergat, ut peccati fœditas, & iræ divinæ gravitas agnoſcatur, ſicut olim amaro felle piſcis Tobiæ oculi ſunt aperti, Tob. 11. v. 14. & inſuper contra futura peccata nos præmuniat, ſicut per amaras medicinas purgantes futuris morbis medici occurrunt, Eſa. 38. v. 15. imò coticula crux eſt, quâ fides, ſpes, patientia, invocatio & aliæ virtutes probantur & excitantur, Rom. 5. verſ. 3. 4. Eſ. 26. v. 16. quando enim ſurgit aquilo & perflat hortum, tunc fluunt aromata precum, Cant. 4. v. 16.

II. *Paſſio corporis.* Poſtquam enim Chriſtus, ut verus ille καρδιογνώϛης, cognovit, quod vellent ipſum interrogare, exponit ipſe, quod dixerat

1. *Verbis explicatis.* Amen, Amen, inquit, plorabitis & lamentabimini, mundus contra gaudebit, vos autem mœrore afficiemini.

Duo ipſis prænunciat his verbis.

1. *Futuram tribulationem.* Nam omnes ferè martyrio coronati ſunt, Ebr. 11. v. 36.

Sors hæc communis eſt omnium Piorum. Nam qui piè in Chriſto vivunt, perſecutiones patiantur oportet, 2. Tim. 3. v. 12. Dominus quos diligit corripit, Prov. 3. verſ. 12. velut oves ſaginatæ reputantur, Pſal. 44. verſ. 12. ſicut oves inter lupos mittuntur, Matth. 10. verſ. 16. odio ob nomen Chriſti habentur, Matth. 5. verſ. 11. judicibus traduntur, Luc. 12. v. 11. flagellantur, Matth. 23. verſ. [illegible]. excommunicantur & occiduntur, Joh. 16. v. 2. atque adeò per multas tribulationes in regnum cœlorum ire coguntur, Act. 14. v. 22.

Hæc cum ita ſint, non murmuremus contra Deum, ſi crucem & calamitatem nobis immittat. Ordo Chriſtianorum eſt ordo plorantium & lamentantium. Sicut enim Chriſtus caput noſtrum per paſſiones gloriam intravit, Luc. 24. verſ. 26. Ita nos, qui membra ſumus corporis ejus myſtici, Chriſto conformari oportet, Rom. 8. v. 29.

Proinde vana eſt Jeſuitarum glotiatio, qui temporalem felicitatem genuinam Eccleſiæ verè Catholicæ notam ſtatuunt. Ita mundus vera Eccleſia eſſet, de quo Chriſtus aſſerit in textu, quod gaviſurus ſit. Eccleſia Iſraelitarum ſub cultu Melecher Reginæ cœli vera Eccleſia fuiſſet, Jer. 44. verſ. 17.

Eccle-

Eccleſia Turcica vera Eccleſia eſſet, quæ in Alcorano felicitatem ſuam terrenam plenis buccis deprædicat. Hoc abſurdum. Qui vult eſſe Chriſtianus, Crucianus etiam ſit, neceſſe eſt, inquit Lutherus, juxta effatum Chriſti, Matth. 16. v. 24. Luc. 14. v. 27.

2. *Mundi exultationem.* Mira profectò fortunæ alteratio. Cultores Dei patiuntur, mundus exultat. Sed eſte bono animo, vos mei, & non excandeſcite ſuper hoc mundi gaudio (1.) momentaneum eſt, 1. Joh. 2. v. 17. Eſa. 29. v. 8. Sap. 5. v. 9. 10. Job. 20. v. 5. (2.) vanum eſt, 1. Mac. 2. v. 62. Prov. 14. v. 13. (3.) noxium eſt, Luc. 6. 24. Eſ. 65. v. 14. Sap. 5. v. 8. Pſ. 37. per tot.

Spernamus igitur gaudia mundi, & gloriemur, cum Apoſtolis in afflictionibus noſtris, quæ operantur δόξαν καθ᾽ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, 2. Cor. 4. v. 17. inprimis averſemur ἐπιχαιρεκακίαν, Prov. 17. v. 5. 19. v. 29. 24. v. 9. Sir. 27. v. 32.

2. *Verbis comparatis*, ſub ſimilitudine parturientis quâ indicat

1. *Crucis neceſſitatem.* Sicut enim mulier poſt lapſum non parit cum gaudio, ſed cum dolore & triſtitia, Gen. 3. v. 16. Ita quoque generatio filiorum Dei ad vitam æternam non poteſt fieri abſque cruce. Pater cœleſtis neminem vocat Benjamin, niſi quem mater Eccleſia prius vocat Benoni, Gen. 35. verſ. 18.

2. *Crucis gravitatem.* Dolores parturientium ſunt acutiſſimi, ut non abs re Philippus Melanchton tria officia omnium difficilima judicaverit: docentis, regnantis & parturientis, & Medea apud Euripidem dicat: Malle ſe decies in acie ſtare, quàm ſemel parere. Quò pertinent dicta Scripturæ, Gen. 3. v. 16. Eſa. 26. v. 17. & exemplum Rahelis, Gen. 35. v. 18. Ita pii & fideles in hoc mundo quaſi nati ſunt ad flagella, Pſal. 38. v. 18. & poſiti in tribulationes, 1. Theſſ. 3. v. 3. quas graviores efficiunt

1. *Faciei divinæ occultatio*, Pſal. 13. verſ. 1. quando auxilium ſuum Deus differt, & ſub cruce per cancellos tranſpicit, Cant. 2. verſ. 9. ut in principio Evangelii Chriſtus indicat.

2. *Conſilii divini ignoratio*, cujus imaginem nobis præbent diſcipuli, dicentes: Quid hoc eſt, quod dicit modicum? neſcimus quid loquatur. Nam ſub cruce peregrinum opus facit, ut opus ſuum operetur, mirabile eſt conſilium ejus, & eo ipſo magni facit ſapientiam ſuam, inquit Eſaias c. 28. verſ. 21. 29.

3. *Mundi inſultatio*, Pſ. 73. v. 2. ſeqq. Jer. 12. v. 1. 2. Pſ. 42. v. 11.

Cauſæ æquitatem. Sicut enim Deus propter peccatum fœmineo ſexui dolores partus impoſuit, Gen. 3. verſ. 16. Ita pii in hoc mundo cruci ſubjecti ſunt propter peccatum, cujus reliquias adhuc habent, Ergò. Mich. 7. v. 9.

De Secundo.

Sequitur *Concio lucis*, quâ argumenta conſolatoria diſcipulis ſuis ſuppeditat, quibus ſub cruce & perſecutione mundi ſe erigere debent.

I. Conſiderare eos jubet *Crucis brevitatem.* Nam modicum, inquit Chriſtus, & non videbitis me, & modicum videbitis me. Rationi quidem noſtræ crux non videtur modicum, præſertim cum non horas, non dies, non menſes aliquot, non annum unum atque alterum, ſed plures perdurat & cruciat, ut exempla docent, Joh. 5. v. 5. Luc. 13. v. 11. Act. 4. v. 22. 2. Cor. 12. v. 7. 8. Sed modicum tamen eſt, ſi ſpectes

1. Chri-

Digitized by Google

1. *Chriſti paſſionem.* Nondum te crucifixerunt, inquit Chryſoſtomus, ſicut Salvator tuus crucifixus eſt. Pudeat igitur deliciari ſub capite ſpinis coronato. Ad Lutherum venicbant aliquando exules quidam, & miſeriam ſuam ipſi exponebant. Sed ille Crucifixi imaginem in pariete depictam digito monſtrabat dicens: Videte fratres, quæ Chriſti Pontificis noſtri maximi ſors fuerit in mundo, quem ſequi nos convenit hîc in cruce, ut ſequamur aliquando in æterna luce, 1. Pet. 4. v. 13.

2. *Propriam transgreſſionem.* Juſtus quotidiè ſepties cadit, Proverb. 24. verſ. 16. & nemo eſt, qui dicere poſſit: mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato, Proverb. 20. v. 9. confer Rom. 3. v. 13. Pſal. 130. v. 3. Job. 9. verſ. 3. Jam verò minimum peccatum promeretur iram Dei & æternam damnationem, Deut. 27. v. ult. quando igitur Deus fidelibus ſuis crucem temporalem immittit, hoc miſericordiæ ejus acceptum ferunt, Sap. 3. v. 5.

3. *Certiſſimam ſublevationem.* Si Chriſtum ſub cruce modicum non vides, ne deſpera, modicum iterum videbis eum. Si cum Davide lamentaris: uſque quò Domine abſconderis? num exardeſcit ſicut ignis ira tua? ex Pſal. 89. v. 47. reſpondet Eſa. 54. v. 8. Ad punctum in modico dereliqui te, &c. Ergò cum Sara conſolare animam tuam: Hoc ſcio pro certo, &c. Tob. 3. v. 21. conf. Pſal. 68. v. 20. Job. 5. v. 17. Oſ. 6. v. 1.

II. *Crucis utilitatem*, quæ duplex

1. *Interioris hominis renovatio.* Quemadmodum enim per dolores parturientis promovetur infans ad hanc vitam: Sic per crucem Deus promovet regenerationem & renovationem noſtram ad vitam æternam, cujus typum exhibet Apocalypſeos cap. 12. v. 1. ſeqq.

2. *Subſecutura jubilatio.* Sicut enim mulier cum peperit puerum, jam non meminit anxietatis, propterea, quod homo natus eſt: Ita crucem piorum ſequitur gaudium non fallax & incertum, quale mundus jactitat, ſed

1. *Gaudium verum.* Nam iterum videbo vos, inquit Chriſtus. Mundus quærit gaudium ſuum vel in divitiis, vel in deliciis, ſed fallax & dolore permixtum eſt. Tale non erit gaudium, quod poſt lachrymas ſub cruce profuſas conſequentur fideles, ſed Deum videbunt à facie ad faciem, 1. Corinth. 13. v. 12. ſicut eſt, 1. Johan. 3. v. 2. Viſio hæc erit plena beatitudo & tota hominis glorificatio, Auguſtinus. Videbunt enim beati Deum ad voluntatem, habebunt ad voluptatem, fruentur ad jucunditatem, inquit Bernhardus. Exclamemus igitur cum Auguſtino: O Domine moriar ut te videam. Et cum Davide Pſ. 42. v. 3. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

2. *Gaudium ſincerum.* Nam cor veſtrum gaudebit, inquit Chriſtus. Gaudent quidem pii etiam in hac vita ſub mediis tentationum fluctibus in Domino, Col. 1. v. 24. Roman. 5. verſ. 3. Et hoc norunt, quod nomina ſua in coelis ſcripta ſunt, Luc. 10. v. 20. Hoc eſt gaudium internum, quod à Spiritu Sancto proficiſcitur, Galat. 5. v. 22. Sed crux obſcurat illud gaudium. Quando autem gaudium Domini ſui ingredientur, Matth. 25. v. 21. tum abſterget Deus omnes lachrymas ab oculis eorum, Apoc. 7. v. 17. & exultabunt lætitiâ inenarrabili & glorificata, 1. Pet. 1. v. 8.

3. *Gaudium æternum.* Nemo enim tollet gaudium hoc à nobis. Nam ſemper erimus cum Domino, 1. Theſſ. 4. v. 17. & à dilectio-

ne ejus nil planè ſeparabit nos, Rom. 8. v. 39. ambulabimus coram Domino in terra viventium, Pſal. 116. verſ. 9. Gaudium mundi fluxum eſt & momentaneum, quod docet exemplum Ammonis, 2. Samuel. 13. v. 28. Eliæ Regis Iſrael, 1. Regum. 16. v. 9. Ahaſveri, Eſth. 1. v. 1. ſeqq. Villici illius Divitis, Luc. 12. verſ. 20. Sed gaudium piorum erit gaudium ſempiternum, Eſa. 35. v. 10. Patienter igitur ſuſtinete, filii, iram, quæ ſupervenit vobis, Baruch 4. v. 25. & nolite omittere confidentiam veſtram, quæ magnam remunerationem habet, Ebr. 10. v. 35. non enim condignæ ſunt tribulationes hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, Romanor. 8. v. 18.

4. *Gaudium perfectum.* Nam in illo die, inquit Chriſtus, me non interrogabitis quicquam. Inſignis hęc eſt conſolatio, quam Chriſtus ruditati & ignorantiæ diſcipulorum opponit, & partim ad diem Pentecoſtes, ubi Spiritus Sanctus apparuit, & in omnem veritatem ipſos deduxit, partim verò ad cœleſtem vitam à Doctoribus refertur, ubi non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo uſque ad maximum, ait Dominus Jer. 31. verſ. 34. unde Johannes templum non vidit in cœleſti Hieroſolyma, Apoc. 21. verſ. 22. Hîc omnis noſtra ſcientia eſt verbum defectivum, cujus clauſula: Cætera deſiderantur. Sed ibi veniet quod perfectum eſt, & evacuabitur quod ex parte eſt, 1. Cor. 13. verſ. 10. tunc omnia videbimus, ſciemus & intelligemus, quæ oculus hîc non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non deſcenderunt, 1. Cor. 2. verſ. 9. ad quam lætitiam & felicitatem nos perducat Chriſtus Jeſus propter ſanctiſſimum ſuum meritum, ter benedictus & laudatus in ſecula ſeculorum Amen.

Dominica Cantate.

Evang. Joh. 16. v. 5. 15.

CUm Deus Eliam curru igneo in cœlum ſubvehere vellet, triſtis erat Eliſæus famulus ejus, & planè ab ipſo nolebat diſcedere, ſed ſequebatur ipſum quocunque ibat, dum promittebat ipſi Elias, fore, ut poſt diſceſſum ſpiritus ejus duplò ſuper ipſum requieturus ſit, 2. Reg. 2. v. 1. ſeqq.

Idem accidit, cum cœleſtis Elias de abitu ſuo concionaretur. Nam diſcipuli ejus contriſtati ſunt, ut teſtatur hodiernum Evangelium, quos per promiſſionem Spiritus Sancti erexit, & omnem triſtitiam ex cordibus ipſorum exturbavit. Videbimus

I. Spiritus Sancti pollicitationem.

II. Officii ejusdem commendationem.

J. J.

EXEGESIS.

TEmpus eſt ut revertar ad eum qui miſit me, inquit Raphael perfectâ legatione ſuâ, Tob. 12. v. 20. Eodem modo Chriſtus magni conſilii Angelus, Eſa. 9. v. 6. poſt peractum legationis ſuæ negotium, Nunc, inquit, vado ad eum qui miſit me.

Duo

Duo hîc conſideranda veniunt:

1. *Chriſti abitus*. Per hunc abitum ſuum figuratè intelligit non tantum terminum ultimum ad quem, nempe aſcenſionem ſuam in cœlos, & ſeſſionem ad dextram patris, ſed etiam viam mediam ad terminum hunc deducentem, videlicet paſſionem, mortem &reſurrectionem ſuam, per quam oportebat ipſum introire in regnum cœlorum, Luc.24. v.26.

Imitemur hunc præcurſorem, & ad patrem cœleſtem curſum noſtrum dirigamus, ſic enim monet Apoſtolus Col.3.v.1. præſertim cum terminus vitæ appropinquat, parati eſſe debemus cum Paulo Phil.1.v.23. Chriſtus præivit, & hoſpitium nobis præparavit, Joh.14. v.2. Mori in Scripturis alias dicitur ire viam univerſæ carnis, Joſ.23.v.14. 1.Reg. 2.v.2. hæc eſt appellatio valde triſtis, quia nos omnes morti obnoxios eſſe demonſtrat, ſed longè triſtius eſt, quod mors quorundam deſcenſus ad infernum appellatur, Num.16. v.33. Pſal.28.v.1. Pſal.88.v.5. quam mortem peccatis noſtris omnes meriti eramus, ſed Chriſtus ſuo ad patrem abitu nobis peperit, ut mors noſtra ſit abitus ad Patrem, tranſitus ad vitam, Johan. 5. v.24. & dulce lucrum, Phil.1. v.21. quia per mortem anima noſtra educitur de cuſtodia, Pſal.142. v.8. & transfertur in cœleſtem Hieroſolymam, ubi communionem habebimus cum Patre & Filio, 1. Joh.1. v.3. exultabimus & gaudebimus in ſempiternum ſuper his quæ creabit Dominus Eſa.65.v.18.

2. *Conſequens fructus*, qui duplex:

1. *Adulterinus*, nemo ex vobis, inquit Chriſtus, interrogat me, quò vadis, ſed quia hæc locutus ſum vobis, mœſtitudo implevit cor veſtrum.

Duo Chriſtus culpat his verbis in diſcipulis ſuis.

1. *Incuriam*, quod non interrogabant ipſum, quid per abitum intelligeret. Prudens quæſtio diſcendi exiſtit occaſio, vetus adagium: quod germani ita efferre ſolent: **von fragen wird man weiß.** Ut igitur Chriſtus hic à diſcipulis ſuis requirit, ut interrogent, ſi verborum ſenſum non aſſequantur: Ita quando Deus nobiſcum agit per crucem, quæramus in verbo, quid ſibi velit, & inveniemus, quod ſit amara ſagitta ex dulci manu Dei, ut Nazianzenus loquitur, quâ ad Deum ire compellimur, Eſa. 26. v.16.

2. *Triſtitiam*, quam propter diſceſſum ſuum concipiebant. Nam doctrina crucis carni noſtræ adverſa eſt, & quando audimus, quod Chriſtus per crucem regnū ſuum in nobis incipiat & promoveat, triſtamur cum Apoſtolis, cùm potius eo nomine lætari deberemus, ſiquidem per crucem & mortem Deus nos ad ſe & regnum ſuum vocat & præparat, ſicut Joſephus Patri & fratribus plauſtra mittebat, quibus in Ægyptum ſubveherentur, Gen.45.v.27. Diſcamus igitur cum Simeone: Nunc dimittis ſervum tuum Domine in pace, Luc.2.v.29.

2. *Genuinus*, v.7. miſſio nimirum Sp. S. quam Chriſtus abitu ſuo impetravit non ſolùm Apoſtolis, Act.2. v.3. ſed omnibus in genere credentibus. Eſt enim ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, Eph.1. v.14. & clamat in cordibus fidelium: Abba Pater, Gal.4.v.6.

Nam quidem impediebat viſibilis Chriſti præſentia adventum Sp. Sancti habebant enim Apoſtoli Spiritum S. etiam ante Chriſti paſſionem, quippe quem in baptiſmo acceperant: Illa tamen viſibilis effuſio Spiritus S. nunquam ſecuta fuiſſet niſi Chriſtus

Digitized by Google

prædicto modo ad Patrem abiiſſet, imò nos ipſi nunquam in eum amicitiæ gradum fuiſſemus recepti à Deo, niſi Chriſtus abiiſſet, paſſus & mortuus fuiſſet, & genus humanum patri ſuo reconciliaſſet. Nam Spir. S. non niſi in reconciliatis habitat, Sap. 1. v. 4. Quia verò Chriſtus abitu ſuo υἱοθεσίαν nobis acquiſivit Joh. 1. v. 12. miſit Deus Spiritum filii ſui in corda noſtra, Gal. 4. v. 6. per peccatum corda noſtra, contaminata erant, ſed fide in Chriſtum purificantur, Act. 15. v. 9. ut fiant templa & hoſpitium Spir. S. 1. Cor. 3. v. 6. Typum habemus. 1. Reg. 18. v. 43. ſeqq. cum per longum tempus nulla decidiſſet pluvia, Elias aſcendit montem Carmel, & precibus ſuis pluviam impetravit: Ita Chriſtus ad cœli montes ſubvectus per aſcenſionem ſalutarem pluviam impetravit, Pſ. 68. v. 10. Hoc tantum beneficium gratâ mente agnoſcamus, & ſi velimus, ut ad nos quoque Spiritus ille gratiæ & precum deſcendat, opera tenebrarum abjiciamus, & ſobriè, juſtè & piè vivamus in hoc mundo, ut Paulus monet, Tit. 2. v. 12. Rom. 13. v. 12.

De Secundo.

RESTAT ut dicamus etiam aliquid de *Spiritus Sancti officio*, quod triplex eſt juxta ipſius Chriſti deſcriptionem.

I. *Conſolatorium*. Nam paracletum vocat, quod vocabulum forenſe eſt, & advocatum notat, qui cauſam clientis in foro coram tribunali fideliter agit, ne ipſi fiat injuria. Hoc eſt proprium Sp. S. officium, quod exercet

1. *Tempore externæ tribulationis*, quando vel in exilium relegamur cum Elia, 1. Reg. 19. v. 3. vel in carcerem detrudimur cum Micha, 1. Reg. 22. v. 27. vel omnibus bonis ſpoliamur cum Jobo c. 1. v. 13. vel diuturno morbo affligimur cum paralytico, Joh. 5. v. 5. ibi Spiritus S. adjuvat infirmitatem noſtram, Rom. 8. v. 26. unde Spiritus roboris vocatur, Eſa. 11. v. 2. cujus rei exemplum habemus in Apoſtolis, Act. 5. v. 41.

2. *Tempore internæ tentationis*, quando Satanas, telis ſuis ignitis nos adoritur, Eph. 6. v. 16. & dies noctesque nos accuſat coram Deo, Ap. 12. v. 10. Ibi Spiritus S. ὑπερεντυγχάνει plus quàm interpellat pro nobis, Rom. 8. verſ. 26. imò certos nos reddit de υἱοθεσίᾳ, Gal. 4. v. 6. & gratioſa Dei inhabitatione 1. Joh. 4. v. 13.

3. *Tempore ultimæ emigrationis*, ibi perhibet teſtimonium ſpiritui noſtro, & meritum Chriſti revocat, qui morti venenum & inferno peſtis factus eſt, ut nos ex poteſtate tenebrarum liberaret, Oſ. 13. v. 14. adeoque mortem noſtram in dulcem ſomnum transmutavit, & viam ad cœleſtem patriam aperuit: Hæc conſolatio in morituris ſpirituale gaudium accendit, ut cum Jobo exclament Job. 19. v. 25. Scio quod redemptor meus vivit, &c. & cum Paulo, bonum certamen certavi, &c. 2. Tim. 4. v. 7.

II. *Reprehenſorium*. Quia enim Spiritus S. tales in mundo homines invenit, qui occœcati ſunt à Diabolo, & juxta normam verbi divini non incedunt, alio modo officium ſuum exercet, nimirum arguendo & reprehendendo, quod tamen non facit immediatè, ſed per præcones verbi tanquam ſuos in hoc opere miniſtros, unde ſal terræ à Chriſto vocantur, Matth. 5. v. 13. quia non merum mel vel ſacharum, ſed etiam ſal interdum, id eſt, acerbas increpationes adhibere debent, quo ſala corrupta caro noſtra indiget, ut ab æterno exitio præſervetur.

Verſatur autem circa triplex objectum, quorum

1. Eſt

1. *Eſt peccati atrocitas.* Nam arguet mundum de peccato, inquit Chriſtus, quia non credunt in me. Alia quidem ſunt peccata, propter quæ mundus argui meretur, ſed illa aliquo modo rationi nota ſunt, & arguuntur ab ipſa committentium conſcientia, Rom. 2. v. 15. quin etiam Magiſtratus officium Deus inſtituit, qui gladio delicta publica coercere, & ita diſciplinam externam conſervare debet, Rom. 13. v. 4. Sed incredulitas eſt peccatum abſconditum, quod mundus pro peccato non agnoſcit. At Spiritus S. peccatum eam eſſe omnium maximum evincit. Quo pertinent dicta Scripturæ, Joh. 3. v. 18. 36. Marc. 16. v. 16. Rom. 14. v. 23. Ebr. 11. v. 6. Sicut enim fides eſt fundamentum & radix omnium virtutum: Ita incredulitas eſt fons & radix omnium peccatorum, quod hinc etiam eluceſcit: Per lapſum omnes homines per naturam ſunt peccatores, Rom. 3. v. 23. ſed per fidem in Chriſtum, qui pro peccatis ſatisfecit impetratur remiſſio. Ubi ergò incredulitas, ibi non habet locum remiſſio ſed peccata manent & retinentur Joh. 3. v. 36.

2. *Juſtitiæ vanitas.* Arguet mundum de juſtitia, inquit porrò Chriſtus, quia ad patrem vado, & poſthac non videbitis me. Chriſtus ſuo abitu, paſſione & ſatisfactione veram juſtitiam nobis promeruit quâ coram Deo conſiſtere poſſumus, ſed mundus deſpicit juſtitiam illam, & propriam ſtabilire ſatagit. Propterea Spiritus S. hoc nomine mundum arguit, & eos, qui propriam juſtitiam coram Deo ſtabilire volunt, veræ Dei juſtitiæ ſubjectos non eſſe apertè docet, Roman. 10. v. 3.

Hoc contra juſtitiarios quoſcunque obſervandum eſt, qui veram juſtitiam propriis operum meritis aſcribunt contra totam Scripturam, quæ ex gratiâ, Rom. 3. v. 24. gratis, dono Dei non ex operibus Eph. 2. v. 8. nos juſtificari aſſerit, ne quis glorietur, hinc vita æterna χάρισμα τοῦ θεοῦ ein Gnadengeſchenck des lieben Gottes à Paulo vocatur, Rom. 6. v. 23.

3. *Judicis iniquitas.* Nam arguet mundum, inquit Chriſtus, de judicio, quia Princeps mundi judicatus eſt.

Mundus perverſè judicat

1. *De fide*, & ſi quis non affert ea, quæ ipſi placent quæque judicio rationis congruunt, hæreticum illum pronunciat & ſeductorem, ſicque judicium ſuum non conformat ad regulam verbi, ſed ad normam proprii arbitrii, quod Chriſto accidit Joh. 18. v. 37. 38. & Paulo, Act. 17. v. 18. Hoc præpoſterum judicium mundi arguit Sp. S. & oſtendit illud procedere ex inſtinctu Satanæ, qui eſt Princeps mundi, Joh. 14. v. 30. proinde pii non curent hoc judicium mundi, ſed audiant Spiritum S. qui dicit: Princeps mundi judicatus eſt per mortem Chriſti, quâ expoliavit Principatus, & fortem armatum vicit, Col. 2. v. 15. Luc. 11. v. 21.

2. *De cruce*, nimirum ſecundùm externum aſpectum, Johan. 7. v. 24. & putat crucem eſſe ſignum iræ divinæ, proſperitatem autem ſignum divinæ gratiæ. Sed præpoſterum iterum eſt hoc mundi judicium, unde Spiritus Sanctus arguit mundum de hoc judicio & docet, Deum eos, quos diligit caſtigare & cruci ſubjicere, Ebr. 12. v. 6.

3. *De futura luce*, & vanum eſt, inquit, ſervire Domino, Mal. 3. v. 14. non eſt ſeculum aliud, nec merces digna pro juſtis, nec pœna pro impiis, quod Cain ad Abelem dixit juxta Targum Hieroſolymitanum, Gen. 4. ſed Spiritus. S. de hoc perverſo mundi judicio itidem mundum arguit, oſtendens,

Deum

Deum ſtatuiſſe diem in quo judicaturus ſit orbem in æquitate, Act.17. verſ. 31. confer Rom.14.v.10.2.Cor.5.v.10.Ebr.9.v.27.

III. *Informatorium*, quod exercet

1. *Veritatem prædicando*, v.12. 13. Diabolus eſt ſpiritus mendax in ore omnium hæreticorum, & hoc unum in votis habet, ut ſupprimat Evangelii veritatem, & omnes omninò homines in errores ſeducat. Sed Spiritus S. qui eſt Spiritus veritatis oſtendit nobis viam ſalutis quam ambulare, & neque ad dextram neque ad ſiniſtram ab illa declinare debemus, Eſ. 30.v.21.

Hoc facit non *ἐνθουσιαστικῶς* per raptum, ſed *ἀκουστικῶς* per ſonum & auditum verbi divini, proinde Chriſtus addit: non ex ſe ipſo loquetur, ſed quæcunque in arcano Trinitatis conſilio de ſalute hominum decreta, ab ipſo Chriſto ex ſinu patris prolata, & in Scripturis patefacta ſunt, hæc ipſa & non alia proponet, explicabit & illuſtrabit. Audiamus igitur miniſtros Dei, ſi doceri volumus à Sp. S. Qui enim illos audit, Deum ipſum audit, Luc. 10.v.16.

Pontificii ex hoc loco Scripturæ imperfectionem traditionibus ſupplendam probare volunt. Sed perperàm. Nam de ruditate Apoſtolorum Chriſtus loquitur, qua portare & intelligere non poterant regni ſui myſteria, propterea Spir. Sanctum promittit, qui viſibiliter in die Pentecoſtes ſuper ipſos effundendus, & omnia quæ hactenus portare & intelligere non poterant, in memoriam ipſis revocaturus erat, Joh.14.v.26. hinc cap. præcedente 15. v. 15. expreſſè dicit, omnia, quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis.

Acquieſcite igitur vosmet in Scripturis Propheticis, & Apoſtolicis, quibus omne conſilium Dei de noſtra ſalute nobis revelatum eſt, Act. 20. v. 27. multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. Sine mendacio conſummabitur verbum legis, & ſapientia in ore fidelis complanabitur, Sir. 34. v. 7. 8.

2. *Futura annunciando*, verſ. 13. Eſt enim Spiritus qui per Prophetas locutus eſt, 2. Pet. 1. verſ. 21. Spiritus ſapientiæ & ſcientiæ Eſa. 11. v. 2. & ſcrutatur omnia etiam profunda Dei 1. Cor. 2. v. 10. Ita prænunciabat per Ahabum futuram annonæ caritatem, Act. 11. v. 28. & Pauli vincula, Act. 21. verſ. 11. per Paulum lupos invaſuros ovile Chriſti cum violentia, Act. 20. v. 29. 1. Tim. 4. verſ. 1. 2. Tim. 3. v. 1. & revelationem Anti-Chriſti 2. Theſſ. 2. v. 3. &c.

Hoc facit adhuc hodie, quando ſub cruce fidelibus annunciat futuram gloriam, 2. Cor. 4. v. 17. & certiſſimâ carnis noſtræ reſurrectionem & glorificationem, 1. Cor. 15. v. 21. ne abjiciamus animum, ſed conſtanter crucem à Deo nobis immiſſam perferamus, certiſſimè ſcientes, paſſiones hujus ſeculi non eſſe condignos ſecutura gloria, Rom. 8. verſ. 18.

3. *Chriſtum glorificando*, v. 14. 15. quod fit, quando per miniſterium Evangelii declarat & demonſtrat, quod ſit Dei filius, unicus mundi redemptor, extra quem non ſit ulla ſalus, Act. 4. v. 12. Nam de hoc Jeſu teſtantur omnes Prophetæ, quod remiſſionem peccatorum accepturi ſint per nomen ejus omnes qui credunt in eum, Act. 10. v. 43. Hinc addit Chriſtus: De meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque Pater habet mea ſunt, propterea dixi vobis, quod de meo accipiet, & annunciabit vobis.

Apparet inde, doctrinam Chriſti non eſſe novam ſed antiquiſſimam. Nam Spiritus Sanctus

Digitized by Google

Sanctus quod per Apoſtolos protulit, à Chriſto accepit, Chriſtus à Patre, Joh. 8. v. 38. 40. v. 42. Joh. 5. v. 30. 6. v. 38. Qui igitur doctrinam Chriſti non affert, ſed impugnat, qui Chriſtum non glorificat, ſed blaſphemat, à Deo non eſt. Probemus ergò Spiritus, & non credamus omnibus & ſingulis, 1. Joh. 4. v. 1. vide etiam 1. Joh. v. 10. 11.

Dominica Vocem Jucunditatis.

Evangelium Johan. 16. v. 23. 30.

AD Regem Ahasverum nemini concedebatur aditus, niſi qui vocatus erat, & ſi quis contra hoc ſtatutum intrabat in atrium, mox interficiebatur, Eſth. 4. v. 11.

Secus Rex Regum & Dominus dominantium, qui neminem ad ſe venientem foràs expellit, Joh. 6. v. 37. imò theſauros beneficiorum ſuorum omnibus vult apertos, & clavem precum nobis dedit, per quam cœleſte ταμεῖον recludere & ex theſauris Dei prolubitu depromere poſſumus, quicquid nobis opus eſt. Hinc Sponſam ſuam amiciſſimè invitat, Cant. 2. v. 13. ſurge, propera amica mea, ſpecioſa mea & veni, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Quibus verbis prædicat

1. *Sponſæ venuſtatem*, quæ non eſt comata, jacet enim naturâ in ſanguinibus, Ezech. 16. v. 6. ſed donata, Eſa. 60. v. 10. Apoc. 19. v. 7. 8. hic eſt ornatus ſponſæ interior, quo coram Deo fulget Pſ. 45. v. 14.

2. *Votis ſuavitatem*, per quam intelligitur fiducialis oratio, quâ cum ſponſo ſuo loquitur. Hanc expetit Chriſtus audire, proinde invitat diſcipulos ſuos & omnes Chriſtianos in prælecta pericope. Hactenus non petiiſtis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, ut gaudium veſtrum perfectum ſit.

Conſtat Evangelium tribus partibus, ut ſunt:

I. Orationis commendatio.
II. Adminiculorum ſuppeditatio.
III. Diſcipulorum adſtipulatio.

JJ.

EXEGESIS.

MOſes ad mandatum Dei conficiebat ſingulare thymiama ex odoratis & pretioſis aromatibus, quod ſingulis diebus, manè & veſperi, in odorem ſuavitatis Deo adolendum erat, Exod. 30. v. 34. Per hoc ſuffimentum adumbratæ ſunt preces piorum, Apoc. 8. v. 3. quæ ſpirituale incenſum præſtant in oculis Dei, Pſal. 141. v. 2. & ſine intermiſſione exerceri debent, 1. Theſſ. 5. v. 17. ut manè ordiamur & veſperi etiam finiamus opera vocationis noſtræ cum precibus, ſi Dei benedictionem comitem habere velimus. Omnia enim ſanctificantur per orationem, 1. Tim. 4. v. 5.

Hoc idem vult Chriſtus in hodierno Evangelio, ubi orationem nobis commendat

1. *Ratione neceſſitatis*, quæ triplici filo nos aſtringit. Ponitur enim hîc

1. *Mandatum*. Petite, inquit Chriſtus. Quod confirmatur Deut. 6. v. 13. Pſ. 50. v. 15. Eſa.

Eſa.55. v.6. Matth.7. v.7. c.26. v.41. Luc.18. v.1. 1.Tim.2. v.1. non igitur relictum eſt in noſtro arbitrio an velimus orare, nec ne, ſed obligati ſumus mandato Domini ſupremi, qui non ſolùm corpus occidit, ſed animam ſimul in infernum præcipitet, Matth. 10. v.28.

2. *Debitum.* Nam ad diſcipulos ſuos Chriſtus ſermonem dirigit. Quisquis igitur verus eſt diſcipulus Chriſti, huic mandato libenter obtemperat, & cum Chriſto Magiſtro ſuo colloqui deſiderat, quod fit per orationem, quæ colloquium Deo à Cypriano appellatur ex Pſ.19. v.15.

Hæc eſt ſumma hominis Chriſtiani dignitatis, Deuter.4. verſ.7. verus diſcipulus Chriſti eſt templum & habitaculum DEI, Johan.14. v.23. 2.Cor.6. verſ.16. Jam verò ubi eſt templum Dei, ibi etiam offerri oportet ſacrificium, quod eſt oratio, Pſalm. 141. v.2.

Verus diſcipulus Chriſti accepit unctionem Spiritus, 1. Johan.2. v.27. Spiritus S. autem eſt Spiritus precum, Zach.12. v.10. ubi igitur Spir. Sanct. habitat, illum ad preces compellit, Rom.8. v.14.

Verus diſcipulus CHriſti eſt ſpiritualis miles, ſub vexillo Chriſti, ergò neceſſarium ipſi eſt, ut precibus ſeſe muniat, Epheſ. 6. verſ.11.

3. *Periculum.* Diabolus obambulat ut leo rugiens, 1.Petr.5. verſ.8. caro concupiſcit adverſus Spiritum, Galat.5. v.17. mundus in maligno poſitus, 1. Johan.5. v. 19. & non acquieſcit prius, quàm principis ſui deſideria, ſanguine & cœde expleverit, Job.8. v.44. Imò optima portio noſtra in hac lachrymarum valle eſt labor & dolor, Pſ. 90. v.10. Hi ſunt ſtimuli, qui ad Dominum nos ire compellunt, Eſa.26. v.16. Pſ.18. v.7. ſicut enim hîc Chriſtus diſcipulis ſuis triſtem in mundo ſortem prænuncians ad preces remittit: Ita adverſus omnia mundi pericula in precibus munimentum & medicamentum invenimus, quò pertinet exemplum Moſis, Exod.17. v.11.

2. *Ratione proprietatis.* Tria enim potiſſimum vera oratio requiſita habeat neceſſe eſt, ut fiat

1. *Intelligenter*, non cœco impetu, quo feruntur ethnici ſolem & lunam adorantes, Sap.13. v.2. & mutantes gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & ſerpentium, Rom.1. v.23. Itemq; Pontificii, qui coram idolis procidunt, quæ ex auro & argento confecta ſunt, os habent, & non loquuntur, &c. Pſalm.115. v.5. ſeqq. & ſanctos demortuos invocant, qui ignorant nos, Eſa.63. v.16. Hi omnes neſciunt quid adorant, Johan.4. v.22. ſed ad Deum vivum & verum dirigenda eſt oratio, qui ita ſe patefecit in Scripturis, quod ſit æternus Pater, qui æterno genuit filium, eumq; in plenitudine temporis miſit in mundum, ut eſſet noſter mediator & redemtor, à quo Patre & filio procedit Spiritus S. qui mittitur in corda credentium. Hinc Chriſtus in Evangelio: Quicquid petieritis Patrem, inquit, dabit vobis. Eſt enim (1.) Omnis boni fons & origo, Jac.1. v.17. (2.) καρδιογνώστης, 1.Reg.8. v.39. (3.) poteſt omnia ſuperabundanter facere, quàm petimus & intelligimus, Eph.3. v.20. (4.) miſeretur noſtri ſicut Pater liberorum, Pſal.103. v.13. & (5.) propè eſt omnibus invocantibus eum, Pſalm.145. v.18.

2. *Reverenter*, nimirum in nomine Chriſti. Ipſe enim ſolus eſt mediator noſter, 1.Tim. 2. verſ.5. qui apud Patrem pro

nobis

Digitized by Google

nobis interpellat, Rom. 8. v. 34. in quo omnes promiſſiones ſunt ita& Amen, 2. Cor. 1. v. 20. Hujus merito ſi funderur oratio, nunquam fruſtra effunditur. Pater enim diligit filium Joh. 5. v. 20. & in eo nos acceptos reddidit, Eph. 1. v. 6. Quemadmodum enim in V. T. orantes dirigebant faciem ſuam ad templum Hieroſolymitanum, vel in templo ad aram propitiatorii, 1. Reg. 8. verſ. 48. ita noſtrum propitiatorium Chriſtus eſt, Rom. 3. v. 25. ad quem oculi animique inter orandum dirigendi ſunt, per hunc enim acceſſum habemus ad Patrem per fidem, Rom. 5. v. 2. ipſe preces pro nobis obtulit, Ebr. 5. verſ. 7. adeoque per ipſum unicè accedimus ut miſericordiam conſequamur, Ebr. 4. v. 16. unde Illi etiam ſoli danda eſt gloria, Pſ. 115. v. 1. Eſa. 48. v. 11.

3. *Frequenter.* Hactenus non petiiſtis quicquam in nomine meo, inquit Chriſtus, petite & dabitur vobis. Petierant quidem Apoſtoli, ſed more V. T. ſub involucro propitiatorii, quia præſentiam Chriſti corporalem tantùm externis oculis intuebantur. Mediatorem verò N. T. eſſe ſub propitiatorio adumbratum nondum intelligebant. Proinde Chriſtus eos in nomine ſuo poſthac jubet orare explicitè ſine involucris typicis. Umbræ enim adventante corpore evanuerant, Col. 2. v. 17.

Nos colligimus inde, quod frequenter orare & non deficere debemus, dicente alibi Chriſto, Luc. 18. verſ. 1. *Oremus cubitum ituri*, ut in mediis tenebris Dominus ſit noſtra lux, Pſ. 27. v. 1. Oremus *de lecto iterum ſurgentes.* Neſcimus enim quid ſerus veſper vehat, Sir. 18. v. 28. *Oremus domum exeuntes*, multi enim exierunt ſani & incolumes, & mortui illati ſunt. Oremus *domum repetentes*, ut Deus benedicat laboribus manuum noſtrarum. Niſi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam, Pſal. 127. verſ. 1. Oremus *menſæ accumbentes*, ut cibus proſit corpori. Oremus *de menſa ſurgentes*, & gratias agamus Deo, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione, Pſal. 145. v. 16. Qui non orat, inquit Lutherus, ſcire debet, quod non ſit Chriſtianus, neque ad regnum Dei pertineat. Hinc eſt, quod totus cultus divinus orationis nomine exprimitur, Joh. 4. v. 21.

4. *Confidenter*, abſque ulla hæſitatione. Nam Pater eſt, quem invocamus. Si quid petieritis Patrem, inquit Chriſtus, dabitur vobis. Quis igitur tam timidus eſſet, ut confidenter non accederet? Oramus Patre jubente, Pſalm. 50. v. 15. Fratre inſtituente, Matth. 6. v. 9. Advocato impellente, Rom. 8. verſ. 14. cur de exauditione dubitabimus? Certè qui dubitat, Deum mendacem facit, 1. Joh. 5. v. 10. & nihil quicquam accipiet, Jac. 1. v. 7.

3. *Ratione utilitatis*, quæ multiplex, ſed Chriſtus unicâ exauditionis voculâ omnia complectitur, quando dicit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabitur vobis. Quàm latè igitur patet noſtra indigentia, tàm latè etiam hæc promiſſio ſe extendit, per quam confirmamur, quod omnia ad hanc futuram vitam neceſſaria per preces impetrare poſſimus. Oratio eſt *baculus Moſis*, quo mare rubrum diviſit, Exod 14. v. 21. *funda Davidis*, quâ Goliathū proſtravit, 1. Sam. 17. v. 49. *Cythara Davidis*, quâ Diabolum fugavit, 1. Sam. 16. v. 23. *Scala cœli*, per quam gemitus noſtri aſcendunt, & Dei gratia deſcendit, Gen. 28. v. 12. *Columna* inter Eccleſiam & hoſtes, Exod. 14. verſ. 20. *Organum Organorum*, notante Chryſoſtomo,

mo, quo mediante conſequi poſſumus, quicquid nobis ad ſuſtentationem hujus & conſecutionem futuræ vitæ ſalubre & neceſſarium eſt. Nam propè eſt Dominus invocantibus eum, & facit voluntatem timentium ſe, inquit David Pſ.145.v.18.19.

De Secundo.

QUia regerere poterant Apoſtoli, ſe eſſe indignos vel etiam rudes, & non callere artem orandi, Chriſtus promittit ipſis

1. *Spiritus Sancti præſentiam.* Hæc per proverbia locutus ſum vobis, inquit, non quod verba Chriſti in ſe obſcura fuerint, ſed ex ſenſu diſcipulorum, qui ob ruditatem ſuam ea intelligere non poterant, ideoque proverbia eſſe reputabant. Veniet autem tempus, cum non amplius in proverbiis vobis loquar, ſed palam &c. Quibus verbis reſpicit (1.) ad tempus, quo cum Apoſtolis poſt reſurrectionem ſuam converſatus eſt, Act. 1. verſ.3. & intelligentiam ipſis aperuit, Luc.24.v.31. (2.) ad tempus viſibilis effuſionis Sp. S. in die Pentecoſtes, qui Apoſtolis omnia explicaturus, eoſque tanquam Spiritus gratiæ & precum informaturus erat, quomodo in nomine & fiducia Chriſti rectè orare debeant, Zach.12.v.10.

Hæc eſt inſignis conſolatio pro timidis & perturbatis conſcientiis, quando ſibi ex inſtinctu Diaboli imaginantur, ſe indignos eſſe, ut accedant precibus ſuis ad Deum, qui ſit ignis conſumens, Deut.4.verſ.24. & peccatores non audiat, Joh. 9.v.31. Spiritus S. adjuvat infirmitatem noſtram, & Spiritui noſtro teſtimonium perhibet, licet naturâ ſimus filii iræ Eph. 2.v.3. à Deo ſeparati per peccatum, Eſa. 59. verſ. 2. quod tamen per Chriſtum facti ſimus filii Dei & hæredes regni cœlorum, Rom. 8. v. 17. Impoſſibile igitur eſt, quod à Deo efficitur, in nobis, à Deo repudiari. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilium opportunum, Ebr.4.v.16.

2. *Dei Patris clementiam*, verſ. 26. 27. Non dico vobis, inquit, quod ego rogaturus ſum Patrem pro vobis, ipſe enim Pater amat vos. Quibus verbis officium ſuum mediatorium non tollit, ſed paulò poſt finitâ hâc concione denuò confirmat Joh.17.v.20. quin & ſemper adhuc vivit, ut interpellet pro nobis, Ebr.7.v.25. Scopus igitur Chriſti eſt plenâ fiduciâ diſcipulos ſuos animare, ut ſciant, Deum non eſſe iratum judicem, ad quem non audeant precibus ſuis accedere, ſed benigniſſimum Patrem, qui ex animo ipſis bene cupiat, Pſ.103.v.13.

Miſericordia illa adhuc durat, & tanta eſt, quantus ipſe Deus eſt, Sir. 2. v. 22. quâ cogitur quaſi, ut preces noſtras exaudiat, Oſ. 11.v.8. Expende quæſo imaginem cordis materni, 1. Reg.3.v.26. & paterni, Luc.15.v.20. & firmiter ſtatue eodem modo ex paterno & materno corde Deum erga te affectum eſſe, Eſa.49.v.15. Luc.11.v.11.12.13.

3. *Meriti ſui efficientiam.* Pater amat vos, inquit Chriſtus, quia vos amaſtis me, & credidiſtis, quod à Deo exiverim, exivi à Patre, &c.

Quo brevi aphoriſmo perſonam & officium ſuum eleganter complectitur. Nam à Patre exivit, & venit in mundum per incarnationem ſuam, dum humanam naturam aſſumpſit, ut in illa & per illam moriendo & patiendo redemptionis noſtræ myſterium perficeret, quo abſoluto iterum ad Patrem divertit, aſcendendo ad cœlos, & ad dextram Patris conſidendo, mumdumque corporali & terrena converſatione depoſitâ reli-

reliquit. Interim nobiſcum eſt & manet illocaliter & inviſibiliter præſentiâ merè divinâ carni per & propter unionem perſonalem communicata, omnibus diebus usque ad conſummationem ſeculi, Matth. 28. verſ.20.

Hoc meritum Chriſti ſi quis fundamentum ponit ſuarum precum, non eſt, quod de exauditione dubitet. Nam Pater amat filium, Joh. 5. verſ.20. & quicquid petimus in nomine ejus obtinere poſſumus, 1. Joh. 5. v.14. Eſt enim advocatus noſter apud Patrem, 1. Joh. 2. v.1, Ebr. 9. verſ.24. per quem habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ipſius, Eph. 3. v.12.

De Tertio.

SUpereſt *diſcipulorum aſtipulatio*, v. 29. 30. quæ eſt

1. *Præſumptuoſa.* Quia enim paulò antè Dominus ruditatem & ignorantiam eorum redargueret, propterea quod verba ejus videbantur ipſis ænigmata, jam ad amoliendam ſuſpicionem iſtam verborum Chriſti intelligentiam præſumptuosè jactitant. Ecce, inquiunt, nunc apertè loqueris, nec ſimilitudinem ullam dicis. Sed die ſequente, cum Chriſtus in horto caperetur, experientia docuit, quàm frigida fuerit ipſorum confeſſio, dum aufugerunt omnes, & Chriſtum ſolum reliquerunt, quod v.23. ſeq. ipſis prædixerat.

Caveamus igitur præſumptionem, & non confidamus in propriis viribus ſed operemur potiùs ſalutem noſtram in timore & tremore, Phil. 2. verſ.12. & qui ſtat, videat ne cadat, 1. Cor. 10. v.12.

2. *Religioſa.* Tribuunt enim Chriſto,

1. *Scientiæ univerſalitatem.* Nunc ſcimus, inquiunt, quod ſcis omnia, nec opus eſt tibi, ut quis te interroget. Quæ certè egregia de majeſtate Chriſto ſecundùm carnem communicatâ, eſt confeſſio. Nam omnia ſcire non eſt ψιλῷ ἀνθρώπῳ, ſed Dei proprium, qui καρδιογνώστης dicitur 1. Reg. 8. v.39. & fines mundi intuetur, imò omnia quæ ſub cœlo ſunt, Job. 28. v.24. Quia igitur de Chriſto dicunt Apoſtoli, quod omnia ſciat, nec ullius informatione indigeat, Deitatem ejus aſtruunt contra Arianos, & communicationem majeſtatis infinitæ contra Calvinianos. Nam ſuper virgam de radice Jeſſe requievit Spiritus ſcientiæ & ſapientiæ, Eſa. 11. verſ. 2. & in Chriſto ſecundùm carnem abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, Coloſſ. 2. verſ. 3. nam divina natura eſt æterna & ſubſtantialis Patris ſapientia, Prov. 8. verſ.1. Sap. 9. v.9.

Hæc doctrina conſolatione plena eſt. Si enim Chriſtus Salvator noſter ſcit omnia, miſeriam etiam & afflictionem noſtram ſciet, Pſ. 10. v.14. & non dabit nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed ἔκβασιν monſtrabit, ut ſufferre poſſimus, 1. Corinth. 10. verſ.13.

2. *Officii ſublimitatem*, quod à Deo exiverit, verus nempe Salvator mundi, quod contra Judæos obſervandum eſt, qui Meſſiam illum obſtinatè repudiant, & alium expectant, ſed fruſtrà. Jamdudum enim exivit à Patre, ut cum Andrea gaudere & dicere poſſimus: Invenimus Meſſiam, Johan. 1. v.41. Cui ſit laus & benedictio in ſempiterna ſecula, Amen.

In Feſto Aſcenſionis Chriſti.

Evangelium Marc. 16. v. 14. 20.

ARca fœderis cum multo jam tempore in tentoriis Caſtrenſibus habitaſſet, ſummo tandem honore, magnificentia & pompâ in templum Salomonis deducta fuit, 1. Reg. 8. v. 4. ſeqq.

Hanc figuram hodie adimpletam videmus. Chriſtus eſt vera arca ſalutis, per arcam fœderis deſignatus, Rom. 3. v. 25. hic cum aliquanto tempore in ſimilitudine hominum in deſerto hujus mundi obambulaſſet, tandem omni quâ fieri potuit pompâ, ſolennitate, triumpho & majeſtate, ex civitate David, id eſt, ex eccleſia militante, in templum Salomonis, id eſt in cœlum, & in Eccleſiam triumphantem translatus eſt; ubi nunc ſedet ad dextram Patris ſub alis Cherubim & Seraphim, & dominatur in medio inimicorum, Pſ. 110. v. 2. à mari ad mare, Pſ. 72. v. 8. ſuper omnem principatum & poteſtatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc, ſed & futuro ſeculo, Eph. 1. v. 21.

De hac glorioſa Chriſti in coelos elevatione agit prælecta Evangelii pericope, quæ in duas potiſſimùm partes dividi poteſt. Occurrit enim

I. Prævia inſtructio.

II. Aſcenſionis Conſecutio.

J. J.

EXEGESIS.

PIncerna Pharaonis è carcere liberatus & priſtino honori reſtitutus obliviſcebatur Joſephi, qui ipſi hoc eventurum ex ſomnio prædixerat, Gen. 40. v. 13. Ita non affectus eſt Chriſtus Salvator noſter, poſtquam ex carcere ſepulchri prodiit, ſed primo ſtatim die Apoſtolos fugitivos præſentiâ ſuâ exhilarat, & multis modis oſtendit, quod antiquam affectionem non depoſuerit, ſicut in hodierno Evangelio talis apparitio, & quidem ultima ſive poſtrema deſcribitur, quâ ante ſuum in coelos aſcenſum inſtruit Apoſtolos, quomodo officium ſuum adminiſtrare debeant.

Inſtructio illa tribus membris abſolvitur ut ſunt

I. *Increpatio*, v. 14. nam ὠνείδισεν, inquit Evangeliſta, exprobravit illis, quod his qui vidiſſent ipſum reſuſcitatum non crediſſent. Hoc facit ex amore. Nam habet & amor plagas ſuas, inquit Ambroſius. Et Salomo Prov. 27. verſ. 6. Melior eſt manifeſta correctio, quàm amor abſconditus. Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm oſcula odientis.

Sequantur miniſtri Eccleſiæ, & auditores ſuos objurgent tempeſtivè & intempeſtivè, 2. Tim. 4. v. 2. aliàs erunt canes muti, Eſa. 56. verſ. 10. Auditores verò increpationes ejuſmodi animo humili & placato ſuſcipiant. Qui enim cuſtodit increpationes, aſtutior deinde fit, & auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientum commorabitur, Proverb. 15. v. 31.

Notandum hîc

1. *Tempus*, quando facta ſit hæc apparitio, nimirum poſteà recumbentibus undecim, ipſo quadrageſimo die, cum jam ab eis in coelum aſcenſurus eſſet, quâ repetitâ manifeſtatione

nifeſtatione clariſſimum bonitatis & miſericordiæ ſuæ exemplum ſtatuit. Sicut enim paſtor fidelis, ovem amiſſam ſollicitè quærit, jamque diu tritas itque reditque vias, dum invenit illam: Ita Chriſtus non ſemel aut bis, ſed ter, quater & amplius quærit Apoſtolos ſuos, qui percuſſo paſtore ſicut oves hinc inde diſperſi erant, Zach. 13. v. 7. Luc. 15. verſ. 4.

Hanc Chriſti ſollicitudinem & bonitatem ſemper nobis ob oculos ponamus, ſi quando contingat nos in fide etiam infirmari, ut recordemur, nos miſericordiſſimum habere paſtorem & Pontificem, qui compati non modò poſſit ſed & velit infirmitatibus noſtris, Ebr. 4. v. 15.

2. *Scopus*, qui duplex. Taxat enim duo vitia capitalia, quorum

1. *Eſt ἀπιςία*, incredulitas. Audiverant ex ore Mariæ Magdalenæ, Chriſtum vivere, Marc. 16. v. 10. quod confirmaverant cæteræ mulieres, Matth. 28. verſ. 1. & Emauntini, Luc. 24. v. 35. ſed nolebant credere, & verba illa videbantur illis ὡσεὶ λῆρος, Luc. 24. verſ. 11.

O fugite vos mei, fugite peccatum hoc, quod eſt mater & radix omnium peccatorum, & imitamini potius Abrahamum, qui credidit contra ſpem in ſpem, Rom. 4. v. 18. qui enim incredulus eſt filio, vitam non videbit, ſed ira Dei manebit ſuper ipſum, Joh. 3. verſ. 36.

2. σκληροκαρδία, cordis durities, quæ tamen eo ſenſu de Apoſtolis non prædicatur, quo Stephanus eam Judæis tribuit & horum ſenioribus, Act. 7. v. 51. nam renati erant & à mundo ſeparati, Joh. 15. v. 19. Sed quia reliquias peccati adhuc ſentiebant, & tot reſurrectionis teſtes mendacii arguere non erubuerant, duritiem cordis lapidei Chriſtus ipſis exprobrat, ut ſuccedat cor carneum charitate plenum, & verba quæ recedens diceret, in corde eorum arctius impreſſa remanerent, quæ D D. Hieronymi & Gregorii verba ſunt.

Hodie talis σκληροκαρδία & durities cordis valde frequens eſt. O quotuſquiſque eſt, qui iſtis, qui Chriſtum oculis viderunt, manibus palparunt, auribus audierunt, 1. Iohan. 1. v. 1. Apoſtolis puta & Evangeliſtis, in his, quæ de Chriſto ſcripta reliquerunt, non credit? Exemplo ſunt Pontificii, qui concilia, Papam & humanas traditiones Scripturæ S. anteponunt. Exemplo etiam ſunt Sacramentarii. Si enim crederent Chriſto & Apoſtolis, verba Inſtitutionis Cœnæ Dominicæ non tam obſtinatè oppugnarent. Meritò igitur hic cum Propheta exclamandum: quis credit auditui noſtro? Eſa. 53. verſ. 1.

Mortificemus nos illam cordis duritiem, & oremus Deum, ut auferat de corde noſtro cor lapideum, & donet nobis cor carneum, juxta promiſſionem Ezech. 36. v. 26.

II. *Ablegatio*. Nam finitâ increpatione vocationem Apoſtolorum repetit, dicens: Ite in univerſum mundum, & prædicate Evangelium omni Creaturæ. Ex his verbis apparet, quod ablegatio Apoſtolorum fuerit

1. *Peculiaris*, nam ad prædicandum emittuntur, non ad regnandum vel ad otiandum, vel ad luxuriandum. Qui igitur terrenis negotiis ſeſe implicant, equis, mulis, rhedis & curribus vehuntur, & ut Reges gentium dominantur, quod apud Pontificios Papa, Cardinales, Epiſcopi, &c. faciunt, non ſunt legitimi Apoſtolorum ſucceſſores. Ite, inquit Dominus, prædicate. Prædicantes eſſe debent, & vocem ſuam confidenter exaltare, Eſa. 58. verſ. 1. ſi miniſtri Evangelici

Digitized by Google

partes maſculè implere velint. Prædicantis igitur nomen , quod Pontificii tantoperè calumniantur, non averſari debemus, nam omnes Prophetæ, Apoſtoli, Iohannes Baptiſta, & Chriſtus ipſe fuerunt prædicantes, Eſa. 61. v. 1. Jer. 7. v. 2. Matth. 3. v. 1. Luc. 3. v. 3. Matth. 4. verſ. 23. Videamus autem, ut prædicemus Evangelium , non aniles fabulas, 2. Pet. 1. v. 16. vel doctrinas hominum, Matth. 15. v. 9. multò minus doctrinas dæmoniorum , 1. Tim. 4. v. 1. qui enim aliud Evangelium prædicat, quàm Apoſtoli prædicarunt, anathema ſit, inquit Paulus Gal. 1. verſ. 8.

2. *Univerſalis,*

1. *Ratione terrarum.* Nam in omnem mundum jubentur ire, ut impleretur illud Pſalm. 19. v. 5. Ante paſſionem ſuam præcipiebat Apoſtolis: In viam gentium ne abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis, ſed potius ite ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael Matth. 10. verſ. 5. His enim primùm oportebat annunciari verbum Dei, Act. 13. v. 46. Jam verò poſt reſurrectionem verba aliter ſonant: Ite in univerſum mundum , quia Judæi contemnebant Evangelium , & in locum ipſorum Ethnici adoptandi erant, juxta prædictiones Prophetarum Eſa. 60. v. 5. ſeqq. Huc pertinet inter alia vaticinium Zachariæ c. 14. v. 4. nam tempore aſcenſionis ſteterunt pedes Chriſti in monte Oliveti, ſciſſusque eſt mons in quatuor partes, quando ab illo egreſſi Apoſtoli ad quatuor mundi plagas abierunt , & Evangelium de Chriſto ubique prædicarunt. Quò enim non pervenit pes Apoſtolorum, eò tamen pervenit ſonus eorum. Notate hoc vos mei, in conſolationem. Nam ubicunque eſtis, etiam in media Turcia, Deum propitium habetis , qui veſtram ſalutem deſiderat, & clamat Eſa. 44. v. 22. Convertimini ad me; & ſalvi eritis omnes fines terræ.

2. *Ratione perſonarum.* Nam omni creaturæ prædicare jubentur, non quidem irrationali, ut Monachi fabulantur S. Anthonium piſcibus, S. Franciſcum paſſeribus, Bedam lapidibus, &c. prædicaſſe, ſed rationali, ſive omnibus gentibus , ut Matthæus explicat. Hoc etiam fecerunt : Nam abeuntes prædicarunt Evangelium ubique , inquit Marc. c. 16. v. ult. admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem , & exhibentes omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu, Col. 1. v. 28. ut fructificarit Evangelium in univerſo mundo apud omnes creaturas quæ ſub cœlo ſunt, ibid. v. 23.

Hinc apparet evidenter, quod velit Deus omnes homines ſalvos fieri , & ad agnitionem veritatis pervenire , 1. Tim. 2. v. 4. id quod ſacroſancto juramento confirmat Ezech. 33. v. 11.

3. *Salutaris.* Qui enim crediderit, ſubjicit Chriſtus, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non credit, condemnabitur.

Verbum Evangelii non eſt ſonus evaneſcens, aut litera mortua , ſicut hæretici calumniantur, ſed virtus Dei ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. Si quis igitur credit, hoc eſt gratiam Dei, meritum Chriſti, & inde dependentem remiſſionem peccatorum, juſtitiam, vitam & ſalutem æternam in Evangelio oblatam apprehendit, ſibique applicat, ex fide ſua vivet, Hab. 2. v. 4.

Idem de Sacramentis judicium eſt, quæ ſunt, σφραγῖδες τῆς δικαιοσύνης, Rom. 4. v. 11. Hîc de Baptiſmo ſermo eſt, qui Sacramentum initiationis à veteribus appellatur, & ſi quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum cœlorum , inquit Salva-

Digitized by Google

Salvator, Joh. 3. verſ. 5. non tamen fidei & baptiſmi par & æqualis eſt neceſſitas. Fides ſimpliciter neceſſaria eſt, proinde Chriſtus expreſſis verbis dicit: qui non crediderit, condemnabitur. Nam abſque fide impoſſibile eſt Deo placere, Ebr. 11. v. 6. Baptiſmus verò neceſſarius quidem eſt, ſed non abſolutè. Excipitur enim caſus neceſſitatis, quando infans vel in utero moritur, vel in partu, vel alia quacunque ratione baptiſmus impeditur, tunc certè baptiſmo Deus non alligatus eſt, ſed extraordinariè ſalutem infantum promovere poteſt, ſicut in V.T. infantes Iſraelitarum ante octavum diem, qui præciſè obſervandus erat, demortuos non rejecit, ut docet exemplum filioli Davidis, 2. Sam. 12. v. 23. ubi enim nulla lex, ibi nulla prævaricatio legis, Rom. 4. v. 15.

III. *Confirmatio.* Sicut enim Deus olim Moſen ad Pharaonem ablegaturus, dono miraculorum ipſum inſtruebat, Ex. 4. v. 1. ſeqq. Ita Chriſtus h. l. miracula ſpecificat, quibus Apoſtoli doctrinam Evangelii confirmaturi erant, quæ ſunt

1. *Comitantia.* Nam ſequentur eos, inquit Chriſtus, qui crediderunt, puta Doctores Evangelii, vel etiam credentes quoscunque alios, ſiquidem in primitiva Eccleſia donum hoc commune erat, & à Spiritu Sancto diſtribuebatur ad beneplacitum, 1. Cor. 12. verſ. 11. imò hypocritis etiam dabatur, Matth. 7. v. 22.

Non igitur genuina & infallibilis Eccleſiæ veræ nota eſt, quod ſignis & miraculis clareſcere debeat, ut Pontificii putant: In Exordio quidem Eccleſia neceſſaria fuerunt, ut ad fidem creſceret multitudo credentium, 1. Cor. 14. v. 22. ſicut & vos cum arbuſta plantamus tamdiu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra coaluiſſe videmus, & ſi ſemel radices fixerint, irrigatio ceſſat, ut Gregorius loquitur. Hodie igitur miraculis non amplius opus eſt, quia doctrinam eandem habemus & amplectimur, quæ per miracula Apoſtolorum abunde confirmata eſt. Si quis igitur adhuc miracula quærit, ad Antichriſti familiam pertinet, Mat. 24. verſ. 24. 2. Theſ. 2. verſ. 9. Apoc. 13. verſ. 13.

2. *Variantia.* Nam (1.) dæmones ejicient, quod factum, Act. 5. v. 16. 8. v. 7. 16. v. 18. (2.) linguis novis loquentur, quod completum eſt, Act. 2. v. 4. 10. v. 46. 19. v. 6. (3.) Serpentes tollent, quod Paulus fecit in inſula Melite, Act. 28. v. 5. (4.) Si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis, quod de Johanne referunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. (5.) ægrotis manus imponent, & benè habebunt. Exempla vide Act. 9. verſ. 34. 28. verſ. 8.

Eluceſcit inde

1. *Dei bonitas*, qui adhuc hodiè fidelibus ſuis miraculoſè auxiliatur in omnibus tribulationibus. Dæmonia ejiciuntur jejunio & oratione, Matth. 17. v. 21. infirmi oratione fidei ſalvantur, Jacob. 5. verſ. 15. Serpens antiquus è cordibus impiorum prædicatione & meditatione verbi divini expellitur, Jac. 4. v. 7. magnalia Dei celebrantur in omnibus iniquis, nam Evangelium fructificat in toto mundo, Col. 1. v. 6. Deus ſæpe ἀπὸ μηχανῆς auxilium mittit, de quo nemo unquam cogitavit, Pſal. 64. verſ. 10. Ergò confide Deo, qui miracula facit ſolus, Pſ. 72. verſ. 18. & non dabit in æternum fluctuationem juſto, Pſal. 55. v. 23.

2. *Chriſti poteſtas.* Nam in nomine ejus hæc miracula S. Apoſtoli operati ſunt. Ergò ad ipſum verâ fide confugiendum ſemper, ille magnus eſt conſilio, & incomprehenſibilis

Digitized by Google

ſibilis cogitatu, Jerem.32. v.19. nomen ejus turris fortiſſima, ad illum currit juſtus & exaltabitur, Prov.18. v.10.

De Secundo.

VIdimus inſtructionem, videbimus etjam *aſcenſionem*, circa quam tria ponderanda veniunt,

I. *Modus*, quomodo aſcenderit, nimirum

1. *Veraciter.* Carpocratiani circa annum Chriſti centeſimum nugati ſunt, Chriſtum animâ tantùm, corpore in terris relicto, in cœlum aſcendiſſe. Manichæi φαινομένως tantùm & apparenter aſcenſionem Chriſti interpretabantur. Sed perperàm. Verè enim & realiter corpore & animâ Chriſtus in cœlum aſcendit in præſentia omnium Apoſtolorum & diſcipulorum ſuorum, qui oculis apertis aſpexerunt, Actor.1. v.9.ſeqq. hoc prædictum erat Pſ.47. v.6.& 68. v.19. Zach.14.v 4.

2. *Localiter.* Ἀνελήφθη, inquit Marcus, hoc explicat per τὸ διέςη, Luc.24. v.51. receſſit ab illis, & per τὸ ἐπήρθη, in altum elevatus eſt Actor.1.v.9.quæ verba luculenter docent aſcenſionem Chriſti non fuiſſe nudam quandam diſparitionem, ut Luc.24. verſ. 31. ſine ἀορασίαν & inviſibilitatem, ut Luc. 4. v.30. & Joh. 8. v.59. ſed τοπικὴν μετάςασιν, localem translationem & viſibilem elevationem, quâ Chriſtus in monte Oliveti propè Bethaniam ſtans è terra ſurſum viſibiliter in altum ſublatus per nubem ex oculis diſcipulorum ſubductus & in cœlum translatus eſt.

Nequaquam igitur docemus, ſicut quidam calumniantur, Chriſti aſcenſionem fuiſſe merum phantaſma, ſed toto corde credimus, & ore confitemur, quod verè & realiter de loco ad locum, & quidem ſurſum elevatus, & in cœlum beatorum ſtatumque plenariæ glorificationis translatus ſit. Scimus enim ipſi, niſi verè in cœlum aſcendiſſet, quod aſcenſio ipſius nihil nobis prodeſſe poſſit, ſicut etiam veritas paſſionis & mortis præſupponitur, ut fructus ex ea ad nos derivetur. Ubi autem ſit illud coelum, in quod Chriſtus aſcendit, noſtræ fragilitatis non eſt diſcutere, inquit Auguſtinus. Dicitur enim coelos penetraſſe, Ebr. 4. v.14. ſuper omnes coelos aſcendiſſe, Eph.4.v.10. excelſior coelis factus, Ebr.7. 26. quâ loquendi formulâ non tam altitudo loci, quam ὑπερύψωσις & ſublimitas divinæ majeſtatis innuitur, cujus plenariam uſurpationem depoſitâ formâ ſervili per aſcenſionem ſuam Chriſtus conſecutus eſt, Act.2. v.36. Eph. 1. verſ. 21.

3. *Regaliter*, ſi ſpectes

1. *Currum*, qui fuit nubes, quam Pater coeleſtis in occurſum miſit filio ſuo, ſicut Joſephus Patri ſuo currum mittebat, Gen. 45.v.21.hoc fuit divinæ majeſtatis indicium, Pſ.104. v. 3. Oſtenderat ſe Dominum maris ſuperambulando Matt.14.v.25.& tranquillando, Marc. 4.v.39. oſtenderat ſe Dominum terræ, quando in paſſione & reſurrectione ſua illam tremere fecit, Matth. 27.v.52. 28. v. 2. & mortuos ſuſcitavit, Matth. 27.v. 52. Oſtenderat ſe Dominum inferni, quando Diabolos expulit, Luc.11.verſ.14.& ζωοποιηθεὶς in carcerem illum infernalem deſcendit expolians principatus & poteſtates, triumphans illos in ſemetipſo, Col. 2. v. 15. Reſtabat igitur, ut ſe Dominum cœli oſtenderet, quod reipſâ præſtitit, quando nubes ei famulatum præſtitit: Ita typus impletur Num. 10. verſ. 11. 12. Sicut enim Iſraelitæ in deſerto caſtra movebant, quando nubes eleva-

elevabatur: Ita Chriſto per nubem in cœlum ſublevato, diſperſi ſunt Apoſtoli in totum terrarum orbem, & prædicarunt Evangelium omni creaturæ, ut ſuprà audivimus.

2. *Comitatum.* Nam curruum Dei ſunt vicies centena millia, imò in duplo, Dominus inter eos eſt in Sinai ſancto, inquit David Pſ. 68. verſ. 18. Hi currus Dei ſunt ſancti Angeli, quos in aſcenſione Chriſti præſentes fuiſſe teſtatur viſibilis duorum ex cœtu angelico manifeſtatio, Act. 1. verſ. 10. Quidam velut prodromi exclamarunt: Attollite ô portæ, capita veſtra, & elevamini portæ mundi, & intrabit Rex gloriæ. Reliqui è cœlo in occurſum illis venientes dixerunt: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Reſponderunt Angeli Chriſtum comitantes: Dominus fortis & heros, Dominus fortis in prælio, Pſ. 24. v. 7. ſeqq.

II. *Terminus*, nimirum ultimus vel proprius (de communi enim jam anteà dictum) eſt dextra Dei, ad quam per aſcenſionem ſuam conſedit. Cum Enocho quidem & Elia aſcenſionem in cœlos communem habet, ſed ſeſſio ad dextram Dei, nec Enocho, nec Eliæ, nec ulli Angelorum competit, Ebr. 1. v. 13. Quid autem per Seſſionem ad dextram Dei intelligendum ſit, Scriptura declarat, tum explicatione termini ſimplicis, quando dextram Dei vocat dextram virtutis, Matth. 26. verſ. 64. Luc. 22. v. 69. dextram majeſtatis, Ebr. 1. v. 3. thronum μεγαλωσύνης, Ebr. 8. v. 1. thronum gloriæ, Matth. 25. verſ. 31. tum phraſeos compoſito, quando τὸ ſedere ad dextram Dei explicat per regnare, Pſ. 110. v. 2. 1. Corinth. 15. v. 25. omnia implere, Eph. 4. verſ. 10. ſupra omne quod in hoc vel futuro ſeculo nominari poteſt, conſtitui, & omnia pedibus ſuis ſubjecta habere, Eph. 1. v. 20. 21.

Soletur te majeſtas Chriſti ad dextram Dei exaltati

1. *Contra conſcientiæ angorem.* Quis enim condemnet te? Chriſtus Jeſus ſedet ad dextram Dei & interpellat pro nobis, Rom. 8. 34.

2. *Contra mundi furorem.* Chriſtus ſedet ad dextram Patris, & dominatur in medio inimicorum Pſ. 110. v. 1. 2. deliberent ergò Diabolus, mundus, tyranni, &c. contra nos quicquid velint, hîc eſt Immanuel, Eſ. 8. v. 10.

3. *Contra inferni terrorem.* Chriſtus ſedet ad dextram Dei, & inferno peſtis factus eſt, Oſ. 13. v. 14. vivit, & tu vives, Joh. 14. v. 19. Vicit, & tu vincis propter eum qui dilexit te, Rom. 8. v. 37. regnat, & tu regnabis cum ipſo, 2. Tim. 2. v. 12. pugna modo ut vincas, vince ut vivas, vive ut regnes, ſi viceris, dabit tibi ſedere ſecum in throno ſuo, Apoc. 3. v. 21.

III. *Fructus*, qui triplex

1. *Fidei confirmatio.* Nam ex aſcenſione Chriſti agnoſcimus, quod ſit Chriſtus verus promiſſus Meſſias, de quo olim prædictum eſt, quod peracto redemptionis opere cœlum aſcenſurus ſit, itemque Dominus conſtitutus ſuper omnia, Act. 2. v. 36. Pſ. 8. v. 7. & tandem mediator & Advocatus noſter, qui ideò aſcendit in coelos, ut appareret pro nobis in conſpectu Dei, Ebr. 9. v. 24.

2. *Spei elevatio.* Eſt enim perruptor ille fortiſſimus, Mich. 2. verſ. 13. qui viam vitæ nobis aperuit, Pſ. 16. v. 11. & clauſas paradiſi fores reſeravit, ut jam habeamus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ipſius, Eph. 3. verſ. 12. Hinc Leo: Chriſti aſcenſio eſt noſtra provectio, & quò præceſſit gloria capitis, eò vocatur etiam ſpes corporis. Et Eccleſia:

Weil du vom Tod erſtanden biſt/
Werd ich im Grab nicht bleiben/ ꝛc.

3. *Charitatis inflammatio.* Quia enim Chriſtus unicus animæ noſtræ theſaurus in coelo eſt, oportet nos etiam corda elevare, & à terrenis abſtrahere juxta admonitionem Pauli Col. 3. verſ. 1. illuc ſequamur corde, ubi Chriſtum corpore aſcendiſſe credimus. Deſideria terrena fugiamus, nihil jam nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in coelis, inquit Gregorius. Quotiescunque igitur coelum intuemini, ibi πολίτευμα veſtrum eſſe cogitate, Phil. 3. verſ. 20. quotiescunque nubes inſpicitis, has aliquando vehiculum veſtrum futuras recordamini, 1. Theſſ. 4. verſ. 17. quotiescunque aviculas alis ſuis ſurſum in aërem ſeſe librare cernitis, toties alis cogitationum in vera fide, & ſpe & charitate ſurſum deſideria veſtra attollite, & aſcendite cum Chriſto corde, donec aliquando ſequemini corpore, & ſemper cum ipſo eritis, 1. Theſſ. 4. v. 17.

Da wird der Tag erſt Frewdenreich/
Wann uns Gott zu jhm nehmen
Vnd ſeinem Sohn wird machen gleich/
Als wir denn jetzt bekennen
Da wird ſich finden Frewd und Muth/
Zu ew'ger Zeit beym höchſten Gut/
Gott woll daß wirs erleben/
Amen.

Dominica Exaudi.

Evangelium Johan. 15. verſ. 26. & 16. v. 1. 4.

CUm Jezabel Regina mortem Eliæ minaretur, eò quod univerſos Prophetas Baal gladio occidiſſet, fugit ille in deſertum, cumque ibi ſederet, ſubter juniperum, optavit animæ ſuæ, ut moreretur. O Domine ait, ſufficit nunc, tolle animam meam, neque enim melior ſum, quàm Patres mei, projecitque ſe & obdormivit in umbra juniperi. Et ecce, Angelus Domini tetigit eum, & dixit: Surge & comede. Reſpexit autem, & ecce, ad caput ſuum ſubcinericius panis & vas aquæ. Comedit ergò & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus, & 40. noctibus, uſque ad montem Dei Horeb, 1. Reg. 19. verſ. 2. ſeqq.

Parem fortunam in hoc mundo experiuntur adhuc multi Chriſtiani & confeſſores Evangelicæ veritatis, dum ab Eccleſia malignantium perſecutionem patiuntur, & vel in exilium relegantur, vel miſerabiliter trucidantur, quâ in re meretrix Babylonia gnaviter ſe geſſit, ut ebria dicatur ſanguine martyrum Jeſu, Apoc. 17. v. 6. Sed Angelus magni Conſilii adſtat fidelibus ſuis in mediis perſecutionibus, & confortat eos per Spiritum Sanctum ut militent bonam militiam, & tandem coronam vitæ reportent, 2. Tim. 2. v. 5.

Sicut enim fabri ferrarii haud procul à fornace frigidam habere ſolent: Ita Deus quando probat dilectos ſuos in fornace tribulationis, non ibi perire ſinit, ſed educit in refrigerium, Pſal. 66. v. 12.

Utrumque confirmat Chriſtus in prælecta pericope, dum Apoſtolis ſuis mundi perſecutiones quidem prædicit, ſed Spiritum Sanctum promittit, qui ipſos rurſum erigere, & ſub turbinibus perſecutionem conſolari debeat.

Videbimus

I. Spiritus Sancti officium.

II. Piorum in hoc mundo proemium.

J.J.

EXEGESIS.

CUm Moſes quereretur de onere populi, ordinabat Deus ſeptuaginta Seniores, & deſcendens ipſe per nubem auferebat de Spiritu, qui in Moſe erat, & dabat 70. Senioribus, ut ſuſtentarent cum ipſo onus populi, & Moſes non ſolus gravaretur, Num. 11. verſ. 25. Idem accidit tempore N. T. quando Pater cœleſtis de Spiritu Filii accepit & poſuit ſuper 12. Apoſtolos & 70. diſcipulos, ut ad officium docendi & plantandi Eccleſiam idonei redderentur. Quemadmodum enim unctio à capite ſummi Sacerdotis deſcendebat in barbam, à barba in veſtes, Pſ. 133. verſ. 2. Sic à Chriſto capite Spiritus Sancti unctio deſcendit in omnia ipſius membra, ut ex plenitudine illius accipere poſſimus gratiam pro gratia, Joh. 1. v. 14.

Hoc certè donum eſt non vulgare, ſed eximium, quod omnia mundi dona & bona ſuperexcellit. Et hoc fine pluribus à Chriſto deſcribitur, ut diſcipuli & nos omnes magni illud æſtimare, & ſeriò deſiderare diſcamus. Spiritus enim quem Chriſtus promittit in hodierno Evangelio, triplici in Eccleſia apud omnes fideles defungitur officio.

I. *Conſolator eſt.* In græco eſt παράκλητος, quo nomine Chriſtus etiam inſignitur, 1. Joh. 2. v. 1. quia verò ad Patrem abiturus, & viſibilem ſuam præſentiam ſubtracturus erat diſcipulis, alium ipſis promittit paracletum, Joh. 14. v. 16. qui omni præſtaret, quę ipſe in carne adhuc præſens ipſis præſtare ſolebat, mœſtos ſublevaret, rudes informaret, deſidioſos excitaret, infirmos corroboraret, inermes propugnaret, accuſatos interceſſione ſua apud Patrem juvaret, ita ut nihil illis deeſſet, & nemo illos læderet, Luc. 22. v. 35.

Tali Paracleto non indigebamus ante lapſum. Deus enim condiderat hominem, non ad triſtitiam, ſed ad imaginem ſuam, non ad iram, ſed ad acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum JEſum CHriſtum, 1. Theſſ. 5. v. 9. Sed jam poſt lapſum naſcitur homo ad laborem & dolorem, ut avis ad volatum, Job. 5. verſ. 7. Imò Diabolus accuſat nos die ac nocte, Apoc. 12. v. 10. & expedit nos cribrare inſtar tritici, Luc. 22. v. 31. proinde ſupplicandum eſt Domino, ut hunc Paracletum nobis concedat, Pſalm. 51. v. 12. qui

1. *Erigit puſillanimes*

1. *Sub cruce domeſtica*, quando cum Hiskia graviter decumbunt, aut cum Jobo ſive bello, ſive incendio, ſive quacunque alia tempeſtate bonis exuuntur, tunc Paracleti hujus ſolatium optima medicina eſt, Job. 13. v. 15. Eſa. 38. v. 17.

2. *Sub perſecutione publica*, quando cum Elia in exilium releguntur, cum Micha in carcerem detruduntur, vel cum Apoſtolis martyrio coronantur, ibi Spiritus Sancti vires & animum addit, ne vel tormentorum cruciatus, vel mortis ignominia eos ſeparare poſſit à dilectione Dei, Rom. 8. verſ. 39.

3. *Sub tentatione diabolica*, quando à Satana & conſcientia accuſamur, ibi Paracletus hic iterum cauſam noſtram agit, ſuggerens nobis λύτρον, quo cum æterno Patre reconciliati ſumus, ut cum Eſaia confidenter dicere poſſimus cap. 27. verſ. 5. tenebit fortitudi-

tudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.

2. *Suſcipit exanimes*, quando cum morte luctamur, & in ipſo agone conſtituti ſumus, ut teſtantur exempla Sanctorum martyrum, inprimis Stephani, Act. 7. verſ. 59. Ignatii, Polycarpi, Laurentii & aliorum, qui animam ſuam non dilexerunt uſque ad mortem, Apoc. 12. v. 11.

II. *Informator eſt*, unde Spiritus veritatis à Chriſto dicitur, & hoc ipſo à Spiritu maligno diſcernitur, in quo non eſt veritas, Joh. 8. v. 44. proinde Spiritus S. ſolus eſt à quo diſcimus, quæ vera ſunt in doctrina & moribus, 1. Joh. 2. v. 27.

Ex eo colligitur, hanc eſſe notam inhabitantis Sp. S. ſi quis veritatem diligat, illique ſoli adhæreat. Qui enim ex veritate eſt, vocem meam audit, & viceverſa, inquit Chriſtus Joh. 8. v. 31.

Deſcribitur autem hic informator

1. *Ratione eſſentiæ*, dum Spiritus appellatur, quia eſt eſſentia ſpiritualis & incorporea non ſicut Angeli, vel anima hominis, ſed infinita, æterna, increata, divina, quomodo Deus etiam Spiritus dicitur, Joh. 4. verſ. 24. unde dicitur Spiritus qui ex Deo eſt, 1. Cor. 2. verſ. 12. Patri & Filio ob unam eandemq; numero eſſentiam ὁμοούσιος, 1. Joh. 5 v. 7.

Eſt ergò verus Deus, cui nomen Jehovæ competit, confer 2. Sam. 23. v. 2. & Act. 1. v. 16. Eſa. 6. v. 9. & Act. 28. v. 26. Pſ. 95. v. 6. ſeqq. & Ebr. 3. v. 7. & expreſsè Deus dicitur, Act. 5. v. 3. 4. 1. Cor. 3. v. 16. 1. Cor. 12. v. 11. Proinde honoremus eum tanquam Deum, & firmiſſimum ſemper in eo contra omnes adverſitates aſylum collocemus, ne querelam ſuam antiquam ingeminare cogatur: Si Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? Mal. 1. verſ. 6.

2. *Ratione characteriſticæ differentiæ*, quod nimirum à Patre procedat, & à Filio mittatur. Hæc eſt interna Sp. S. proprietas, per quam à Patre & Filio diſtinguitur, nimirum ab utroque procedere. De Patre non eſt dubium, de Filio controverſiam movetunt Græci, ſed per id, quod Spiritum Sanct. mittere dicitur, tacitè confirmatur, eſt enim unum cum Patre, Joh. 10. v. 30. unde Spiritus Filii nominatur Galat. 4. v. 6. Spiritus oris Chriſti, 2. Theſſ. 2. v. 8. Spiritus labiorum ejus, Eſa. 11. verſ. 4. Spiritus Chriſti, Rom. 8. verſ. 9.

III. *Teſtificator eſt*. Nam teſtimonium perhibebit de me, inquit Salvator, quod facit per verbum internè in cordibus fidelium, Gal. 4. v. 6. Rom. 8. v. 16. partim externè per miniſtros Evangelii, 2. Pet. 1. v. 21. qui proinde martyres ſeu teſtes veritatis dicuntur, Act. 1. verſ. 8. quemadmodum & hîc Salvator diſcipulis ait: Et vos teſtimonium perhibebitis.

Hæc eſt nota fidelium. Credidi, propter quod locutus ſum, inquit David, Pſ. 116. v. 10. ore fit confeſſio ad ſalutem, Rom. 10. v. 9. qui Chriſtum negaverit, viciſſim negabitur ab ipſo, Matth. 10. v. 33.

Teſtium verorum & irreprobatorum requiſita ſunt

1. *Vitæ inculpatæ ratio*, homini enim malæ notæ ne quidem vera loquenti creditur.

2. *Cauſæ exploratio*, ut fidei capita de Chriſto diligenter addiſcat & intelligat, 2. Tim. 1. v. 13.

3. *Ingenua veritatis enarratio*, licet amara ſit & odium pariat.

4. *Conſtans in confeſſione perſeveratio*, Sir. 4. v. 33.

Ambulemus igitur dignè Evangelio, Phil. 1. v. 27. Eph. 4. v. 1. Scrutemur Scripturas,

ras, Joh. 5. v. 39. parati ſimus rationem reddere ſpei quæ in nobis eſt, 1. Pet. 3. v. 15. & ad finem uſque perſeveremus, tunc aliquando cum apparebit Chriſtus in nubibus coeli, coronam vitæ reportabimus, Apoc. 2. v. 10.

De Secundo.

Supereſt ut *de piorum proemio* quædam etiam dicamus, quod propter teſtimonium hoc omnibus Chriſtianis in mundo diſtribuitur. Tria autem hîc notanda veniunt.

I. *Chriſti prædicentis bonitas.* Hæc locutus ſum vobis. inquit, ne offendamini. Tela ſiquidem prævisa minus nocent, & quia Chriſtus nobis prædixit crucem, colligere poſſumus, quod non fortuitò vel ad mundi arbitrium nobis contingat, ſed ex Dei providentia. Omnes enim capilli noſtri numerati ſunt, Matth. 10. v. 30. Quin etiam verborum Chriſti veritas ex eo cognoſcitur, quod prædictioni reſpondet eventus, unde confidimus, quod promiſſa liberatio etiam ſecutura ſit. Utrobique enim verax eſt, tam in promiſſis, quàm in minis, Joſ. 23. v. 14.

II. *Perſecutionis gravitas*, cujus duo genera enumerantur:

1. *Excommunicatio.* Ἀπὸ συναγώγης ποιήσουσιν ὑμᾶς, inquit Chriſtus, indignos vos judicabunt communione & conſortio Sanctorum, ut gentiles & publicanos vos æſtimabunt, ſicut alioquin excommunicatio in legitimo ſuo uſu deſcribitur Matth. 18. v. 17. Hoc telum omni tempore malignantium Eccleſia ſtrinxit adverſus pios veritatis teſtes, cujus praxin videmus adhuc hodie in Antichriſto Romano, qui fulmen excommunicationis vibrat adverſus omnes qui cathedram peſtilentiæ venerari renuunt, juxta expreſſum vaticinium Apoc. 13. v. 13. ſed Eccleſia vera nihil curat tale fulmen, & contra orant ex Pſ. 109. v. 28.

Interim vera Eccleſia ſuam etiam habet excommunicationem, quam exercere poteſt. Ea duplex eſt, major & minor. Minor eſt ſuſpenſio ab uſu cœnæ, major ſeparatio ab omnibus Eccleſiaſticis congreſſibus, quâ feriendi ſunt hæretici, omnem informationem ſpernentes, Rom. 16. verſ. 17. Gal. 1. v. 9. Tit. 3. verſ. 10. & præfracti peccatores, qui ſcandala in vita excitant, & Eccleſiæ admonitiones pervicaciter contemnunt, 1. Cor. 5. v. 34. 1. Tim. 1. v. 19. 20. Hæc eſt clavis ligans, quam hodie, proh dolor! ferè amiſimus. Nec tamen propterea impii in peccatis ſibi blandiantur. Nam quoties in publica verbi prædicatione ſecuris & impœnitentibus denunciatur ira Dei & æterna damnatio, excommunicatio exercetur, quæ coram Deo efficax eſt, licet à mundo floccipendatur, Joh. 20. v. 23. Matth. 18. v. 17. 18.

2. *Trucidatio.* Venit hora, inquit Chriſtus, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur cultum ſe præſtare Deo. Non contenti erunt hoſtes Evangelii excommunicatione, ſed conjungent ſimul tyrannidem & varias cœdes. Neque in hoc videri volunt tyranni, ſed potius cultores Dei, cujus honorem putant eſſe fidelium cruorem. Videantur exempla 1. Reg. 19. v. 2. 4. 2. Paral. 24. v. 21. 1. Macc. 2. v. 28. ſeqq. Quantas quæſo tempeſtates eccleſia perpeſſa eſt tempore decem perſecutionum ſub Ethnicis Imperatoribus Nerone, Domitiano, Trajano, &c. qui plures Chriſtianos trucidarunt, quàm in V. T. agni paſchales mactati ſunt. Quantas tempeſtates perpeſſa eſt proximis ſeculis? Teſtis eſt Gallia, teſtis Anglia, teſtis Belgium, teſtis Germania univerſa. Ubiq; enim ſanguis

Digitized by Google

Chriſtianus effuſus eſt tanquam aqua, Pſ. 79. verſ. 3.

Hæc eſt ſors Eccleſiæ veræ & omnium ejus membrorum. Chriſtus enim Sponſus eſt ſanguinum, Exod. 4. v. 25.

III. *Impulſivarum vanitas*, ut ſunt

1. *Veri Dei ignoratio.* Hoc facient vobis, inquit Chriſtus, quia nec Patrem meum, nec me agnoſcunt. Hic eſt fons iſtius crudelitatis. Si enim Deum verè agnoſcerent, amicos eos tali odio non proſequerentur. Non igitur ex Deo ſed ex Diabolo ſunt, qui homicida eſt ab initio, Joh. 8. v. 44.

Hoc ipſum debet nobis animum addere in perſecutionibus. Patimur ab illis, qui verum Deum non agnoſcunt, quid ergò poſſunt nobis nocere? Agnitionem & gratiam Dei nobis non eripient. Ipſi contrà ſedent in tenebris ignorantiæ, ex quibus in æternas olim tenebras detrudentur, quæ omnibus crudelibus & tyrannis præparatæ ſunt, Apoc. 21. verſ. 8.

2. *Cultus accepti imaginatio.* Quia enim neſciunt, quo cultu Deus honorandus ſit, ipſi ſibi imaginantur cultum, & ſcelera pro virtute, perſecutionem pro propagatione Eccleſiæ, deformationem pro reformatione habent, prout Spiritus furoris & homicidii ipſis dictitat, qui ſolet ſe transformare in angelum lucis, 2. Cor. 11. v. 14. ſed in extremo judicio videbunt in quem pupugerunt, Apoc. 1. v. 7. ſtabunt enim tunc juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui anguſtaverunt ipſos, &c. Sap. 5. v. 1.

Feria I. Pentecoſtes.

Evangel. Joh. 14. v. 23. 31.

NOachus tempore diluvii columbam emittebat, ut experiretur, num aquæ imminutæ eſſent, quæ redibat circa veſperam portans folium olivæ in ore ſuo, ex quo Noahus colligit, aquas diluvii & iram Dei ceſſaſſe, Gen. 8. v. 11.

In hac hiſtoria pulchra figura beneficiorum pentecoſtalium nobis ob oculis ponitur. Spiritus Sanctus eſt columba illa cœleſtis, & ſub ſpecie tali in baptiſmo Chriſti apparuit, Matth. 3. v. 16. hac columbam Deus emittit hodie ex arcu cœli, & viſibiliter effundit ſuper Apoſtolos, ut afferat folium olivæ, quo gratia Dei obſignatur adhuc in omnibus fidelibus, ne dubitent amplius, ſed certò ſibi perſuadeant, Deum reconciliatum eſſe per mortem filii, Rom. 5. v. 10. Unde feſtum hoc à Veteribus Feſtum amoris appellatum eſt, cujus arrham hodie accipimus, quæ eſt Spiritus Sanctus, Eph. 1. v. 14.

Hæc omnia fuſius pertractabimus ex prælecta pericope, cujus duas partes conſtituimus.

I. Exhibet *veri Chriſtiani indicia.*

II. *Inhabitantis Spiritus S. beneficia.*

J. J.

EXEGESIS.

CUm olim ſuper montem Sinai deſcenſurus, & legem promulgaturus erat Dominus, præcepit Moſi, ut ſanctificaret populum, Exod. 19. v. 10. quod ſi verò Iſraelitæ opus habuerunt ſanctificatione ad legem audiendam in Pentecoſte veteri, multò magis

magis Chriſtiani in Pentecoſte nova ſanctificare ſe debent, ut Spiritum S. accipiant, qui non habitat in polluto corpore, Sap. 1. v. 4. Quantum enim diſcrimen eſt inter Legem & Evangelium: tantum etiam diſcrimen eſt inter Pentecoſten V. & N. Teſtamenti. Lex iram operatur, Rom. 4. v. 15. Evangelium gratiam & ſalutem, Rom. 1. v. 16. Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Chriſtum facta, Joh. 1. v. 17. ſic etiam Pentecoſte vetus, quæ legem offert, pertinet ad ſervitutem, nova ad libertatem, Gal. 4. verſ. 14. non enim accipimus Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed Spiritum adoptionis filiorum, Rom. 8. v. 15.

Duo verò potiſſimùm requiruntur *ad ſanctificationem hanc pentecoſtalem*, quæ in principio Evangelii Chriſtus exprimit.

I. *Sincera Chriſti adamatio.* Nam ſi quis diligit me, inquit Salvator, ad eum veniemus. Qui igitur Spiritum S. accipere deſiderat, Chriſtum diligat neceſſe eſt, à quo mittitur. Hæc eſt nota characteriſtica omnium diſcipulorum ejus, Joh. 13. v. 35. ipſe prius dilexit nos, 1. Joh. 4. v. 19. & cum adhuc peccatores eſſemus pro nobis mortuus eſt, Rom. 5. v. 8. Quidni igitur flamma charitatis Chriſti ſcintillam aliquam reciproci amoris in nobis excitet? Certè Chriſtum diligere plus eſt quàm omnia ſcire, Eph. 3. v. 19. qui verò ipſum non diligit, anathema ſit, 1. Cor. 16. v. 22.

Diligendus autem eſt I. *Cordialiter*, ut nihil ipſi præferamus in toto mundo, qui enim plus amat patrem & matrem, quàm me, inquit Chriſtus, me non eſt dignus, Luc. 14. verſ. 26. II. *Totaliter*, ut non tantùm Chriſtum, ſed & membra ipſius, id eſt, proximum amemus. Si quis enim dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt, 1. Joh. 4. v. 20. III. Finaliter, non enim ſufficit in proſperis incepiſſe, ſed pergendum eſt in adverſis, & ad finem perſeverandum, ſi ſalutem æternam conſequi velimus, Matth. 10. v. 22.

II. *Verbi divini obſervatio*, verſ. 23. 24. ſi quis enim diligit me, inquit Chriſtus, ſermonem meum ſervabit. Hæc duo arctiſſimè cohærent, & nullo modo divelli poſſunt. Qui enim habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me, inquit Chriſtus Johan. 14. v. 21. & Johannes 1. cap. 5. verſ. 3. Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus.

Servamus autem ſermonem Chriſti

1. *Audiendo*, Joh. 10. v. 27. c. 8. v. 47. ex auditu enim fides, Rom. 10. v. 17.

2. *Retinendo.* Auditus exterior non ſufficit, ſed requiritur inſuper pia meditatio & conſervatio, μήποτε παραῤῥυῶμεν, ne effluat iterum quod in concione audivimus Ebr. 2. v. 1.

3. *Faciendo*, ſi praxin conjungamus. Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores juſtificabuntur, Rom. 2. v. 13. Jac. 1. v. 22.

Probet igitur ſe quilibet ex hiſce regulis, num Chriſtum diligat. Omnes quidem videri volunt, ſed ſi rem ipſam ſpectes, nuda plerumque oris eſt profeſſio, æs ſonans, cymbalum tinniens, 1. Corinth. 13. v. 1. hypocritica nominis divini imaginatio, Matthæi 7. v. 21.

De Secundo.

Reſtat ut *de beneficiis Spir. Sancti* etiam aliquid dicamus, quæ Chriſtus ſubnectit, ut charitatem hanc & obſervationem ſermonis ſui nobis eò citius perſuadeat. Sunt ea

1. Æter-

I. *Æterni Patris redamatio.* Nam Pater meus diligit eum, inquit Chriſtus. Hoc non eo ſenſu accipiendum eſt, quaſi noſtra dilectione dilectionem Dei antevertere & promereri poſſimus, diverſum enim teſtatur Scriptura, 1. Johan. 4. v. 10. ſed à poſteriori, id eſt, à conſequenti effectu deſcribit Chriſtus eos, qui templum ſunt Spiritus Sancti & ad diſcipulos ſuos pertinent. Hos diligit Pater propter fidem, quam oculi ejus vel ſolam reſpiciunt, Jer. 5. v. 3.

Hoc certè maximum eſt beneficium, ſi quis clementem Principem habet, quantoperè gloriatur? Sed clementia illa ſæpe in horas mutari ſolet, & non immeritò cum inſtabili Aprilis tempeſtate comparatur, exemplo eſt Haman, Eſth. 5. v. 11. 7. v. 10. Deus autem non mutatur, Mal. 3. v. 6. Jac. 1. verſ. 17. ſed quemadmodum ſuos dilexit à principio, ita ad finem usque diligit, Joh. 13. v. 1. meritò igitur gloriamur de clementia ejus, qui eſt Rex Regum & Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15.

Diligit quidem omnes homines, Johan. 3. v. 16. etiam impios, Rom. 4. v. 6. quos temporaliter conſervat, Ebr. 1. verſ. 3. & ſalvos fieri cupit, 1. Tim. 2. verſ. 4. 2. Pet. 3. v. 9. ſed electos diligit in dilecto, Eph. 1. verſ. 6. tanquam animam ſuam, & tanquam pupillam oculi ſui, Zach. 2. v. 8. Ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, inquit omnipotens Dominus 2. Cor. 6. v. 17. 18. parcam vobis ſicut Pater parcit filio ſuo, Mal. 3. v. 17. imò ſi vel mater oblita fuerit filii, ego tamen non obliviſcar tui, Eſa. 49. verſ. 15. ſub hanc dilectionis divinæ umbram te confer in omnibus periculis, & tutus latebis, exemplo Davidis Pſ. 3. v. 7. 27. v. 1.

II. *Gratioſa Trinitatis inhabitatio.* Nam ad eum veniemus, inquit Chriſtus, & manſionem faciemus. Magna beneficia Deus præſtiterat Iſraelitis, ſed maximum eorum erat, quod Deus habitabat in ipſorum medio, Deut. 7. v. 8. ſic inter omnia beneficia, quibus nos quaſi cumulat Pater cœleſtis, præcipuum eſt gratioſa Dei inhabitatio, unde corpora fidelium membra Chriſti, & templa Dei vivi appellantur, 1. Cor. 6. v. 15. 2. Cor. 6. v. 16.

O gaude fidelis anima & gloriare. Omnia potes, quia Deum omnia potentem in corde habitantem complecteris. Ecce ad te venit Deus Pater, & in filium te adoptat. Ad te venit Deus filius, & meritum ſuum tibi imputat. Ad te venit Deus Spiritus Sanctus, & gratiam hanc in corde tuo obſignat. Deus olim in Sion ignem, in Jeruſalem caminum ſuum habuit, Eſa. 31. v. ult. Tu illa Sion & Jeruſalem es, in te habitat Sacroſancta Trinitas, in te ignem & caminum habet. O igitur exclama cum Davide Pſ. 8. v. 5. quid eſt homo, quod memor es ejus, & filius hominis, quod viſitas illum? Certè hoſpites illi ſacro ſancti non veniunt vacuis manibus, ſed omnia bona temporalia & æterna ſecum afferunt, Sap. 7. verſ. 11. Deus eſt ſummum bonum, qui ergo Deum in ſe habitantem habet, is omne bonum habet, 2. Cor. 6. v. 10. Huc pertinet exemplum Obed-Edom, cujus tota domus propter arcam fœderis benedicta eſt, 2. Samuel. 6. verſ. 12.

III. *Vivifica conſolatio*, verſ. 25. 26. unde Paracletus appellatur. Paracletus autem propriè advocatum notat, *qui pupillis, orphanis, aliisque litigantibus reis & accuſatis* aſſiſtit, eorum cauſam agit & patrocinium ſuſcipit coram judice. Talis Advocatus eſt Spiritus Sanctus.

Nos

Digitized by Google

Nos pupilli ſumus & minorennes in rebus ſpiritualibus, 2.Corinth.3. v.5.6. ſed Spiritus Sanct. illuminat oculos cordis noſtri, ut ſciamus quæ ſit ſpes vocationis noſtræ, Eph. 1. v.18. imò verbum Dei ponit in ore noſtro, Luc.12. v.12. ut clamemus Abba Pater, Roman.8. v.15.

Nos ſumus orphani & derelicti, qui per peccatum gratiam Patris cœleſtis, tanquam mariti noſtri, Eſa. 54.verſ.5. & hæreditatem ſalutis amiſimus, ſiquidem delicta nos à Deo ſeparant, Eſa. 59.v.2. ſed Spiritus S. cauſam noſtram ſuſcipit juxta promiſſionem Chriſti, Joh.14.v.16.18.

Nos ſumus naturâ rudes & inexperti, nec percipimus ea, quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor.2.v.14. ſed intellectum habemus tenebris obſcuratum, Eph. 4.v.18. & ſenſus non exercitatos in cauſis divinis, Ebr.5.verſ.14. Spiritus Sanctus eſt noſter Paracletus, qui infirmitatem noſtram adjuvat, & ſi quid oremus ſicut oportet neſcimus, ipſe ὑπερεντυγχάνει pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Rom.8.v.26.

Nos ſumus naturâ rei, coram Deo accuſat nos Satanas, Apoc,12.verſ.10. coram mundo accuſant nos quandoque mali homines, ibi ſumus nocentes, Exod.34.verſ.7. hîc verò quandoque innocentes. Sed animoſi eſtote, paracletum habemus, qui nos defendet

1. *In judicio mundi externo*, quod Chriſtiani non facilè effugiunt. Unum huc trahit calumnia, ut Joſephus, Naboth & alii experti ſunt. Alterum tyrannis & violentia, quod accidit beatis martyribus. Sed Spiritus Sancti advocatio utrobiq; præſentanea eſt. Contra calumniam duos porrigit clypeos, quibus nos tueri poſſumus: Innocentiam & patientiam. Nempe

——— *Hic murus aheneus eſto*,
Nil conſcire ſibi nullâ palleſcere culpâ.

Felix quem non pungit conſcientia, felix quem in adverſis ſolatur patientia. Contra violentiam munit nos interno ſuo teſtimonio, ut nil nos ſeparari patiamur à charitate Chriſti, Rom. 8.v.35.

Senſit hoc Spiritus S. patrocinium beatus Stephanus, de quo Poëta canit:

Ibat ovans animis, & ſpe ſua damna levabat.

Laurentius in craticula, Marcus Arethuſa in ſporta ſuſpenſus, & alii.

2. *In judicio conſcientiæ interno.* Hoc eſt tribunal domeſticum, quod Deus in corde noſtro erigit, ubi cogitationes ſe invicem accuſant, Rom. 2. v.15. & cor noſtrum nos condemnat, 1. Johan.3.verſ.20. ſed ecce præſtò eſt Spiritus S. Advocatus noſter, & fidele nobis præſtat patrocinium, major enim eſt corde noſtro, 1. Johan.3. verſ. 20. & ſicut eſt Spiritus gratiæ, Zach. 12.v.10. ita certos nos reddit de gratia Dei, & συμμαρτυρεῖ, teſtimonium ſimul reddit cum noſtro Spiritu, quod ſimus filii Dei, Rom. 8.v.16.

3. *Im judicio cœli ſupeno*, coram quo ſiſtitur homo in agone mortis, quando aures obſerantur, ut externam conſolationem non amplius admittant: & ſiſtetur aliquando in extremo die, ubi cœlum & terra fugient à conſpectu Domini, qui ſedebit ſuper thronum judiciarium, Apoc.20.v.11. & quilibet opus ſuum portare cogetur, Gal. 6. v.5. ſed Spiritus S. etiam tunc erit noſter conſolator, & conſolidabit corda noſtra interno ſuo teſtimonio, ut certi ſimus, nihil condemnationis eſſe in his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, Rom.8.v.1.

IV. *Neceſſaria informatio.* Nam docebit vos omnia, inquit Chriſtus, & ſuggeret

Digitized by Google

vobis omnia. Nos miſeri homines vivimus hîc in terra oblivionis, ex parte ſcimus & ex parte intelligimus. Quilibet fateri cogitur cum Jeremia, A, a, a, neſcio loqui, Jer. 1. verſ. 6. pueri enim ſumus in myſteriis divinis, maxima pars eorum quæ ſcimus, eſt minima pars eorum quæ ignoramus. Opus igitur nobis eſt Doctore Spiritu S. qui nos doceat omnia, & ſuggerat nobis, quid oporteat dicere, Luc. 12. verſ. 12. confer etiam 1. Joh. 2. v. 27.

Ipſe eſt Doctor Sapientiæ, Eſa. 11. verſ. 2. ſcrutatur enim ſecreta Dei, 1. Cor. 2. verſ. 10. afflat cytharœdum puerum & pſalmiſtam facit, 1. Sam. 16. v. 16. afflat paſtorem armentarium ſycomoras vellicantem & Prophetam facit, Amos. 7. v. 14. afflat piſcatores & facit prædicatores, Joh. 20. v. 22. afflat perſecutorem & facit eximium gentium Doctorem, Act. 9. v. 1. ſeqq.

Ipſe eſt Doctor eloquentiæ, qui ςόμα καὶ σοφίαν, nobis concedit, Luc. 2. v. 11. à quo γνῶσις ἀληθείας, 2. Tim. 3. v. 7. & fiducia verbum loquendi proficiſcitur, Act. 4. v. 29. hic eſt duplex Spiritus Eliæ, quo omnes fideles Eliſæos inſtructos eſſe convenit, ſi in curſu pietatis ſtrenuè decurrere velint.

Eſt aliquis *Concionator*, ab hoc Doctore petat os & ſapientiam, ut illum reddat διδακτικὸν, qui exhortari poſſit per ſanam doctrinam & contradicentes convincere, 2. Tim. 2. v. 25.

Eſt aliquis *Magiſtratus politicus*, ab hoc Doctore petat os & ſapientiam, ut ſciat quid juſtum ſit coram Deo & juſtum judicium poſſit adminiſtrare, quo Spiritu Salomo Rex inſtructus fuit, 1. Reg. 3. v. 9.

Eſt aliquis *Pater aut Materfamiliæ*, ab hoc Doctore petat os & ſapientiam, ut noverit familiam ſuam rectè gubernare, & liberos in timore Domini educare, Eph. 6. verſ. 4.

Summa quilibet in quocunque ordine & ſtatu conſtitutus ſit, petat ab hoc Doctore os & ſapientiam. Sapientiam ut Deum rectè agnoſcat, & os, ut dignè eum laudare & celebrare valeat. Hæ ſunt duæ alæ quibus ad cœlum evolare poſſumus, Johan. 17. v. 3.

V. *Conſcientiæ pacificatio*, de qua Chriſtus in Evangelio: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Ubi illuſtri diſcrimine pacem à ſe partam à pace mundi ſegregat. Hæc enim mixta eſt cum dolore, illa ſincera & perfecta: hæc evanida & caduca, illa conſtans & perpetua: hæc exhilarat tantùm in rebus ſecundis, illa in quocunque fortunæ ſtatu: Inde vocatur pax Chriſti, quam Spiritus S. in cordibus piorum ſub mediis calamitatum procellis excitat & conſervat tanquam fructum ſuum proprium & genuinum, Gal. 5. v. 22.

Ex hac conſcientiæ pacificatione reſultat

1. *Spirituale gaudium*, ne turbetur cor veſtrum, ſed propter beneficia Chriſti, quæ nobis abitu ſuo ad Patrem acquiſivit, gaudeat & exultet, quod Chriſtus ab Apoſtolis ſuis requirit, verſ. 27. 28. Hoc gaudium accendit Spiritus S. inde oleum lætitiæ appellatur, Pſ. 45. v. 8. & fœcundæ pluviæ conparatur, quia rigat quod eſt aridum, Pſ. 68. v. 10. perfecta dilectio expellit timorem, 1. Joh. 4. v. 18. jam verò charitas accenditur in cordibus noſtris per Spiritum S. Rom. 5. v. 5. Ergò etiam per Spiritum S. timor ſervilis expellitur, Rom. 8. v. 15.

2. *Mortis deſiderium*, quò pertinent verba Chriſti: Poſt hac non multa loquar vobis-

Digitized by Google

vobiſcum, venit enim princeps mundi, & non habet in me quicquam. Quibus verbis ſpontaneam ſuam obedientiam Chriſtus exprimit, quam Patri ſuo præſtitit ad mortem usque crucis. Neque enim ideò mortuus eſt, quod Satan aliquid in ipſum juris haberet, qui mortis habet potentiam in eos tantùm, qui peccarunt, ſiquidem ſtipendium peccati mors eſt, Rom 6. verſ.23. Quod igitur Chriſtus moritur, qui peccatum non fecit, fit illud propter mandatum Patris, idque non ſui ſed noſtri causâ. Alioquin omni ſuâ vi & potentiâ Diabolus per omnes regni ſui ſatellites & operarum adminiſtros ne minimum quidem ipſi nocere potuiſſet. Monet ſimul hoc ſermone, ut & nos morti noſtræ hilari mente obviam eamus, certò perſuaſi, Chriſtum ſuo ad Patrem diſceſſu purgaſſe aërem, in quo Princeps hujus mundi ſuam habet regiam. Sed tanta magnitudo animi tempore mortis non eſt in noſtris viribus, naturale enim eſt mortem formidare quæ hoſtis ultimus dicitur, 1. Cor. 15. verſ. 26. Spiritus Sanctus eſt, qui morientibus aſtat, ne fides fluctuet, aut ſpes deficiat, ſed mens, animus, oculi, per mortis perſpectivam perſpiciendo videant in morte vitam, & cum Simeone ſuſpirent: Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace, &c. Luc. 2. verſ.29.

3. *Humile obſequium*, quo Chriſtus reſpicit, quando ait ſub finem Evangelii: Ego diligo Patrem, & prout mandavit mihi, ita facio.

Egregius certè Aphoriſmus, quem aureis literis cordi noſtro inſcribere debemus. Quemadmodum enim omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtitutio: Ita hîc quoque facem nobis prætulit, ut in iis, quæ ad cultum divinum pertinent, nihil coactè, vel pœnæ metu, vel etiam ſpe prœmii faciamus, ſed tantùm, quia Pater mandavit, cui ut obſequentes filii morem gerere debemus. Spontaneus enim cultus Deo eſt acceptiſſimus, Pſ.110.v.3. Jer.30.v.21.

Sed hos ſpontaneos motus in rebus divinis Spiritus S. tantummodo in nobis excitat. Natura enim noſtra ſerva peccati eſt, & nil niſi Deo rebellare poteſt. Quando autem purgatur à Sp. S. per verbum, & homo regeneratur ex aqua & Spiritu, tum demum excitatur in nobis ardor ille & deſiderium faciendi ex animo, quæ Deo grata & officio Chriſtiani congrua ſunt, qui enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei, Rom. 8.v.14.

Chriſtus Jeſus hæc Spiritus S. beneficia ex gratia nobis conferat, augeat & conſervet per & propter aſcenſionem ſuam glorioſam, benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Feria II. Pentecoſtes.

Evangelium Joh. 3. verſ. 16.21.

ISraëlitæ cum urbem Moabitarum obſidione cinxiſſent, resque obſeſſorum ad extrema veniſſent, Rex periculo, in quo cum civibus verſabatur animadverſo filium regni hæredem in muro aſpicientibus Iſraëlitas magnâ animi conſtantia immolat. Qua abominatione perculſi Iſraelitæ obſidionem ſolverunt, metuentes, ne quoque

DEUS propterea iraſcatur, 2. Regum, 3. verſ. 27.

Miramur ethnici hujus Regis *ἀστοργίαν*, quoties illam hiſtoriam legimus. Quantò magis admirari decet, quod Rex Regum & Dominus Dominantium filio ſuo non pepercit, ſed ut magna & vaſta urbs, mundus inquam, quæ jam longo tempore à Diabolis obſeſſa erat, liberaretur, in petra Calvariæ immolavit. Quô facto perculſus hoſtis infernalis, in fugam ſe conjecit, & ex hujus amoris vehementia perſpexit, quanti homo æſtimetur in oculis Dei. Si enim filium dedit pro nobis, quomodo non etiam cum illo dat et omnia, Rom. 8. v. 32.

Heri audivimus ex ordinaria Epiſtola, quod Apoſtoli magnalia Dei variis linguis in die Pentecoſtes prædicaverint, Act. 2. v. 8. 11. Si quis ſummam iſtius concionis Apoſtolicæ, quæ tota non extat, ſcire cupit, illius voto ſatisfieri poteſt per hodiernum Evangelium, quo Chriſtus concionem illam quaſi in compendium contraxit, & brevi aphoriſmo totum ſalutis noſtræ negotium complexus eſt, unde Lutherus parva Biblia & cordiale ſuum optimum appellare conſuevit,

Nos partiemur Textum in duo membra principaliora, & videbimus

I. Salutis fundamentum.

II. Salutis impedimentum.

J.J.

EXEGESIS.

SIcut in V. T. eminet Protevangelium de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis, quod habetur Gen. 3. v. 15. ſic in N. T. eminet Evangelica Chriſti concio, quo proponitur Joh. 3. v. 16. Fundamentum enim ſalutis noſtræ his verbis continetur, quod triplici fulcro innititur.

1. Eſt gratuita Patris dilectio. Hæc eſt fons ſalutis noſtræ, ex quo reliqua beneficia omnia promanant. Vide Rom. 5. v. 8. 1. Joh. 4. v. 9. Eph. 2. v. 4. &c. Deſcribitur autem hic

1. *Secundùm altitudinem*, per voculam ſic. Sic, inquit Chriſtus, dilexit Deus mundum.

Eſt hæc 1. *Vox excitantis.* Corda noſtra plerunque adhærent terrenis, & ſi ad votum nobis omnia ſuccedunt, toti gaudio & lætitia perfundimur: At ſummo hoc beneficio, quod Deus mundum tantopere dilexit, ut Filium ſuum dederit, hôc inquam parùm aut planè nihil afficimur, cum tamen propter hoc donum reliqua omnia dentur, & ſine hoc dono reliqua omnia nihil proſint. Hoc Chriſto probè notum eſt, ideò per voculam ſic, vult nos excitare ad penitiorem dilectionis divinæ conſiderationem, & gratiarum actionem, quæ Deo Patri propter hanc liberalitatem & munificentiam ſingulariter mirabilem & mirabiliter ſingularem, debetur. Nam opera Domini revelare & confiteri honorificum eſt, inquit Raphael Archangelus Tob. 12. v. 7.

2. *Vox exaggerantis.* Quis eſt Deus? perfectus in ſemetipſo, unde Elſchadai dicitur Gen. 17. v. 1. cui nihil decedit, ſi creaturis ab ipſo averſis, malè ſit, & nihil accedit, ſi creaturis ad ipſum converſis bene ſit. Quod ergò Deus qui in ſe ipſo beatus & perfectus eſt, mundum dilexit, id exuberantis bonitatis indicium eſt, ut cum Davide meritò exclamare poſſimus: Quid eſt homo? &c. Pſal. 8. v. 5.

3. *Vox conſolantis.* Non eſt hæc frigida & tenuis quædam dilectio, ſed talis & tanta,

quâ

quâ omnes homines in iparticipationē beatitudinis ſuæ receptos cupit, undè σπλάγχνα ἐλέους, Luc. 1. v. 78. & πλοῦτος ὑπερβάλλων τῆς χάριτος, Eph. 2. v. 7. appellatur. Imò tanta eſt quantus ipſe eſt, Sir. 2. v. ult.

Hinc efficax emergit *conſolatio*, ut quilibet inferre poſſit: Si Deus mundum dilexit, me quoque diliget, qui ſum pars mundi. Opponit Diabolus: Deum offendiſti, ſic & ſic peccaſti, ſic & ſic punieris: repone ipſi hoc Evangeliū, & in fide ſincera repete: ſic & ſic Deus dilexit mundum, ſic & ſic me quoque dilexit. Hæc eſt fiducialis applicatio, quæ ſibi Chriſtum & omnia ipſius merita appropriat, & cum Paulo dicere poteſt: Chriſtus dilexit me, & ſeipſum tradidit pro me, Gal. 2. v. 20.

2. *Secundùm magnitudinem.* Verè enim & ſincerè abſque ullo fuco dilexit mundum, & ad obſignandum ſuum amorem dedit nobis non mundi theſauros, aut alia temporalia bona, ſed

1. *Filium.* Hoc tantum eſt beneficium, ac ſi maximi cujuſdam Principis ſervus magnus febribus æſtuaret, nullumque aliud ad ſanitatem recuperandam ſupereſſet remedium, niſi balneum ex ſanguine filii Principis. Pater tunc ſervi ſaluti conſulens filium totius regni unicum hæredem traderet, venas incideret, ſanguinem eliceret, adeoque vitâ privaret. Talis fuit erga nos æterni Patris dilectio, qua ut ſervos priſtinâ libertate & ſanitate donaret. Filium tradidit, ut venis ejus ſpinarum & clavorum aculeis inciſis ſanguinem, quo peccatores abſtergerentur, profunderet. O caritatem ſine modo! ô dilectionem ſine exemplo!

2. *Filium proprium*, non alienum. Deprædicatur vulgò Mauritii Imperatoris magnanimitas, qui cum ante ſuos oculos omnis maſcula proles à Phoca miſerè occideretur, in hæc verba prorupit: O juſtus es Domine, & juſtum eſt judicium tuum. Cumque liberorum nutrix infante Imperatoris reſervato, puerum ipſa ſuum lactentem ad cædem protuliſſet, Mauritius aſtans, ſuum requiſivit & adferri juſſit, iniquum eſſe dicens, in alium animadverti, cum à ſe Deus pœnam expeteret. Sed majoris longè admirationis eſt, quod Deus non alienum ſed proprium ſuum Filium pro nobis tradidit, qui eſt ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ ejus, Ebr. 1. v. 3.

3. *Filium unigenitum.* Proles unica, proles dilectiſſima, unde Tobiam filium unicum Anna mater lumen oculorum, baculum ſenectutis, ſolatium vitæ, &c. nominabat, Tob. 10. v. 4. 5.

Si quis haberet filios 70. ut Gideon, Jud. 8. verſ. 30. aut 80. ut Scylurus Rex Scytharum, aut triginta, ut Babo Comes Habsburgenſis, vix tamen unum ex illis cederet aut donaret. Sed Deus Pater cœleſtis dat nobis Filium ſuum & quidem unigenitum, & ita commendat amorem ſuum Rom. 5. v. 8.

Vix adduci poterat Jacob Patriarcha, ut ad redemptionem filii ſui Simeonis minimum natu Benjamin ad modicum ſaltem tempus à paterna domo in Ægyptum proficiſci pateretur, quamvis adhuc ſatis filiorum haberet, Geneſ. 43. verſ. 6. Sed Pater cœleſtis unigenitum ſuum nobis dedit, ut captivos liberaret & educeret per ſanguinem Teſtamenti ſui de lacu in quo non eſt aqua, Zach. 9. verſ. 11. non enim ſimpliciter dedit, ut haberemus Doctorem, conterraneum & amicum, cui anguſtias animi noſtri committeremus, ſed pro nobis dedit, ut

ut haberemus ἀντίψυχον, qui animam ſuam poneret pro nobis. Huc pertinent dicta 2. Cor. 8. v. 9. Tit. 2. v. 14. Ebr. 12. verſ. 2. O charitatem ſine modo! ô dilectionem ſine exemplo.

Agnoſcamus hoc grato pectore. Artaxerxes Perſarum Rex Themiſtoclem exulem magnis muneribus affecit, & inter cætera tres urbes ei donavit. Magneſiam, quæ panem, Lamſacum, quæ vinum, & Micentam, quæ obſonia præberet, quam etiam fortunæ providentiam miratus Themiſtocles filiis ſuis dixiſſe fertur: Perieramus, niſi periiſſemus! Major eſt Dei liberalitas, qui Filium ſuum & cum illo omnia nobis donavit, Rom. 8. v. 32.

Habemus in illo *mediatorem faventiſſimum*, 1. Tim. 2. v. 5. Eph. 2. v. 6. Ebr. 9. v. 15.

Habemus *ſponſorem fideliſſimum*, Ebr. 7. v. 22. Pſ. 69. v. 5.

Habemus *redemptorem potentiſſimum*, qui nos emit pretio magno, 1. Cor. 6. v. 20. 1. Pet. 1. v. 18. 19. Eb. 9. v. 12.

Habemus *defenſorem fortiſſimum*, qui nos in tergo portat ut aquila pullos ſuos Deut. 32. verſ. 11. & ab omni malo cuſtodit, Pſal. 121. v. 7.

O igitur cum Davide exuſcita cor tuum fidelis anima, & dic ex Pſ. 57. v. 8. Paratum eſt cor meum Deus, paratum eſt cor meum, cantabo & pſallam in gloria mea. Exurge pſalterium & cythara, exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine & pſallam tibi in nationibus, quia magna eſt ſuper cœlis miſericordia tua, & uſque ad nubes veritas tua. Hoc placebit Deo ſuper juvencum cornua producentem & ungulas, Pſ. 69. verſ. 32.

3. *Secundùm latitudinem.* Nam mundum dilexit, inquit Chriſtus, id eſt, omnes & ſingulos homines. Nulla enim hic exceptio, & quem exciperet Deus, cum omnes pares invenerit? Rom. 3. v. 23. Imò ſi non omnes dilexit, aliquos odio habuiſſe dicendus erit? jam verò Deus nil odit eorum quæ fecit, Sap. 11. v. 25. proinde nihil valet gloſſa Calvinianorum, quando per mundum ſolos electos notari diſputant. Quid enim Chriſtus per mundum velit intelligi, in ſequentibus explicat, ubi mundum hunc, quem Pater cœleſtis dilexit, in credentes & non credentes diſpeſcit.

O dilectio! ô dignatio! Merebatur noſtra impietas damnari, ſed amari fecit Dei pietas. Dilexit mundum ut faceret mundum, dilexit fœdum ut faceret pulcrum, dilexit impium ut faceret pium, dilexit ſceleratum ut faceret beatum. Captivum dilexit ut liberaret, perditum dilexit ut reficeret, ægrum ut ſanaret, mortuum ut ad vitam reduceret. Mirum alicui videatur, quod Moſes Æthyopiſſam, Ahaſverus Eſtheram ancillam, Lybuſſa Regina Bohemiæ Primiſlaum ruſticum dilexerunt, & matrimonio ſibi junxerunt, ſed magis tamen mirum eſt illud, quod Deus mundum dilexit, Creator creaturam, Dominus ſervos, beatus maledictos, lux tenebras, Spiritus carnem, vita mortem.

Mundus eſt ſceleratorum habitaculum. Omnes declinarunt & inutiles facti ſunt, Pſ. 14. v. 3. omnes peccaverunt, & deſtituuntur gloriâ Dei, Rom. 3. v. 23. Omnes concluſi ſunt ſub peccatum, Rom. 11. v. 32. non eſt qui faciat bonum, ne unus quidem, Pſal. 14. verſ. 3. etiam inter ſanctos Dei nullus eſt ſine macula, Job. 15. verſ. 15. & ecce Deus tales diligit.

Mundus eſt vitiorum lerna & receptaculum, totus quippe in maligno poſitus eſt, 1. Johan.

Digitized by Google

1. Johan. 5. verſ.19. nihil eſt in eo niſi concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, 1. Johan. 2. v. 16. Olim tres gentes malè audiebant, Cappadoces, Cretenſes & Cilices, quibus propterea tria κάππα κάκιςα, tria Cappa peſſima tributa ſunt, ut ipſorum mores peſſimi perſtringerentur. Hodie totus mundus talis eſt. Paſſim enim regnant tria Cappa Peſſima, & quocunque te vertas κάκιςα, κάκιςα, κάκιςα in gradu ſuperlativo omnia teperies, Eſa. 3. v. 9. Jer. 11. v. 15.

Mundus eſt pietatis obſtaculum, & idolo ſuo tricipiti multos ſeducit ad injuſtitiam, Rom. 16. v. 18. Nam colloquia & exempla mala corrumpunt bonos mores, 1. Cor. 15. v. 33. Sap. 4. v. 12. Frequens ibi & valde frequens eſt cor Caini, lingua Simei, labium Doegi, ſalutatio Jobi, oſculum Judæ, blandum venenum, ſagitta occulta, mellitus gladius. Si Abel es, non deerit tibi Cain, ſi Jacob, non deerit tibi Eſau, ſi David, non deerit tibi Saul. Ecce talis mundus eſt quem Deus diligit.

Noſtrum eſt hanc dilectionem Dei admirari & magnifacere. Prodeſt enim

1. *Contra tentationem indignitatis.* Cogitas vitam tuam & nihil niſi mundanum invenis. Adulter es ſicut David, idololatra es ſicut Manaſſe, perſecutor es ſicut Paulus, impoſtor es ſicut Zachæus, talis qui præſenti ſeculo ſe conformavit, pice mundi ſe contaminavit, vitiorum laqueis ſe implicavit. Ne deſperes, et propterea dilectione Dei te indignum exiſtimes. Dilexit Deus mundum, et ita te quoque qui in mundo et de mundo es, dilexit. Major igitur eſt Dei dilectio, quam tua defectio. Qualia enim & quanta ſint tua peccata, ſunt tamen in mundo, ſunt tamen in numero. Dei autem gratia & dilectio eſt ſupra mundum, eſt ſine numero, Sir. 18. v. 4.

2. *Contra tentationem particularitatis,* quando Satanas in cordibus piorum tales movet cogitationes: Unde ſcis, ad te quoque pertinere beneficia Chriſti? multa hominum millia damnantur, quos Deus itidem dilexit, & Filium ſuum illis dedit. Scriptum eſt, multi vocati, pauci electi. Sed revocate vobis, dilecti, hoc dictum Chriſti: Sic Deus dilexit mundum: Si enim mundum dilexit: Ergò etiam me & te dilexit. Ergò non vult hunc aut illum tantum reliquis excluſis ſalvari. Ergò non diſcrevit quoſdam abſolutè ad ſalutem, & reliquos propter peccatum æternæ damnationi deſtinavit, ut Calviniani ſomniant contra expreſſam Scripturam, Ezech. 33. v. 11. 1. Tim. 2. v. 4. 2. Pet. 3. verſ. 9. (1. Tim. 4. v. 10. 1. Joh. 2. v. 1. 2. Rom. 14. v. 15. 1. Corinth. 8. v. 11. 2. Pet. 2. v. 1.)

Has univerſales Evangelii promiſſiones ad te etiam pertinere, noſti ex eo, quod per baptiſmum in foedus Dei receptus es, quod in abſolutione annunciatur tibi peccatorum remiſſio, quod in S. Cœna pignus ſalutis corpus Chriſti pro te in mortem traditum, & ſanguinem Chriſti pro te in ara crucis effuſum accepiſti, & quæ plura ſunt ejuſmodi κριτήρια, per quæ Spiritus Sanctus teſtimonium dat ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei, Rom. 8. v. 16.

II. *Meriti Chriſti perfectio*, de qua Salvator: Non miſit Deus Filium, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per eum. Verba hæc de adventu Chriſti primo intelligenda ſunt, quo non venit ut Judex, ſed ut Salvator & Redemptor, qui morte ſuâ vitam & redemptionem mundo impetraret. Quamvis enim Deus nos gratis ſalvat, & abſque noſtro merito, tamen non ſalvat

nos

nos abſque merito Chriſti, hinc Scriptura utrumque conjungit Rom. 5.verſ.8.2.Cor. 5.verſ.21. & alibi paſſim. Nam non tantùm miſericors eſt, ſed etiam ignis conſumens. Proinde nos in gratiam recepit non abſolutè, ſed per & propter Chriſti meritum, quod totam ipſius obedientiam, tam activam, quâ legem noſtri loco perfectiſſimè implevit, quàm paſſivam, quâ paſſione & morte ſuâ juſtitiam nobis & ſalutem æternam promeruit, Matth. 5. verſ. 17. Gal. 3. verſ. 13. c. 4. verſ. 4. complectitur, unde & Jehova juſtitia noſtra dicitur, Jerem.23.v.6. quia factus eſt nobis à Patre juſtitia & ſanctificatio & redemptio, 1.Cor.1.v.30. ſuper ipſum poſuit Deus iniquitates omnium noſtrum, Eſa.53.verſ.6. ipſe dedit ſemetipſum pro omnibus, 1. Tim. 2. verſ. 6. mortuus pro omnibus, 2. Cor.5.verſ.15. etiam pro reprobis, Rom.14.v.15. & his qui pereunt, 2.Pet.2.v.1.

Hoc fundamentum ſalutis à nullo vel Tyranno, vel hæretico, imò nec ab ipſo Diabolo convelli poteſt. Qui enim vitam æternam nobis acquiſivit, non eſt nudus homo, ſed unigenitus Dei Filius. Nudus homo ne unicam quidem ſcintillam gehennæ extinguere potuiſſet: ſed quia Dux vitæ & Dominus gloriæ pro nobis mortuus eſt, mors ejus meritò tanti æſtimatur, ut hâc ipſâ vitam & ſalutem nobis reparatam eſſe, certò confidere poſſimus juxta dicta Scripturæ, Act.20.v.28.1.Joh.1.v.7.Ebr.9.v.12.

III. *Fiducialis apprehenſio.* Nihil enim prodeſſet nobis Chriſti meritum, niſi apprehenderetur per fidem: Idcircò Chriſtus addit: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Fides igitur in aſſequenda ſalute omnem facit paginam.

Per fidem certi ſunt credentes de gratiâ electionis. Nam Deus nos elegit in fide, 2. Theſſ. 2. verſ. 13. per fidem ſumus filii Dei, Johan. 1. verſ. 12. per fidem ſtamus in gratia, Rom. 11. v. 20. per fidem hæredes efficimur vitæ æternæ, Joh.3.v.36.

Certi ſunt credentes de gratia vocationis. Ubi enim fides, ibi Chriſti gratia. Vis igitur ſcire an apud Deum ſis in gratia, proba te ipſum, an veram fidem habeas. Si veram fidem habes, ſufficit. Ergò certò ſtatue, quod ſis in gratia. Diligit te Pater, regit te Chriſtus, inhabitat te Spiritus Sanctus. Sin minus, ad media fidei, accede, audi verbum, utere S. Cœnâ, peccata deplora obicem remove, & fides tibi certò dabitur. Nam ex auditu fides, Rom.10.v.17.

Certi ſunt credentes de gratia Salvationis. Ubi enim fides, ibi electio, ubi electio, ibi vocatio, ubi vocatio ibi ſalvatio. Hæc catena non rumpitur, modò ipſe non rumpas illam vel impietate vel diffidentia, fidei enim finis eſt ſalus animarum, 1.Pet.1.v.9.

Proſternitur igitur hîc juſtitia operum. Si enim opera faciunt aliquid ad ſalutem, faciunt vel mandata vel electitia. Non hæc, quia fruſtrà colitur Deus mandatis hominum, Matth.15.v.9. non illa, quia imperfecta & jam debita, Luc.17. verſ.10. ex debito enim non poteſt fieri meritum, Rom.11.v.6.

De Secundo.

POſitô ſalutis fundamento, quo unicè debemus inniti in articulo juſtificationis noſtræ coram Deo ſupereſt, ut videamus etiam *ſalutis impedimentum*, quod duplex in prælecta Evangelii pericope ſubjicitur.

I. *Chriſti rejectio*, quæ fit per incredulitatem, quæ radix & mater eſt omnium peccatorum. Unde Lutherus rectè dixit: Sola incre-

incredulitas damnat, non quod peccata cætera non mereantur æternam damnationem, ſed quia omnia cum incredulitate conjuncta ſunt, quæ meritum Chriſti reſpuit & contemnit. Hanc ob cauſam diſtinxit hic Chriſtus inter credentes & non credentes. Credentibus vitam æternam, non credentibus autem judicium & damnationem æternam adjudicat.

Errant igitur qui culpam tàm reprobationis quàm damnationis non hominum incredulitati, ſed mero & abſoluto Dei beneplacito aſſcribunt. Nam qui non credit, inquit Chriſtus, jam judicatus, id eſt, condemnatus eſt (1.) coram Deo, novit enim ille qui ſint ſui, 2. Tim. 2. v. 19. (2.) in verbo, quo judicium condemnationis incredulis jam nunc decretum eſt. (3.) in propria conſcientia, quæ futuræ pœnæ ſtimulos etiam in hac vita perſentiſcit. Ratio additur: quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei.

In deſerto Moſes erigebat ſerpentem æneum, quem omnes ſerpentum ignitorum morſibus infecti aſpicere poterant & debebant. Qui fecerunt, ſanati ſunt, qui verò non fecerunt, morſibus ignitis interierunt. Cujus erat culpa? Non Moſis: Is enim nil magis, quàm ut omnes eum aſpicerent, in votis habebat. Non etiam ſerpentis, is enim hoc fine erectus erat, ut omnes eum inſpicerent, ſed eorum duntaxat, qui erectum aſpicere nolebant, Num. 21. v. 6. Idem de Chriſto judicium eſto, Johan. 3. v. 14. manet igitur firmum illud axioma divinum: Ex te perditio tua Iſrael, ex me autem ſalus, Oſ. 13. v. 9.

II. *Tenebrarum dilectio.* Hoc enim eſt judicium, inquit porrò Chriſtus, ſive cauſa judicii, quod lux venit in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras quàm lucem. Senſus hic eſt: Homines poſt lapſum naturâ ſedent in tenebris, Eſa. 9. v. 2. Luc. 1. v. 79. imò ipſi ſunt tenebræ, Eph. 5. v. 8. Sed Deus ex immenſa miſericordiâ miſit Filium ſuum in mundum, qui eſt lux vera, Joh. 1. v. 9. ut homines à tenebris liberati ad lucem vitæ æternæ pervenirent, ſed malunt in tenebris ſedere, quàm lucem illam acceptare, quod certè mirum alicui videri poſſet. Nam oculis alioquin nil gratius eſt quàm lux, ut ex querela Tobiæ ſatis ſuperque apparet, Tob. 5. v. 12. Quando igitur homines in tenebris hærere pergunt, idem eſt, ac ſi alicui in tenebricoſo carcere concluſo dicatur, prodi in lucem, ecce carcerem tibi aperio: & ille reſponderet: Ego nolo. Sic agunt homines, qui tenebris tam errorum quàm peccatorum gaudent, & plus amant opera tenebrarum infructuoſa, quàm arma lucis, Eph. 5. v. 11. Rom. 13. v. 12. proinde non poſſunt beneficii illius participes fieri, quo Chriſtus nos ex poteſtate tenebrarum liberavit, Col. 1. v. 13. Sed præcipitabuntur tandem in tenebras exteriores & æternas, ubi fletus erit & ſtridor dentium. Matth. 8. v. 12. 22. v. 13. non enim nudus amor eſt, quem tenebriones iſti præ ſe ferunt, ſed teſte Chriſto ex hoc amore tenebrarum ſponte ſuâ ſequitur

1. *Malorum operum perpetratio.* Qui enim delectatur tenebris, facile etiam ad mala opera prolabitur, & contra propriæ conſcientiæ teſtimonium in iisdem ſecurè pergit. Concupiſcentia enim, quando concepit, parit peccatum, inquit Jacobus cap. 1. verſ. 15. Cavete igitur, ne indulgeatis concupiſcentiis veſtris, ſed mortificate illas primo ſtatim flore, & cogitationes

tiones bonas de Chriſto & ipſius Evangelio concipite. Facilè in papyrum albam litura atramenti cadit, at non ita facilè abraditur, quin aliqua macula relinquatur: Ita facilè cordi mala concupiſcentia ſubrepit, quia ad malum proclive eſt, Gen. 6. v. 5. Sed difficulter excutitur, quin aliquam ſui labem relinquat. Principiis igitur obſtandum erit, ut ſi vel maximè concupiſcentia aliqua nos ſollicitet, non tamen obtemperemus, ſed elidamus antequam vires acquirat, & in actum prorumpat.

Certè Herodes, ut ſe ſolio confirmaret, & à ſucceſſore tutus foret, omnes parvulos etiam lactentes à bimatu & infrà juſſit interfici, adeò ut ne proprio quidem filio pepercerit. Non approbo talem ſævitiam, quam Herodes in parvulos admiſit. Sed ſpiritualiter tamen & ἀλληγορικῶς idem tibi ſuadeo, ut ad conſcientiæ ſtatum & regnum conſervandum eandem in te ipſum ſævitiam exerceas, & pravas quæ tibi ſubrepunt concupiſcentias dum teneræ ſunt & lacte delectationis adhuc paſcuntur, interficias. Beatus qui hoc faciet, Pſ. 137. v. 9.

2. *Lucis declinatio.* Omnis enim qui mala agit, inquit Chriſtus, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui verò bona operatur, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo facta ſunt.

Habemus hîc diſcrimen inter opera à Spiritu Dei profecta, & ea opera, quæ à ſpiritu tenebrarum proveniunt. Spiritus S. cum ſit Spiritus lucis, in omnibus ſuis operibus lucem non fugit. Spiritus tenebrarum autem in ſuis factis ſupra modum timidus ac trepidus eſt, & lucem fugit, quod tum in vita hominum, tum in doctrina apparet. Qui ſcelus aliquod patravit, aut patrandum ſuſcipit, is latebras quærit, & factum ſuum tenebris occultare cupit, Job. 24. v. 15. Sir. 23. v. 26. Unde peccata ab Apoſtolo opera tenebrarum vocantur, Rom. 13. v. 12.

Sic in doctrina, qui dogma profitetur à veritate alienum, is quoquo modo id diſſimulat, & quibuscunque poteſt verborum integumentis animi ſui ſententiam involvit. Unde plerumque ſolent hæretici loqui cum Eccleſia, & tamen ſub iisdem verbis diverſiſſimam ſententiam occultant, quâ hypocriticâ ſimulatione non opus eſt ei, qui candidam veritatem profitetur, & quicquid facit, ad gloriam Dei & proximi ſalutem dirigit. Proinde Chriſtus ad Judæos ait: Palam locutus ſum mundo, &c. Joh. 18. verſ. 20.

Tu ſi vis eſſe templum Sp. Sancti, vide ut nihil agas contra conſcientiam, ſub ſpe, illud fore occultum coram hominibus, ſed ſemper cogita, Deum videre omnia quæ facis, nam oculi ejus ſunt lucidiores ſole, &c. Sir. 23. v. 28. Tunc opera tua in Deo facta ſunt, & largam aliquando per & propter **Chriſtum remunerationem conſequentur,** juxta Paulum 1. Tim. 4. v. 8. Hoc operetur in nobis benedicta Trinitas, Amen.

Feria III. Pentecoſtes.

Evangel. Joh. 10. v. 1. 11.

Rex Salomo ædificabat ſibi domum de ſaltu Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta latitudinis, & triginta altitudinis, tanto artificio & ornatu,

ut

ut miraculi inſtar deſcribatur in Scripturis, 1. Reg. 7. v. 1. ſeqq.

Rex noſter, chariſſimi, cujus typus fuit Salomo terrenus, eſt enim verus Salomo, id eſt, princeps pacis, Eſ. 9. v. 6. ædificavit ſibi etiam domum in his terris, Eccleſiam nimirum, quæ domus Dei appellatur 1. Tim. 3. v. 15. Architecti ſunt Apoſtoli & quivis legitimi eorundem ſucceſſores, 1. Cor. 3. v. 10. fundamentum Chriſtus, 1. Cor. 3. v. 11. Lapides Chriſtiani, 1. Pet. 2. v. 5. tectum præſidium Dei, Pſ. 46. v. 1. Egregia domus in oculis Dei, ſed abjecta coram mundo, Job. 12. v. 5. Unde ovili comparatur in prælecta pericope, cujus oſtium Chriſtus, oſtiarius Spiritus Sanctus, oves veri Chriſtiani, paſtores fidi Doctores & præcones verbi divini, lupi & latrones, Pſeudoprophetæ. Sicut igitur Feria I. egimus de Spir. S. ex Joh. 14. v. 23. ſeqq. Feria II. de verbo Spiritus & ſumma Evangelii ex Joh. 3. v. 16. ſeqq. Ita hodie Feria III. quæ clauſula eſt hujus Feſti, de miniſterio Spiritus agendum erit, quod ſub eleganti parabola nobis à Chriſto deſcribitur, unde παροιμία ſive proverbium vocatur, Joh. 10. v. 6.

Evangelium prælectum tres habet partes. Deſcribitur enim

I. *Spiritus Sancti officina.*
II. *Membra Eccleſiæ genuina.*
III. *Beneficia divina*, quæ veros diſcipulos Pentecoſtales comitari ſolent. J.J.

EXEGESIS.

Officina Spiritus S. eſt Eccleſia, quæ hic ovili comparatur. Ponderanda igitur venit

1. *Externa vilitas.* Ovile nihil ſplendoris habet, non altis turribus ornatur, non multis conclavibus diſtinguitur, non vallibus & muris, ſed exili ſepimento cingitur, ut pluviæ irruere, & venti penetrare facilè queant. Intus autem ſunt placida, manſueta & pacifica animalcula, quæ qualicunq; iſto hoſpitiolo contenta vivunt. Ita facies Eccleſiæ externa vilis & deſpecta eſt, nihil majeſtatis & magnificentiæ mundanæ in illa cernitur, ſæpè in ſylvis & cavernis latitat, ubi pluviæ calamitatum & venti perſecutionum illam infeſtant. Interim ſanctæ & dilectæ oviculæ Dei ibi degunt & amicè cohabitant. Quare, lætentur filii hujus ſeculi ob bona terreſtria & pompam temporalem: Nos cum Davide lætabimur in his quæ dicta ſunt nobis, in domum Domini ibimus, ſtantes erunt pedes noſtri in atriis Jeruſalem, Pſ. 122. v. 1. 2.

Regnum Antichriſti deſcribitur, quod ſit inſtar mulieris circundatæ purpura & coccino, & inauratæ auro & lapide pretioſo & margaritis, habentis poculum aureum in manu ſua plenum ab ominatione & immunditia fornicationis ſuæ, &c. Apoc. 17. v. 4. Videant hîc Pontificii, annon aliquam Eccleſiæ ſuæ deſcriptionem habeant, & vilem noſtræ Eccleſiæ conditionem nobis objicere deſinant. Certè faſtum & luxum mundanum Spiritus Dei non amat, ibi alius Spiritus occupatus eſt, is nimirum, quem Job Regem ſuper omnes filios ſuperbiæ vocavit, Job. 41. v. 25.

2. *Oſtii dignitas.* Nam ovile Spir. S. non patet omnibus promiſcuè, ſed habet oſtium, per quod oviculæ ingrediuntur & egrediuntur. Oſtium illud eſt Chriſtus, ut ipſe dicit v. 7. & 9.

1. *Oſtium indubitabile.* Quisquis enim

 ſalvari

ſalvari cupit, per hanc januam ingrediatur oportet, Act.4. v.12. Joh. 14. v. 6. per oſtium ædes ingredimur & ad incolas venimus: Ita per Chriſtum patet nobis ingreſſus in Eccleſiam, & in ea ad Patrem cœleſtem, Rom. 5. v. 2. Eph. 3. v. 12.

Oſtium habet ſuam *ſeram:* Sic verbum Dei ſera eſt cœleſtis oſtii, undè libro concluſo & ſignato comparatur, Eſa. 29. v. 11. *Clavis*, quâ ſeram hanc aperire poſſumus, *eſt fides*, per quam intelligimus Scripturas, 2. Cor. 10. v. 5. Ebr. 11. v. 1. ſeqq. *Cardines* à quibus dependet hoc oſtium, & quorum beneficio movetur, ſunt *Lex & Evangeliũ*, quæ conjungi oportet in converſione hominis, Luc. 24. v. 47. *Capulus ſive manubrium* ſunt *promiſſiones Evangelicæ*, de gratia Dei & remiſſione peccatorum, quas ſi manu fidei apprehendimus, mox patebit oſtium. Nam ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed vitam æternam habeat, audivimus heri ex Joh. 3. v. 16.

Limen quod ſub janua cernitur, & pedibus calcandum eſt, ſi quis domum velit ingredi, *eſt mundus* cum omnibus concupiſcentiis ſuis, 1. Joh. 2. v. 16. Hoc limen pedibus calcandum & relinquendum eſt, ſi per januam in domum cœleſtem, ubi Chriſtus nobis manſionem præparavit, ingredi velimus, Jac. 4. v. 4.

Obſervemus hæc contra Pontificios, qui per hoc oſtium non intrare volunt, ſed abſconditos ſibi fingunt introitus, ut Sacerdotes Bel, Hiſt. Belis v. 12. & vel Mariam conſtituunt portam gratiæ, vel meritis, ſuffragiis & interceſſionibus Sanctorum æternam ſalutem conſequi ſperant, vel etiam propriis operibus & ſatisfactionibus confidunt, & tandem moribundi non rectà in cœlum, ſed per veſtibulum inferni, quod purgatorium vocant, introire cupiunt. Hoc eſt cœcorum inſtar oſtia quærere, & oſtium illud unicum ſalutis, quod eſt Chriſtus, amittere, qui enim non manet apud Chriſtum, ſed alium ſequitur, moleſtos ſibi dolores multiplicabit, Pſal. 16. v. 4.

2. *Oſtium inexpugnabile.* Domus ob januam præſertim clauſam tuta eſt à furibus & latronibus; Ita Chriſtus eſt oſtium longè firmiſſimum, quo ovile cuſtoditur, ut oviculæ ab incurſionibus luporum & prædonum immunes degant. Sæpe quidem Cerberus triceps oppugnavit hoc oſtium, ſed expugnare nunquam potuit. Arius negabat Chriſti Deitatem. Manes in dubium vocabat ipſius humanitatem. Neſtorius unionem & communionem naturarum divellebat, ſed miſerè interierunt. Oſtium adhuc ſtat inconcuſſum, & ſtabit in æternum, portæ inferorum non prævalebunt adverſus illud, Matth. 16. v. 18.

Cum Noah tempore diluvii arcam intraſſet, Deus ipſe januam occludebat, ne aquæ diluvii penetrare poſſent, Gen. 7. v. 16. parem hiſtoriam habemus, Gen. 19. v. 10. Cum Sodomitæ fores Lothi effringere vellent, angeli extendebant manum ſuam & claudebant oſtium. Procellæ iræ divinæ hodie ingruunt, dilecti, & quaſi diluvium totam Germaniam inundarunt, Sodomitæ tumultuantur, & fores Eccleſiæ effringere & expugnare decreverunt, Pſ. 83. v. 4. 5. 13. ſed eſte bono animo, Chriſtus janua eſt, poſt quam ſtamus. Hæc procul dubio infracta manebit. Sæviant ergò tyranni, rumpantur Papiſtæ & Calviniſtæ, & circum quaque noſtrum cingant ovile, clauſum eſt oſtium, nos intus degimus, niſi occupetur oſtium, nemo nos tanget aut vincet unquam. Domini

mini eſt ſalus & benedictio ejus ſuper populum ejus in ſecula, Pſ.3.v.6.7.9.

3. *Oſtiarii ſublimitas,* de quo Chriſtus: qui intrat per oſtium huic Oſtiarius aperit. Oſtiarius iſte non eſt alius quàm Spiritus S. qui ſuum hoc in genere officium egregiè peragit. Eſt enim

1. *Oſtiarius inſtructiſſimus,* qui claves in promptu habet, quibus januam aperire poteſt omnibus, qui ad agnitionem Dei venire & æternam ſalutem conſequi deſiderant, ut exemplum Lydiæ teſtatur, Actor. 16. verſ. 14.

Cum Paulus Epheſum veniret, & Evangelium ibi prædicaret, magnum ipſi oſtium aperiebatur, id eſt, multos auditores inveniebat, qui Evangelium acceptabant, ut Lutherus explicat in gloſſa, 1. Cor. 16. v.9. idem factum eſt cum Troaden veniret, 2. Cor. 2. v.12. vide etiam Col. 4. v.3. Act. 14. v. 27. Hanc januam adhuc hodie aperit Spiritus S. per verbum prædicatum omnibus devotis & induſtriis auditoribus, ut credant & ſalventur. Niſi enim Spiritus S. adſit cordi docentis, otioſus eſt ſermo Doctoris, inquit Gregorius. Ergò congreſſus ſacros libenter & frequenter viſita, ubi Spiritus S. per miniſterium efficax eſt, aliàs nunquam ingrediens, ſed ante oſtium manebis cum virginibus fatuis, Matt. 5. v. 12.

2. *Oſtiarius præſentiſſimus.* Sicut enim Oſtiarius oſtium obſervat, & per totum diem ibi ſedere ſolet, ne quid fortè negligat, imò ungit quandoque oſtium & cardines, ut facilius moveri poſſint: Ita Chriſtus & Spiritus S. ſunt conjunctiſſimi. Nemo enim poteſt dicere: Dominus Jeſus niſi in Spiritu Sancto, 1. Cor. 12. v. 3. Proinde unxit Chriſtum Spiritus S. Eſa. 61. v. 1. Pſ. 45. v.8. unxit Apoſtolos, Act. 2. v. 4. ungit adhuc hodie omnes fideles Eccleſiæ miniſtros, & dona ſub ipſis impertit, 1. Cor. 12. v. 11. ut cardines ſpiritualis oſtii Lex videlicet & Evangelium ſint in perpetuo motu, & rectè prædicentur in Eccleſia.

Vis igitur Chriſtum invenire, & per Chriſtum ad ſalutem introire, ad oſtiarium hunc te recipe, & ductum ipſius ſequere, quem tibi per miniſtros ſuos præbet. Ipſi enim non ſunt qui loquuntur, ſed Spiritus Patris cœleſtis per nos loquitur, Matt. 10. verſ. 20.

3. *Oſtiarius fideliſſimus.* Sicut enim Oſtiarius amicis quidem aperit, & iis qui ad ovile pertinent, peregrinos autem & fures non admittit, inprimis lupos abarcet, ne gregem diſſipent: Ita Spiritus S. ad communionem Sanctorum admittit eos, qui ſectantur ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum, Ebr. 12. v. 14. ſed Epicuræos, tyrannos, hæreticos, falſosque fratres abigit. Foris enim ſunt canes & venefici, &c. Apoc. 22. verſ. 15.

Vide igitur, ut imiteris oviculas in doctrina & vita & hypocriſin vita, ne te depellat hic Oſtiarius ab oſtio, non enim veniet in conſpectum ejus hypocrita, Job. 13. verſ. 16.

Pontificii Spiritum S. ab oſtio deturbant, & Pontificem in ejus locum ſubſtituunt, dum perſuadent hominibus, Papam omnia myſteria regni cœlorum geſtaret in ſcrinio pectoris ſui, ab ipſo proinde petendum eſſe verum ſcripturarum intellectum, item Pontificem poſſe decidere & judicare controverſias religionis, Spiritum Sanctum non item, ſicut Gretſerus in Colloquio Ratisbonenſi vociferabatur: Veniat Spiritus S. veniat & judicet me, ſi poteſt.

 Quin

Digitized by Google

Quin etiam Petro officium Oſtiarii aſſignant, & cum ſanctis ſuis ita occupati ſunt, ut Spiritus S. obliviſcantur. Quis ergò hinc non colligat, Spiritum S. iſtis hominibus parùm curæ eſſe? Qui autem Spiritum Chriſti non habet, non eſt ejus, Rom. 8. verſ. 9.

4. *Paſtorum veritas*, qui vivo hîc colore nobis depinguntur, ut ex ſequentibus notis cognoſci poſſunt, ut ſunt

1. *Recta ingreſſio.* Nam per verum oſtium ingrediuntur, & non aliunde aſcendunt, quod fures & latrones in uſu habent. His verbis legitima vocatio confirmatur, quam omnes veri Paſtores expectare debent, ne in ipſos quadret illud Jer. 23. v. 21. currebant & non mittebam ipſos.

Hodie multi ſeſe ingerunt vel per Nominativum, ut Theudas, qui dicebat, ſe eſſe aliquem, & multos in ſui trahebat admirationem, Act. 5. v. 36. vel per Genitivum, dum vel conſanguinitatis vel conjugii nexu promotionem ſibi acquirit, vel per Dativum, ut Simon Magus, Act. 8. v. 18. 19. vel per Accuſativum, dum hunc vel illum calumniis proſcindunt, ut ſuſpectum reddant, vel per Ablativum, dum vi alios de ponte dejiciunt, ut ipſi eleventur. Pauci per Vocativum ingrediuntur. Hinc poſteà in adverſitatibus omni ſolatio deſtituti ſuccumbere coguntur. Quia enim Dominus non miſit eos, nullam etiam aſſiſtentiam ab ipſo expectare poſſunt, juxta ſententiam Salomonis, Prov. 21. v. 8.

2. *Prona recluſio.* Oſtiarius ipſe aperit, inquit Chriſtus, & oves vocem ejus audiunt. Omnis igitur promotio fidelium Eccleſiæ Paſtorum à Sp. S. dependet, ille quos mittit, donis ſuis inſtruit, & idoneos facit, 2. Cor. 3. v. 5. ille etiam præficit hunc vel illum, huic vel illi Eccleſiæ, Act. 20. v. 28. & corda ipſorum illuminat, ut verum Scripturæ ſenſum aſſequantur, & auditoribus claris & perſpicuis verbis proponere & inſtillare poſſint, ſi modò precibus indefeſſis ipſum ſollicitent, cum Davide Pſ. 43. v. 3. & 119. v. 18. vel ſic:

Suggere quod dicam mihi Spiritus alme, tuumque
Per linguam munus perfice quæſo meam.
Organon & prater nil ſum ſine numine nil ſum
Spiritus alme tuo, mens hebet, ora tacent.

Hoc quando fit, ſponte ſequitur benedictio divina, & labor talium paſtorum in Domino, non erit inanis, 1. Cor. 15. v. 58.

3. *Diſtincta cognitio*, quod oves ſuas agnoſcunt, & nominatim vocare poſſunt, hoc eſt, ſciunt, ecqui conſolatione, vel admonitione vel informatione indigeant. Simplices erudiunt, quomodo rectè credere, piè vivere, & beatè mori debeant, exemplo Pauli, 1. Cor. 9. v. 22. peccatores arguunt, ut reſipiſcant à Diaboli laqueis, quibus captivi tenentur ad ipſius voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26. pœnitentes erigunt, ne deſperent, ſed firmiter credant, omnia in Chriſto delicta ſibi condonata eſſe, Coloſſ. 2. verſ. 13.

Si talem habes Paſtorem, qui hæc facit, fas eſt ut ipſius vocem audias, Ebr. 13. v. 17.

4. *Fida eductio*, quod oves ſuas educunt ad ſalutaria paſcua verbi & Sacramentorum, ut animæ eorum delectentur in pinguedine, Eſa. 55. v. 2. nam verbum quod prædicant, eſt verbum vitæ, Joh. 6. v. 68. & virtus ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. Sacramenta quæ adminiſtrant, ſunt ſigil-

ſigilla gratiæ, Rom. 4. v. 11. O felices oviculas, quæ talem Paſtorem habent, & ejus vocem audiunt. O infelices verò & maledictos, qui ipſum contemnunt! Contemnunt enim conſilium Dei adverſus ſemetipſos, Luc. 7. v. 30.

5. *Inculpata præceſſio.* Nam quando emiſit oves, inquit Chriſtus, præcedit illas, & oves ſequuntur. Quibus verbis notatur boni Paſtoris officium, quo requiritur, ut commiſſis ſibi oviculis bono exemplo præluceat

1. *In doctrina,* & firmiter teneat eum qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, Tit. 1. v. 9. Qui enim aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ eſt ſecundùm pietatem doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, &c. 1. Tim. 6. v. 3. 4.

2. *In vita,* ut quantum poſſibile eſt in hac infirmitate, inculpatè vivat, & nemini ſcandalum det, ſed in omnibus ſe exhibeat tanquam miniſtrum Dei in multa patientia, 2. Cor. 6. v. 3. ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, & nihil inveniat, quod de ipſo malum dicere poſſit, Tit. 2. v. 8.

Turpe *enim* eſt Doctori cum culpa redarguit ipſum, Rom. 2. v. 23.

De Secundo.

Vidimus Ovile myſticum cum ſuis Paſtoribus, videbimus etiam *Spirituales oviculas*, quæ ad hoc ovile pertinent, tanquam membra genuina, & ſuis etiam notis ab his qui foris ſunt, diſcernuntur, prout contextus Evangelii noſtri luculenter oſtendit, ubi oves Chriſti ſunt

1. *Per oſtium ingredientes.* Tale oſtium eſt Chriſtus, ut ſupra audivimus, per quod ingredimur per Baptiſmum, qui propterea porta prima gratiæ, item, primus Sanctorum introitus ab Auguſtino dicitur. Typum habemus Exod. 20. v. 18. ſeqq. ubi Moſes jubetur ponere labrum æneum inter tabernaculum teſtimonii & altare, ut lavent in eo pedes & manus ſuas Aaron & filii ejus, quando ingreſſuri erant tabernaculum teſtimonii: Ita lavari nos oportet in baptiſmo, & ita ingredi in Eccleſiam. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum cœlorum, Joh. 3. v. 5.

Chriſtus eſt oſtium humile, Matth. 11. v. 29. & qui vult ingredi per hoc oſtium, humiliare & inclinare ſe debet, ne caput impingat. Reſiſtit enim ſuperbis, & humilibus dat gratiam, 1. Pet. 6. v. 5.

Hoc oſtium nemini clauſum eſt, ſed omnibus patet hominibus, ut introire poſſint, ſi quis per me intrabit, inquit ipſe, ſervabitur. Ante januam templi Hieroſolymitani duæ columnæ poſitæ erant, cum hâc inſcriptione: Omnis alienigena accedens ad habitaculum Domini, morte morietur, ut Joſephus teſtatur. Sed hoc oſtium patet omnibus, 1. Tim. 2. v. 4. Act. 10. v. 43. 1. Joh. 2. v. 1. Ergò confidenter accede. Qui enim ad me venit, inquit Salvator, hunc ego non ejiciam, Joh. 6. v. 37.

2. *Vocem paſtoris audientes.* Vox Paſtoris ſonat in Eccleſia, hanc veræ oviculæ audire debent:

1. *Libenter*, inſtar Davidis, Pſ. 42. v. 5. 122. v. 1. qui enim delectatur in lege Domini, tanquam lignum eſt plantatum ſecus decurſus aquarum, inquit David, Pſalm. 1. verſ. 2. 3.

2. *Diligenter*, non dormiendum intereà inſtar Eutychi, Act. 20. v. 9. aut confabulandum, aut aliud cogitandum, ſed quisquis vera Chriſti ovicula eſſe & manere deſiderat,

Digitized by Google

ſiderat, diligenter attendat oportet, ſicut Cornelius & domeſtici ejus, Act. 10. v. 33. qui enim ex Deo eſt, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 47.

3. *Reverenter.* Cum Patriarcha Jacob in ſomno videbat ſcalam, cujus ſummitas in cœlum uſque pertingebat, exclamabat evigilans: ô quàm metuendus eſt locus iſte? non eſt hîc aliud niſi domus Dei & porta cœli, Gen. 28. v. 17. Locus iſte eſt Eccleſia, ubi ſcala cœli elevata & tota S. Trinitas cum omnibus Angelis & Archangelis præſens eſt. Proinde opus eſt reverentia, quâ Paſtores noſtros tanquam legatos Dei proſequi & verbum ipſorum, ut verbum Dei ſuſcipere debemus. Qui enim vos audit, inquit Chriſtus, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me, Luc. 10. v. 16.

4. *Prudenter.* Sicut oves naturales vocem paſtoris ſui à voce aliorum diſcernunt: Ita prudentia opus eſt piis auditoribus, ne credant unicuique Spiritui, ſed probent illos, num ex Deo ſint, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum, 1. Joh. 4. verſ. 1.

3. *Ductum ipſius ſequentes.* Quid juvat audire, ſi non ſequaris etiam, & quod audiviſti, in uſum transferas? Certè aggravas tibi hoc ipſo judicium, & verbum quod audis, & non facis, judicabit te in noviſſimo die, Joh. 12. v. 48. Factores igitur eſtote verbi, & non auditores tantùm, ne vosmet ipſos decipiatis, ſi quis enim auditor eſt verbi, & non factor, comparabitur viro contemplanti vultum ſuum in ſpeculo, & poſtquam abiit ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit, Jac. 1. v. 22. 23.

4. *Peregrinum fugientes.* Sunt autem peregrini, ut hîc à Chriſto deſcribuntur

1. *Qui non per oſtium introeunt*, ſed aliunde aſcendunt. Tales ſunt omnes hæretici, qui auditores ſuos à Chriſto ad traditiones humanas, vel etiam ad ſanctos demortuos abducunt, quibus Deus fruſtrà colitur, Matth. 15. v. 9.

2. *Qui antè Chriſtum veniunt.* Omnes qui antè me venerunt, inquit Chriſtus, fures ſunt & latrones. Hoc nomine Chriſtus intelligit non Moſen & Prophetas, qui de ipſo vaticinati ſunt, 1. Pet. 1. v. 10. ſed primò eos, qui pro Meſſia ſe gerebant, ut Theudas & alii, Act. 5. v. 36. & deinde omnes pſeudodoctores, qui Chriſtum prævertunt, & ſine eo ſalutem æternam conſequi volunt in propriis meritis, ut Phariſæi, Sadducæi & Scribæ tempore Chriſti, hos intelligit Chriſtus, & non paſtores, ſed fures & latrones eſſe conſtanter aſſerit. Sicut enim fures non ſolent interdiu per conſueta oſtia ædes alicujus apertè ingredi, ſed per clandeſtinos ingreſſus ſeſe furtim inſinuant, eo conſilio ut perdant, occidant & rapiant: Ita falſos Doctores Chriſtus fures appellat, quia omiſſo uſitato eoque unico ingreſſu in cœlum alias rationes monſtrant, & per adulterina oſtia vitam æternam ingrediendi oſtendunt, atque hoc ipſo hominibus furantur id quod pretioſiſſimum eſt, nempè vitam æternam. Latrones verò nuncupat, quia animas hominum occidunt, & in ſpeluncam latrocinii, id eſt, in barathrum æternæ damnationis præcipitant. Quis igitur tales paſtores non fugiat? O cavete vos mei, cavete à falſis prophetis, qui veniunt in veſtitu ovium, intus autem ſunt lupi rapaces, Matt. 7. v. 15. Agnoſcite verò ex hac concione Chriſti, quàm immenſum beneficium ſit, ſi Deus populo alicui fideles verbi præcones largiatur, & orate Dominum meſſis, ut ipſe fideles

Digitized by Google

fideles operarios poſthac ſemper in meſſem ſuam extrudat, & à luporum vehementia gregem ſuum tueatur, Matth.9.v.38.

5. *Oſtiarium reverentes.* Oſtiarius eſt Sp. S. ut ſupra diximus. Hunc omnes veri Chriſtiani ſibi exorent cum Davide Pſ. 51.v. 10.12. ut cor aperiat, quando verbum Dei in templo audiunt, & deinde etiam occludat, ne theſaurus verbi divini à Diabolo auferatur, Matt.13.v.19.abq; hoc oſtiario mortui ſumus in peccatis, Eph.2.v.5.

De Tertio.

RESTAT ut conſideremus etiam *beneficia divina, quæ talibus à Chriſto oviculis parata ſunt.* Si quis enim per me introierit, inquit Chriſtus, ſervabitur, & ingredietur, & paſcua inveniet. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.

Tria his verbis beneficia Chriſtus enumerat, quæ genuinas ipſius oviculas ſequuntur:

1. *Beatitudo temporalis.* Nam ingredientur, inquit Chriſtus, & egredientur, quibus verbis benedictionem divinam promittit omnibus, qui opera vocationis ſecundùm normam verbi ſui perficiunt, ſicut Petrus, cum in verbo Chriſti laxaret rete ſuum, copioſam piſcium multitudinem concluſit, Luc. 5.v.6. ita Moſes hac phraſi utitur, Deut. 28.v.6.

2. *Beatitudo ſpiritualis.* Nam paſcua invenient, inquit Chriſtus, nimirum paſcua gratiæ, paſcua ille bona & pinguia montium Iſrael, Ezech. 34.v.14. in quibus exhibetur nobus cibis immortalitatis, panis vitæ, quo animam noſtram variis peccatorum anguſtiis exagitatam reficere poſſumus, Joh. 6.v.50.

3. *Beatitudo æternalis.* Qui per me introiverit, ſalvus erit. Ego enim veni, inquit Chriſtus, ut vitam habeant, & abundantius habeant. In Chriſto habemus remiſſionem peccatorum, quæ inſtar nubis & nebulæ delevit, Eſ. 44. verſ. 22. Lex non poteſt nos condemnare, Chriſtus enim eſt finis legis ad ſalutem omni credenti, Rom. 10. v.4. non ſumus jam ſub lege, ſed ſub gratia, Rom. 6. verſ.14. Diabolus non poteſt nobis nocere, quia pro nobis eſt Chriſtus, qui opera Diaboli deſtruxit, 1. Joh. 3.v.8. Mors non poteſt nos abolere, ſed januam vitæ aperit, Johan. 5. v. 24. Infernus non poteſt nos abſorbere, nihil enim condemnationis in his qui in Chriſto Ieſu ſunt, Rom. 8. v. 1. In ſumma, pacem habes cum Deo, fide juſtificatus per Jeſum Chriſtum, Rom. 5. v. 1. quis igitur ſeparabit te à charitate Dei? Rom. 8. v.35. vitam habebis, hoc certò tibi perſuade, & plenam abundantiam in ſempiterna ſecula. Nam oves meę, inquit Chriſtus, vocem meam audiunt, & ego do eis vitam æternam. Nemo rapiet eas de manu mea, &c. Joh.10.v.27.28. Hanc beatitudinem concedat nobis SS. Trinitas, Amen.

In Feſto Trinitatis

Evangelium Johan. 3. verſ. 1. 15.

EZechieli Prophetæ apparuit olim vir in viſione quadam, & oſtendit ipſi aquas, quæ ſubter limen templi ingrediebantur. Primò metiebatur funiculo, quem in manu habe-

habebat, mille cubitos,& traducebat Prophetam uſque ad talos. Rurſus metiebatur, mille cubitos, & traducebat Prophetam uſque ad genua. Tertiò metiebatur mille cubitos, & traducebat ipſum uſq; ad renes. Tandem adhuc mille cubitos metiebatur,& ecce intumuerunt aquæ, ut non amplius pertranſire potuerit, ſed ſupernatare coactus fuerit, Ez.47.v.1.ſeqq.

Idem Nicodemo accidit in hodierno Evangelio. Poſtquam enim ad Chriſtum, angelum illum magni conſilii venit noctu, & viam ſalutis ab ipſo edoceri cupit, oſtendit ipſi aquas myſteriorum ſuorum, quæ ſubter limen templi egrediuntur, id eſt, veræ Eccleſiæ propria ſunt, & primò ad talos & genua ipſum traducit, dum regenerationis qualitatem & neceſſitatem ipſi proponit. Hujus modum & rationem ubi capere Nicodemus nondum poteſt, ad huc mille cubitos metitur, & de cœleſtibus fari incipit, hîc intumeſcit fluvius, ut fide ſupernatare cogatur, quò ratione pertranſire non poteſt. Nam animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2.v.14. Siquidem per fidem ambulamus & non per ſpeciem, 2. Cor.5.v.7.

Sicut igitur Patriarcha Abraham Deum in montis vertice adoraturus, ſervis, ut infernè cum aſinis manerent, imperavit, & ſolus ipſe cum filio gladium & ignem geſtans montem conſcendit, Gen. 22.v.5. Ita nos quoque altum myſteriorum divinorum olympum conſcenſuri aſinum rationis infra relinquere, & captivare debemus ſub obſequium Chriſti, contenti gladio verbi & igne fidei, 2. Cor.10.v.5.

Videbimus

I. *Quaſtionem Nicodemi memorabilem.*

II. *Informationem Chriſti amicabilem.*

J.J.

EXEGESIS.

HActenus feſta celebravimus honori ſingulatum Trinitas perſonarum deputata. Vidimus miſericordiam Patris Feſto nativitatis. Vidimus potentiam Filii Feſto reſurrectionis. Vidimus beneficia Spiritus Sancti feſto Pentecoſtes. Nunc perſonas omnes conjunctim intuemur, & Deum in unitate trinum, & Trinitate unum veneramur. De quo ſublimi myſterio pii veteres dixerunt: Scrutari temeritas, credere pietas, noſſe vita æterna eſt.

Quanquam autem in prælecta pericope *de regeneratione hominis* primario agitur, tamen ad declarandum *SS. Trinitatis myſterium* optimè congruit, idque tripliciter. ſi ſpectes

1. *Materiæ eminentiam.* Nam de regeneratione agit, quæ fit per baptiſmum, in quo tota Trinitas operatur, Matt.28. v.19.

2. *Teſtimoniorum evidentiam*, quæ de SS. Trinitate in hoc Evangelio continentur.

3. *Analogiæ convenientiam.* Voluit enim pia antiquitas illuſtri exemplo de regeneratione hominis difficultatem hujus articuli nobis ob oculos ponere, ne laſcivo rationis judicio in tam arduo myſterio præcipites feramur, quod quàm facilè fieri exemplo Nicodemi abundè patet.

Habemus hîc

I. *Perſonæ delineationem*, quæ deſcribitur

1. *Ratione nominis.* Nicodemus enim vocatur, quod eſt victor populi, qualis reverà fuit, Johan.7.v.51.19.v.39. nomen illuſtre, ſed quod ad ſalutem ipſi nihil profuit.

Hoc

Digitized by Google

Hoc præſtat nomen ſuper omne nomen, extra quod ſalus non eſt, Act. 4. v. 12.

2. *Ratione muneris.* Nam fuit princeps Phariſæorum, & non ſolùm Magiſtratum geſſit in populo Judaicò, ut Luc. 14. verſ. 1. videre eſt, ſed in magna etiam autoritate & exiſtimatione fuit, unde reliquis primoribus in Senatu contradixiſſe legitur, Joh. 7. v. 51.

Si videtis igitur dilecti, hos vel illos gloriari de tot primoribus, qui religioni ſuæ adhærent, nihil vos moveat, in negotio ſalutis verſamini, quod non authoritate humana, ſed diſpoſitione divina nititur & perficitur.

In Eccleſia Corinthiaca non multi erant ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta erant mundi Deus elegerat. Doctrina interim pura erat & ſana, 1. Cor. 1. verſ. 26. Cum divites & potentes nollent venire, vocantur pauperes, & cœci & claudi, Luc. 14. v. 21.

Petrus Joppen ingrediens non à Principe Civitatis, ſed à coriario ſuſcipitur, Act. 9. verſ. 43, hoc eſt quod Chriſtus dicit: Pauperibus prædicatur Evangelium, Matth. 11. verſ. 5.

3. *Ratione conaminis.* Noctu enim venit, quia interdiu formidabat, ut inquit Chryſoſtomus, propter metum ſuorum collegarum, qui Chriſtum cane pejus & angue oderant, vel ut ſolus cum Chriſto remotis arbitris colloqui, & ſecreta ejus allocutione myſteria fidei plenius diſcere poſſet.

Unde elucesċit

1. *Diſcendi cupiditas.* Senex erat Nicodemus, magnæque vir authoritatis & eruditionis, non tamen puduit ipſum viam ſalutis à Chriſto diſcere: multò minus nos pudeat ſcripturas ſcrutari, Joh. 5. v. 39. lectioni attendere, 1. Tim. 4. verſ. 13. narrationem divinam ante omnia libenter audire, Sir. 6. verſ. 35.

Multi ſunt inter nos, qui conciones catecheticas floccipendunt, & pro juventute inſtitutas arbitrantur. Sed perperam. Inveniunt, etiam ſenes ibi quod diſcant. Nam verbum Dei eſt inſtar maris, cujus abyſſus imperſcrutabilis, Sir. 24. verſ. 39. cave igitur, ne ſis inter pueros centum annorum, Eſa. 65. v. 20. qui ſemper diſcunt, & ad agnitionem tamen veritatis nunquam perveniunt, 2. Tim. 3. v. 7.

2. *Conjuncta infirmitas.* Noctu enim venit ex metu Judæorum. Quo tamen exemplo noſtri ſe Nicodemitæ & tenebriones tueri non poſſunt, non enim exemplis ſed legibus judicandum. Habemus regulam Chriſti Matth. 10. v. 32. 33. Luc. 9. v. 26. quæ omnibus exemplis præjudicat. Hanc ſequi debemus, nam corde creditur ad juſtitiam, ſed ore fit confeſſio ad ſalutem, Rom. 10. v. 9. 10. Nicodemus correxit infirmitatem ſuam, Joh. 7. v. 50. 51. 19. v. 39. Idem faciant hodierni veſpertiliones, tunc laudabimus ipſos. Qui enim veritatem operatur, ad lucem venit, ut opera ejus manifeſta fianr, in Deo enim facta ſunt, Joh. 3. v. 21.

II. *Scopi ſignificationem*, v. 2. ubi conſideranda ſe offerunt

1. *Exordium*, quod valde plauſibile eſt. Agnoſcit enim Chriſtum pro Doctore illo: quem Deus olim mundo promiſerat, Deut. 18. v. 15. Joel. 2. v. 23. Eſa. 50. v. 4.

Teſtes adducit

1. *Suam & ſuorum conſcientiam.* Scimus quod à Deo veneris Magiſter. Obſtinata certè malitia, quâ conſilium Dei adverſus

ſemetipſos ſpernebant, Luc. 7. v. 30. & peccatum in Sp. S. committebant, Matt. 12. v. 31. Tales hodie multos invenias inter adverſarios, qui contra propriam conſcientiam in erroribus perſeverant, ne erraſſe videantur. Cavete vobis, dilecti, ne veritati reſiſtatis, 2. Tim. 3. v. 8. horribile enim tales manebit judicium, 2. Theſſ. 2. v. 12.

2. *Miraculorum evidentiam.* Nemo poteſt ſigna facere inquit, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Firmum igitur ex miraculis Chriſti argumentum ducitur, quod ſit verus Meſſias, ſicut ipſe Phariſæos hoc argumento convincit Joh. 10. v. 38. Deus enim ſolus eſt qui mirabilia facit, Pſ. 72. v. 18. & licet Apoſtoli etiam miracula patrarunt, vim tamen iſtam θαυματεργικὴν non à ſe ipſis habent, ſed à Chriſto acceperunt, Matth. 10. v. 8. Marc. 6. verſ. 7. Luc. 10. verſ. 19. Joh. 14. verſ. 12.

2. *Deſiderium.* Quamvis enim ſtatus vel principalis quæſtio non exprimitur, cujus gratiâ Nicodemus Chriſtum acceſſerat, tamen quia reſponſio Chriſti in eum ſcopum directa eſt, ut viam ſalutis ipſi commonſtraret, dubium non eſt, quin de hac ipſa quæſtio Nicodemi inſtituta fuerit. Ita nos quoque de ſalute conſequenda debemus eſſe ſolliciti, quærentes ante omnia regnum Dei & juſtitiam ejus, tunc cætera nobis adjicientur, Mat. 6. v. 33.

De Secundo.

FUit quæſtio, ſuccedit *Informatio*, quâ duo Chriſtus media oſtendit, quarum ope Nicodemus & omnes verè Chriſtiani ad ſalutem pervenire queant.

I. *Eſt regeneratio*, cujus hîc deſcribitur

1. *Neceſſitas*, verſ. 3. Omnes enim naſcimur in peccatis, Pſ. 51. verſ. 7. & abalienati ſumus à Deo, quamdiu in peccatis hæremus, Eſ. 59. v. 2. nova igitur regeneratione opus eſt, quæ fit per baptiſmum, cujus ſumma neceſſitas duplici hic juramento confirmatur. Non tamen ita intelligendum eſt, quaſi Deus alio modo regenerationem in nobis operari non poſſit, ſed ratione decreti & ordinis divini, cui nos alligatos voluit. Interim ſibi legem non tulit, ſed in caſu neceſſitatis etiam abſque baptiſmo infantes adoptare & adultos ſalvare poteſt, ut exemplum latronis, Luc. 23. v. 43 & filioli Davidis teſtatur, 2. Sam. 12. v. 23.

2. *Qualitas*, v. 5. Regeneratio igitur, quæ fit per baptiſmum, efficitur per aquam & ſpiritum, quæ ſunt partes baptiſmi eſſentiales, illa terreſtris, hæc cœleſtis. Aqua non permutanda eſt cum alio liquore, Sp. non ſeparandus eſt ab aqua, qua ipſe tanquam inſtrumento in regeneratione hominis utitur, Eph. 5. v. 26. Tit. 3. verſ. 5. Apage igitur diſtinctionem illam de baptiſmo externo & interno. Nam unum eſt baptiſma, Eph. 4. v. 5. Apage etiam ſtrepitum ceremoniarum, quas Pontificii in adminiſtratione baptiſmi adhibent. Sufficit aqua & ſpiritus, de ſale, ſputo, Chriſmate, &c. in Scripturis altum eſt ſilentium. Fruſtra igitur ſervitur Deo præceptis hominum, Matth. 15. v. 9.

3. *Efficacitas.* Nam quod natum eſt ex ſpiritu, inquit Chriſtus, Spiritus eſt, & introibit in regnum cœlorum. Ubi duplex baptiſmi fructus inſinuatur:

1. *Renovatio.* Nam Spiritus efficimur, id eſt, ſpirituales, ſive novi homines, Eph. 4. v. 24. Col. 3. verſ. 10. quæ novitas non eſt phyſica transformatio, ſed hyperphyſica alteratio, & conſiſtit in illuminatione mentis, Epheſ. 5. verſ. 8. in mundicie cordis,

Digitized by Google

Pſ.51.v.12. & ſuppreſſione carnis, Rom.6.v. 2.ſeqq. ſed imperfecta tamen eſt in hac vita, quia omnis ſanctus eget petitione veniæ, Pſ. 32.v.6.143. v. 2. & querelam Apoſtoli ingeminare cogitur, Rom.7.v.24.

2. *Salutis participatio*, unde baptiſmus porta gratiæ, ab Auguſtino, & puerpera regni cœlorum à Luthero appellatur. Per hunc enim mundamur & ſanctificamur, Eph. 5. v.26. 1. Cor. 6.v.11. Chriſtum induimus, Gal. 3.v.27. remiſſionem peccatorum accipimus, Act. 2.v.38. ſalvi ſimus, Tit.3.v. 5.1.Pet.3.v.21.

4. *Difficultas*, quæ apparet ex gemina nota, quarum

1. eſt *craſſa hominum inſcitia.* Huc pertinet exemplum Nicodemi, qui carnales de regeneratione cogitationes concipit. Quomodo homo ſenex, inquit, poteſt naſci? poteſtne in ventrem matris ſuæ rurſum ingredi & naſci? Ita fit, quando myſteria fidei rationis modulo metiri volumus. Exempla ſimilia habemus in Naamano, 2. Reg. 5.v.11. in Sadducæis, Mat. 22. v. 25. in Capernaitis, Johan. 6. v. 52. Ex hac ſcaturigine proponant omnia Calvinianorum de hoc myſterio abſurda. Quamprimùm enim audiunt baptiſmum eſſe lavacrum regenerationis, mox cum Nicodemo tam craſſe philoſophantur: quomodo manipulus aquæ peccatum abluere, & conſcientias purgare poteſt? quando audiunt, Chriſtum nobis ſub pane & vino corpus & ſanguinem ſuum manducandum & bibendum in S. Cœna exhibere, iterum ad abſurdum delabuntur, & quomodo, inquiunt, corpus verum & naturale parvo ore manducari poteſt, &c. Non eſt autem iſta ſapientia ſupernè deſcendens, ſed terrena, animalis, dæmoniaca, Jac. 3. v. 15. proinde caveamus, ne quis decipiat nos per inanem philoſophiam, monet Paulus Col.2.v.8.

2. *Difficilis renatorum notitia*, quò referenda ſunt verba Chriſti: ſpiritus ubi vult ſpirat, & ſonum ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat. Quâ ſimilitudine docet Spir. S. in renatis non eſſe otioſum, ſed ſpirituales in ipſis motus excitare, ut non peccent, 1. Joh. 3.v.9. ſed fructibus juſtitiæ impleti, Phil. 1.v.11. in novitate vitæ ambulent, Rom.6.v.2.3.4. Si quis igitur pro Chriſtiano regenerato ſe venditat, & tamen opera non habet, quæ fidem declarant, hypocrita eſt. Nam qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit, & hoc ipſo apparet, qui ſint filii Dei, vel filii Diaboli, 1.Joh.3.v.9.10.

3. *Connata rationis ſtultitia*, quæ ſuum quomodo ſemper repetit, & quomodo, inquit cum Nicodemo, iſtud fieri poteſt? Quomodo finitum poteſt eſſe capax infiniti? quomodo Chriſtus qui cœlum aſcendit, corpore ſuo in terris præſens eſſe poterit? quomodo corpus putrefactum & in nihil redactum idem numero reſurget? &c. Sed quomodo illud eſt venenum fidei, & manifeſtiſſimum incredulitatis indicium. Hinc Chriſtus reprehendit Nicodemum, quod Doctor ſit in Iſrael, & hæc principia ignoret. Captivemus ergò rationem ſub obſequium fidei, 2. Cor. 10. verſ. 5. Deus enim ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ facere poteſt, ſuper id quod petimus & intelligimus, Epheſ. 3. verſ. 20.

II. *Meriti ſui applicatio*, commendat enim Nicodemo

1. *Salutis reparatorem.* Amen Amen dico tibi, quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo credetis, ſi dixero vobis

Digitized by Google

cœleſtia: q. d. Jam de rebus terrenis locutus ſum, quæ comparatione ad alia myſteria, quaſi crepundia æſtimanda ſunt. Si igitur in hiſce rudibus elementis, nempe de hominis terreni regeneratione tam abſurdum & craſſum diſputatorem te oſtendis, quàm craſsè philoſophaberis, quando in ſecretiſſimos myſteriorum receſſus & penetralia te introduxero. Age, proponam tibi ænigma Theologicum: Eſt quidam, qui dicitur filius hominis, is deſcendit de cœlo, & tamen eſt in cœlo, & licet ſit in cœlo, tamen aliquando demum in cœlum aſcendet. Hic omnes ingenii tui nervos intende, & periculum fac, num hoc problema ſolvere poſſis. Loquitur autem de ſeipſo, qui in plenitudine temporis deſcendit de cœlo, cum carnem aſſumeret, & erat in cœlo, cum hæc loqueretur in terris, nimirum juxta modum incomprehenſibilem perſonalis unionis cum λόγῳ, quæ nuſpiam ſoluta erat, & tamen quadrageſimo die poſt reſurrectionem aſcendebat in cœlum juxta modum viſibilem & comprehenſibilem corporis naturalis.

Quibus verbis certè elegantiſſima majeſtatis Chriſti deſcriptio continetur, qui licet Nicodemo in terra localiter & naturaliter aſtiterit, eodem tamen tempore τῷ λόγῳ in cœlis per & propter unionem perſonalem præſentiſſimus fuit. Quidni igitur jam ad dextram Dei exaltatus Eccleſiam ſuam præſentiſſimè gubernet & defendat omnibus diebus ad conſummationem ſeculi, juxta promiſſionem ſuam, Matth. 28. v. 20. Videte, dilecti, Salvatorem habemus, qui in cœlo & terra præſens eſt, & cum Patre & Sp. S. omnia implet, Ier. 23. v. 24. Eſtote igitur bono animo, ſive ſitis in carcere, ſive in ſpelunca leonum, ſive in fornace ignea, Chriſtus vobiſcum eſt, & ex omnibus periculis vos tandem eripiet, 2. Petr. 2. verſ. 9.

2. *Modi tenorem*, quem oſtendit ſub typo ſerpentis ænei, Num. 21. v. 7. 8. Sicut enim populus Iſrael in deſerto igneis Serpentibus propter incredulitatem & alia peccata punitus eſt à Deo, qui momorderunt populum, ita ut moreretur populus multus, dum Moſes juſſu Dei ſerpentem æneum erigeret, cujus intuitu vulnerati à ſerpentibus igneis rurſum ſanati ſunt: Ita totum genus humanum peſtifero morſu ſerpentis infernalis non modò infectum, ſed interfectum & ſpiritualiter occiſum erat: Sed miſit Deus Filium ſuum, qui inſtar vermiculi abjectiſſimi de ligno ſuſpenſus, & maledictio pro nobis factus eſt, ut nos à maledictione legis liberaret, Gal. 3. v. 13. non enim corruptibili auro & argento redempti ſumus, ſed pretioſo ſanguine Jeſu Chriſti agni illius immaculati & incontaminati, 1. Pet. 1. v. 18. 19. absque profuſione ſanguinis nulla fieri poteſt remiſſio. Quod ſi igitur ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Sp. S. ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi, Ebr. 9. v. 13. 14.

3. *Connexum valorem*, quomodo beneficium illud ſibi applicare poſſit, nimirum per fidem, nam omnis qui credit in eum, non perit, ſed habet vitam æternam. Qui intuebantur ſerpentem æneum ſervabantur, non propter rem viſam, ſed propter Jehovam, qui Salvator eſt omnium, Sap. 16. v. 7. 8. Ita hæc eſt voluntas Patris, ut omnis, qui videt filium, quem ſerpens æneus præfigurabat,

Digitized by Google

rabat, & credit in eum, habeat vitam æternam, Johan. 6. verſ. 40. qui verò reſpuit beneficium in Evangelio oblatum, & mendicâ manu fidei non apprehendit, in peccatis ſuis moritur, juxta ſententiam Chriſti Johan. 3. v. 36.

Dominica I. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 16. v. 19. 31.

NAbal erat vir dives, ſed durus & peſſimus, cumque tonderet oves ſuas, miſit David juvenes decem ex deſerto Maon, ut ſtipem aliquam ab ipſo peterent: ſed nimis aſperam reportant reſolutionem, & vacuâ manu abire coguntur. Hanc immiſericordiam impunè non tulit. Nam cum pertranſiiſſent decem dies percuſſit eum Dominus & mortuus eſt. David autem in regio throno confirmavit & magnificavit, 1. Sam. 25. v. 3. ſeqq.

Parem ferè hiſtoriam ſive parabolam habemus in hodierno Evangelio, ubi nobis epulo dives & Lazarus pauper conſiderandus proponitur. Dives quotidie genio ſuo indulget, Lazarus autem pauper & egenus micas colligere deſiderat, quæ de menſa cadebant ſed non poteſt impetrare. Tandem dives in infernum detruditur, Lazarus autem in ſinu Abrahæ jucunditates vitæ percipit, quas Deus ab æterno dilectis ſuis præpræparavit, Pſ. 16. v. 11.

Nos abſque verborum ambagibus Evangelium prælectum ad manus ſumemus & conſiderabimus

I. Divitis luxuriam.
II. Lazari penuriam.
vel ita:
I. Luxum viri divitis.
II. Statum Lazari pauperis.

I. I.

EXEGESIS.

LUna Eclipſin, non patitur niſi dum plena eſt, quo autem plenior, eo à ſole remotior: Ita homines quando divitiis abundant, in amore Dei, ejusque mandatorum obſervatione ut plurimùm deficiunt, exemplum habemus in epulone, qui abuſus divitiis ſuis à Deo quàm longiſſimè receſſit, ut ſatis abunde apparebit, ſi ſpectes

I. *Vitæ curſum*, quem polluit tribus maximis flagitiis.

1. *Superbiâ.* Veſtiebatur enim purpura & byſſo. Veſtibus carere non poſſumus, imò honeſtam veſtem cuivis etiam pro ſua facultate Dominus concedit. Vide 1. Tim. 2. v. 9. Prov. 31. v. 21. 22. Jud. 14. v. 13. Matth. 22. v. 12. Gen. 27. v. 15.

Damnatur igitur hîc

1. *Pretioſitas.* Si quis intra limites conditionis ſuæ non permanet, ſed ſerico, purpurâ & byſſo veſtitur, cùm panno deberet eſſe contentus, quod hodie communiter fieri experientia teſtatur. Sed ô cinis & pulvis quid gloriaris? Sir. 10. v. 9. An neſcis, quod veſtes ſunt ſignum reatus? In ſtatu Integritatis parentes noſtri incedebant nudi, & non erubeſcebant, Geneſ. 2. verſ. 25. poſt lapſum autem fecit ipſis Deus tunicas pelliceas, & induit eos, ut nuditatem ſuam tegere poſſent, quæ jam ruborem illis conciliabat, Geneſ. 3. verſ. 21. Veſtes igitur

igitur oſtendare nihil eſt aliud, quàm ſi fur de in uſto ſtigmate vellet gloriari. Moriendum tandem & purpurâ & ſerico indutis, Sir. 40. v. 4. Dominus ſubvertet eos ad extremum, Sir. 10. v. 16. quid profuit ergò ſuperbia? Sap. 5. v. 8.

2. *Copioſitas.* Neceſſitati enim ſerviunt veſtes non luxui. Turpe igitur ciſtas veſtibus replere, & Chriſtum in pauperibus nudum relinquere, quorum curam Deus omnibus, & inprimis his, qui bona multa poſſident, ſeriò injunxit Sir. 29. v. 1.

3. *Curioſitas.* Excogitantur enim quotidie novi habitus, & hic Gallico, ille Hiſpanico, iſte Anglico more veſtimenta ſua mirabiliter feneſtrata, fimbriata & ſegmentata jactitat, quod certè maximæ levitatis indicium eſt, quam Deus averſatur, Ezech. 23. v. 6. & viſitabit omnes qui peregrino habitu incedunt, Zeph. 1. v. 8.

2. *Luxuriâ.* Epulabatur enim quotidie ſplendidè. Liberalem menſam Scriptura non improbat. Crevit enim Deus cibos ad percipiendum, 1. Tim. 4. v. 3. & vinum ad lætificandum cor hominis, Pſ. 104. v. 15. confer Gen. 27. verſ. 4. 1. Reg. 4. v. 22. Eccleſ. 2. v. 4. ſeqq. ſed abuſus damnatur in his, qui epulantur

1. *Frequenter*, & dicunt: Venite, ſumamus vinum, & impleamur ſechá, & erit ſicut hodie ſic & cras, & multò amplius, Eſa. 56. v. 12. Talis erat Smyndirides, qui ſolebat dicere, ſe per totum annum ſolem nec orientem nec occidentem vidiſſe. Horum Deus venter eſt, ſed finis perditio, Phil. 3. v. 19.

2. *Indecenter*, dum ſanitatibus urgent proximum, Hab. 2. v. 15. & menſas vomitu implent, Eſa. 28. v. 8. qualis fuit Sardanapalus ultimus Aſſyriorum Rex, qui ſymbolum hoc ſuum monumento ſibi inſcribi curavit: Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas. De quo Ariſtoteles rectè: Quid aliud bovis ſepulchro inſcriberes? Huc pertinent etiam pocula obſcœna, quibus epulones hodierni gaudent, dum ex noctuis, urſis, caleeis, & talibus, quæ pudor dicere prohibet, vaſculis hauſtus propinant. Væ illis, Eſa. 5. verſ. 11.

3. *Nimis excellenter*, non contenti cereviſiâ aut vino communi, ſed Rhenanum, Hiſpanicum, Malvaticum, &c. & exoticos cibos ſibi apportari curant.

Heliogabalus ſexcenta ſtruthionum capita: Vitellius duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium in convivio appoſuiſſe leguntur. Smyndirides mille venatorum & totidem pene coquorum numero ſtipatus ad Dominæ ſuæ ædes venire ſolebat. Talis etiam ferculorum apparatus apud nos invaluit, quicquid avium volitat, quicquid piſcium natat, quicquid ferarum diſcurrit, noſtris ventribus ſepelitur, inquit Seneca. Hinc proverbium illud verum evadit: **Wir Teutſchen freſſen und ſauffen uns arm/ kranck und in die Höll hinein.**

O cave luxuriam! Sodomitas habes in conſpectu, quos propterea Deus igne perdidit & ſulphure, Ezech. 16. verſ. 49. par te pœna manet, ſi pari culpa te maculabis, 1. Cor. 6. v. 9. Gal. 5. v. 19.

3. *Immiſericordiâ.* Lazarum enim ante fores jacentem, & micas deſiderantem, repellebat, cum tamen canes ulcera ejus lingerent.

Sævitia plus quàm beluina! Deus eſt qui dat nobis frumentum, vinum, oleum, aurum & argentum, Oſ. 2. verſ. 8. & hoc etiam propter proximum, ut ipſius penuriam abundantiâ noſtrâ ſublevemus. Si quis igitur ſubſtantiam hujus mundi habet, & viſcera clau-

claudit coram fratre egente, quomodo charitas in eo manebit? 1. Joh.3. v.17. Certè, qui claudit aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit & ipſe, & non exaudietur, Prov. 21. v.13. damnatio enim ſine miſericordia erit ei, qui miſericordiam non præſtiterit, Jac. 2. v.13.

II. *Mortis terminum.* Nam dives mortuus & ſepultus eſt, inquit Evangeliſta. Ubi conſideranda venit

1. *Mortis neceſſitas*, quæ ſine diſcrimine divites rapit & pauperes, Pſ. 49. v.2. 3. 11. doctos & indoctos, Eccl. 2. v.16. magnos & parvos, Job.3. v.19. ſupremos & infimos, Eſa. 5. v.14. nullus hic ordo, Job.10. v.22. quis enim vivat & mortem non videat, Pſ. 89. v.49.

2. *Sepulturæ ſpectabilitas*, quæ divitum ultima gloria eſt in hoc mundo, ſed nihil facit ad beatitudinem. Corpus enim tantùm ſepelitur, anima verò abiit jam tum in domum æternitatis, Eccl.12. v.7.

III. *Animæ hoſpitium*, quod eſt infernus, v.23. ubi patiebatur

I. *Tormentum externum*, quod duplex hîc ponitur, *poſitivum & privativum*, hoc damni, illud ſenſus à Scholaſticis appellatur.

Poſitivum eſt

1. *Sitis intolerabilis.* Petit enim guttulam aquæ, ut linguam ſuam refrigeret. Per linguam peccaverat, æquum igitur erat, ut lingua etiam pœnam ſuam expireretur, juxta illud Sap.11. v.17.

2. *Dolor inexplicabilis.* Erat enim in βασάνοις, ut ipſe fatetur. Qualem igitur membrorum dilacerationem in tortura malefici ſentiunt, tales etiam erunt damnatorum cruciatus. In hâc vita dolores membrorum corporis ſunt particulares, unus torquetur dolore dentium, alter oculorum, tertius podagrâ: ſed in inferno omnia damnatorum membra doloribus torquebuntur, & quidem talibus, quales maleficiorum in tortura pendentium vel etiam parturientium eſſe ſolent, ut vox ὀδυνῶμαι teſtatur. Tradentur enim tortoribus, Matth. 18. v. 34. & in extremas tenebras conjicientur, ubi fletus eſt & ſtridor dentium, Matth. 13. verſ. 42.

3. *Flamma durabilis.* Hinc vocatur ſtagnum ignis, Apoc. 20. v. 14. & de damnatis dicitur, quod torquebuntur igne & ſulphure, ita ut fumus tormentorum aſcendat in ſeculum, Apoc. 14. v.10. 11. neque leviter duntaxat comburentur, ſed torquebuntur in illa flamma intus & extra.

Contrecta digitulo ignem & experieris, quantū dolorem molliſſimè tactus afferat. Jam verò damnati hærebunt in flamma ignis perpetuò cujus una ſcintilla plus torquet, quàm omnes flammæ ignis terreni vel elementaris. Nam requiem non habebunt die & nocte, Apoc.14. v.11.

Privativum tormentum oritur ex ſubtractione beneficiorum divinorum, quibus electi gaudent, damnati autem privati ſunt, quorum hîc tria denominantur

1. *à Deo ſeparatio.* Videbat enim damnatus epulo Lazarum è longinquo. Unde apparet, ſicut damnati in hac vita elongati fuerunt à vita quæ ex Deo eſt, Eph. 4. v.18. quod ita etiam elongabuntur in altero ſeculo à beatifica Dei viſione. Deum autem non videre ſuperat omnia gehennæ ſupplicia. Eſt enim lux, amor, vita, omnia in omnibus, 1. Cor.15. v.28. qui igitur à Deo ſeparatur, ſeparatur à luce, & in tenebris hæret, ſeparatur à vita, & æternum moritur, ſeparatur ab amore, & in perpetuo diſſidio & contradictione vitam tranſigere cogitur.

2. *Petitionis denegatio.* Non enim poteſt impetrare guttulam aquæ, quâ linguam refrigeret, neque ablegationem Lazari ad fratres ſuperſtites. Omnia ipſi denegantur. Hîc tempus eſt gratiæ, qui negligit, illud poſteà fruſtrà orabit, & cum virginibus fatuis excludetur, Matth. 25. v. 12.

II. *Tormentum internum*, quod auget

1. *Amiſſi dolor.* Nam fili, inquit Pater Abraham, recordare, quod bona receperis in vita tua, & Lazarus mala, nunc autem hic ſolatio fruitur, tu verò cruciatis.

Dura nimis miſeris memoratio priſca bonorum, inquit Poëta. Sicut enim paupertas illi gravior & moleſtior eſt, qui olim fuit dives: Ita hæc recordatio bonorum priſtinorum damnatos graviſſimè cruciabit, inprimis memoria gratiæ in Evangelio oblatæ, quod recordabuntur, ſe potuiſſe pœnas haſce infernales effugere, & non feciſſe, Sap. 5. verſ. 6.

2. *Commiſſi pudor.* Nam de fratribus ſollicitus eſt, ut ad pœnitentiam perducantur, & non eveniant in locum tormentorum. Unde colligimus, quod pœniteat ipſum vitæ malè tranſactæ, ſed nimis ſerò. Ex inferno enim nulla redemptio, Pſ. 49. v. 15. Hic erit vermis damnatorum, qui non moritur, nimirum vermis conſcientiæ, Eſa. 66. verſ. 24. quo impulſi clamabunt: Montes cadite ſuper nos, &c. Apoc. 6. verſ. 16.

III. *Tormentum æternum.* Magnum enim chaſma inter beatos & damnatos firmatum eſt, inquit Pater Abraham. Hoc demum maximè auget damnatorum ſupplicia, quod nullam ſpem liberationis vel mitigationis habent. Sic enim vivent, ut nunquam moriantur, & ſic morientur, ut ſemper vivant, Apoc. 9. verſ. 6. nulla damnatis ſpes ſupereſt & conſolatio, Sap. 3. v. 18. hinc vocatur ignis æternus, Matth. 25. v. 41. opprobrium æternum, Dan. 12. v. 2. interitus æternus, 2. Theſſ. 1. v. 9.

De Secundo.

SUpereſt ut perpendamus etiam *ſtatum Lazari* pauperis, qui præbet nobis

I. *Speculum Crucis*, cui omnes verè pii in hoc mundo ſubjecti ſunt. Eſt enim

1. *Abjectus*, & ante fores epulonis jacere cogitur. Ita adhuc hodie deridetur juſti ſimplicitas, & lampas contemta eſt in oculis divitum, Job. 12. v. 5.

2. *Mendicus*, & rebus ad victum & amictum neceſſariis deſtituitur, unde micas petit, quæ de menſa cadunt. Ita pii ut plurimùm pauperes ſunt in hoc mundo, & micas colligere coguntur, ut teſtatur exemplum Tobiæ c. 4. v. 23. & ipſius filii Dei, qui propter nos pauper factus eſt, ut paupertate ſua nos ditaret, 2. Cor. 8. v. 9.

3. *Ulceroſus.* Ita pii in hoc mundo ſua habent ulcera hæreticos nimirum & tyrannos, Epicuræos & hypocritas, qui veram Eccleſiam & genuina ipſius membra affligunt, qualia erant Sodomitæ, 2. Pet. 2. v. 8. Baalitæ, 1. Reg. 18. ſeqq. auditores Jeremiæ, c. 11. v. 19. 18. v. 18.

Hoc ſpeculum intuemur, quoties ejusmodi nobis ſubrepunt cogitationes, quod felices ſint apud Deum in gratia, ærumnoſi non item. Fallit hoc mundi judicium. Quis felicior divite? quis miſerior Lazaro? tamen hic non ille Deo gratus & acceptus fuit. Nemo poteſt gaudere in utroque ſeculo, inquit Auguſtinus. Impii hîc ſaginantur bonis terrenis ad diem mactationis, Jer.

Digitized by Google

Jer. 12. v. 3. Jac. 5. v. 5. piis verò Deus iter aſperum facit in hoc mundo, ne dum ſunt in via, obliviſcantur eorum, quæ ſunt in patria. Qui enim hîc rider, ibi flebit & lugebit, Luc. 6. v. 25.

II. *Speculum Lucis.* Si contemplamur

1. *Divinam recordationem.* Nomen divitis non exprimitur; fuit enim è numero eorum, de quibus dicitur Pſal. 9. v. 6. periit impius, nomen eorum deleviſti in æternum, item Eccleſ. 6. v. 4. nomen ejus tenebris operietur, & Job. 18. v. 17. memoria ejus pereat de terra, & non celebretur nomen ejus in plateis. Sed pauperis nomen exprimitur, quia eſt de numero oviculatum Chriſti, quas ipſe nominatim vocat, Joh. 10. v. 3. & in manu deſcripſit, Eſa. 49. v. 16. nam in memoria æterna erit juſtus, Pſ. 112. v. 6.

2. *Crucis mitigationem.* Cum enim nemo hominum Lazari miſeretur, canes Deus excitat, qui ulcera ejus lingendo purificant. Ita corvi panem & carnes apportabant Eliæ in exilio, 1. Reg. 16. v. 6. maxilla aſini fontem præbebat Simſoni, Jud. 15. v. 19. Omnes Creaturæ Deo ſerviunt & mandata ejus exequuntur, Sir. 40. v. 37.

3. *Plenariam liberationem*, quæ contigit ipſi per mortem beatam, quam comitatur

1. *Angelorum miniſterium.* Nam angeli ſuſcipiunt animam ejus. In vita neminem poterat habere vel conſolatorem, vel auxiliatorem, vel cibatorem, ſed jam non unum tantùm, ſed plures habet, angelos qui ipſi famulantur. O gaudete dilecti, angelos habetis cuſtodes, qui non tantùm in viis hujus vitæ, Pſ. 91. v. 11. ſed in ipſa potiſſimùm mortis horula veſtri curam habent, & contra Satanam pugnant, qui eo tempore omnem movet lapidem, ut animam rapiat, & in æternum exitium ſecum abducat, Epiſt. Judæ v. 9. Apoc. 12. v. 7.

2. *Dulce refrigerium*, quod deſcribitur

1. *Ratione hoſpitii.* Nam in ſinum Abrahæ deportatur anima Lazari ab Angelis. Abraham eſt pater credentium, Rom. 4. v. 11. qui ergò inſiſtunt veſtigiis fidei ipſius, colliguntur in hunc ſinum, & æternæ beatitudinis cum Abrahamo aliquando participes erunt. Dicitur aliàs paradiſus, Luc. 23. v. 43. Manus Dei, Sap. 3. v. 1. terra viventium, Pſ. 27. v. 13.

2. *Ratione ſolatii.* In ſinu matris tutò deliteſcit & optimè quieſcit infans: Ita quieſcent pii ab omnibus laboribus ſuis, & ſicut mater conſolatur filios ſuos: ita conſolabitur eos pater cœleſtis, Eſ. 66. v. 13. ad quam conſolationem nos aliquando perducat Chriſtus Jeſus, Amen.

Dominica II. poſt Trinitatis.

Evangelium, Luc. 14. v. 16. 24.

AHaſverus potentiſſimus Perſarū Rex, qui centum & viginti ſeptem provinciis ab India usque ad Æthiopiam dominabatur, lautiſſimum Satrapis & Optimatibus ſuis paravit convivium, ad oſtendendas divitias regni ſui, quod duravit centum & octuaginta dies. Cumq; implerentur dies Convivii, invitavit omnem populum, qui inventus eſt in Suſan à maximo usque ad minimum & convivium præparari juſſit ſeptem diebus. Septimo die, cum Rex eſſet hilaris vino, miſit Principes quos-

dam, ut introducerent Reginam Vaſthi, volebat enim cunctis populis & Principibus oſtendere pulchritudinem ejus. Sed illa renuit venire, unde iratus Rex libellum ipſi mittit repudii, & Eſtheram ſubſtituit, Eſth. 1. & 2.

Convivium longè magnificentius deſcribitur in hodierno Evangelio, quod Rex ille Regum & Dominus Dominantium univerſæ hominum multitudini inſtituit. Primò vocavit Judæos, qui erant Dei populus & electum ejus peculium, taliter non fecit ulli nationi, Pſ. 147. v. 20. ſed cum venire nollent, emiſit ſervos ſuos in vias & ſepes, quo nomine gentiles intelliguntur, cum enim Judæi repellerent ſermonem, & ſeipſos vitâ æternâ indignos judicarent, Apoſtoli emiſſi ſunt ad gentes, Act. 13. v. 46.

Evangelium conſtat tribus partibus:

I. Hoſpitis clementia.

II. Invitatorum negligentia.

III. Pœna conſequentia.

J. J.

EXEGESIS.

GUſtate & videte quàm ſuavis ſit Dominus, exclamat David Pſ. 34. v. 9. Praxin hujus exhortationis poſſumus habere in prælecta pericope, ubi ſuavitatem ſuam quàm maximè guſtandam Dominus proponit, ſi ſpectemus.

1. Cœna præparationem. Nam homo quidam, inquit Chriſtus, fecit cœnam magnam. Homo hic Deus ipſe eſt, qui ob ſummam φιλανθρωπίαν homo dicitur, deliciæ enim ejus cum filiis hominum, Prov. 8. v. 31. & licet ſibi ſufficientiſſimus erat in beatitudine ſua, nec vel hominum vel angelorum opera indigebat, tamen quia omne bonum eſt communicativum ſui, beatitudinem hanc nobis communicare voluit, dum Eccleſiam ſibi collegit, in qua cœnam illam magnam nobis apparat. Diabolus primis noſtris parentibus in paradiſo triſte jentaculum propinaverat, ex quo ſibi & omnibus ipſorum poſteris mortem comederant: ſed cœna, quam Deus circa mundi veſperam per doctrinam Evangelii inſtituit, reſarcit illud damnum, quod jentaculo ſuo Diabolus in paradiſo nobis intulit. Quotquot enim ad hanc cœnam vocati verâ fide ſeſe ſiſtunt, illis paratum eſt, ut cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo recumbant in regno cœlorum, Matth. 8. verſ. 11. & ſuper menſam Chriſti edant & bibant, Luc. 22. verſ. 30.

2. *Multorum invitationem.* Per multos hîc intelliguntur præcipuè Judæi, qui in V. T. erant Dei peculium, quorum etiam erat adoptio & gloria, teſtamentum & legiſlatio, obſequium & promiſſio, Rom. 9. verſ. 4. His primùm oportebat loqui verbum Domini, Actor. 13. verſ. 46. Interim tamen gentibus gratia non abſolutè & ſimpliciter fuit denegata, quod exempla tum privatarum perſonarum, ut Jethronis, Ruthæ, Rahab, &c. tum integrorum populorum, ut Gibeonitarum, Ninivitarum, &c. abunde teſtantur: ſed in N. T. per prædicationem Evangelii omnes gentes ad cœnam hanc vocati ſunt. Notantur igitur tria tempora, quibus illa vocatio Dei ad cœnam hanc diſtingui poteſt.

1. Tempus ante Chriſtum. Hoc ſubinnuitur vocabulo ἐποίησε. In V. T. enim mera fuit παρασκευὴ per varios typos, qui futurorum bonorum umbræ dicuntur, Ebr. 10. v. 1.

2. *Tem-*

2. *Tempus ſub Chriſto.* Ibi Deus emiſit ſervum ſuum in ſingulari, quo nomine Meſſias intelligitur, Eſa. 53. v. 11. & quidem ipſa cœnæ horâ, hoc eſt, poſtremo mundi tempore, Ebr. 1. v. 2, hæc vocatio fuit univerſalis, Matth. 11. v. 28.

3. *Tempus poſt Chriſtum*, ubi in plateas & vicos emiſſi ſunt Apoſtoli, & adhuc emittuntur legittimi eorundem ſucceſſores, ut omnes homines adducant, inde Legati Dei appellantur, 2. Cor. 5. v. 20.

Meritò igitur hanc Dei benignitatem admiramur, exclamantes cum Davide Pſ. 36. v. 8. Quàm pretioſa Deus eſt miſericordia tua, filii hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Inebriantur à pinguedine domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Haman gloriabatur coram domeſticis ſuis, quod ſolus cum Rege ad menſam Reginæ Eſther vocatus eſſet, Eſth. 5. v. 12. ſed quid Eſtheræ convivium ad cœnæ hujus lauticias? Gaudete igitur Vos mei, bonum Dominum habemus, qui expectat ut noſtri miſereatur, Eſ. 30. v. 18. expandit manus ſuas tota die, Eſa. 65. v. 2. & ſeriò vult omnes ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Tim. 2. v. 4.

3. *Lautiſſimam cibationem.* Nam omnia parata ſunt, inquit Paterfamiliâs. Non eſt cœna ſymbolica, ad quam unusquisque convivarum de ſuo aliquid affert, ſed cœna hominis divitis, in qua omnia parata & lautè inſtructa ſunt, ut non opus ſit noſtro ſubſidio. Chriſtus enim cum ſuo merito nobis omnia præſtat, 1. Cor. 1. v. 30. ipſe eſt agnus, Joh. 1. v. 29. Cerva matutina, Pſ. 22. v. 1. Caprea & hinnulus cervorum, Cant. 2. v. 9. vitulus ſaginatus, Luc. 15. v. 23. aries, Gen. 22. v. 13. Gallina, Matth. 23. v. 37. panis vivus, Joh. 6. v. 33. &c.

Apparet inde, vitam æternam eſſe χάρισμα Dei in Chriſto Jeſu, Rom. 6. v. 23. quia nihil afferre jubemur ad hanc cœnam de noſtris meritis, ſed jam tum omnia per Chriſtum parata ſunt. Venite igitur omnes ſitientes ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite, venite emite, absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac, &c. Eſa. 55. v. 1. 2.

De Secundo.

Vidimus hoſpitis clementiam, videbimus etiam *ſupinam invitatorum negligentiam*, de qua Lucas: Et cœperunt ad unum omnes ſe excuſare. Hæc propriè de Judæis intelligenda ſunt, quos Deus per Johannem Baptiſtam, per Apoſtolos, imò per filium ſuum ad cœnam hanc invitaverat, ſed illi repudiabant hanc vocationem, & varias prætexebant excuſationes, quas in tres claſſes ipſe Chriſtus parabolicè diſtribuit.

Ad 1. Claſſem pertinent *Operarii*, qui agriculturam prætendunt, & majorem bonorum terrenorum curam habent, quàm auditus verbi divini, adeoq; mundana præferunt cœleſtibus, in hoc unicè incumbentes, ut agrum agro conjungant, Eſ. 5. v. 8. contra expreſſum Chriſti præſcriptum Matth. 6. v. 33.

Ad 2. claſſem pertinent *Vſurarii*, qui proximũ defraudant, & variis mercimoniorum contractibus impliciti, theſaurum, quem in cœlis repoſitum habent, petulanter negligunt. Nam propter inopiam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, avertit oculum ſuum, inquit Siracides cap. 27. verſ. 1. timeant ergò mercatores Deum, in emendo & vendendo juſtè agant, Sirach. 42. verſ. 5. nec illis ſe aſſocient, qui dicunt, quando tranſibit Sabbathum, ut

Digitized by Google

vendamus frumentum, &c. Amos 8. v. 5. in quorum manu ſtatera doloſa, Oſ. 12. v. 7. qui loquuntur mendacium repleti iniquitate, Mich. 6. v. 11. ſed ante omnia ſpiritualem animæ mercaturam exerceant, de qua Chriſtus Matth. 13. v. 45. quid enim proſunt theſauri iniquitatis, Prov. 10. v. 2. ſi damnum patitur anima, Matth. 16. v. 26.

Ad 3. claſſem pertinent *Voluptuarii*, qui illicitis voluptatibus corporis ſe turpiter dedunt, & præ nimia eorundem cupiditate verbum Dei negligunt, quales multi reperiuntur, qui non propter ordinationem Dei & propagationem generis humani, ſed ut voluptatibus carnis indulgeant, uxores ducunt, vel etiam propter uxorem & liberos injuſtitiæ ſtudent, & hoc nomine excuſationem ſibi fingunt, quia velit Deus, ut domeſticorum curam habeamus, 1. Tim. 5. verſ. 8.

Unus quisque igitur hoc loco ſe examinet, an ſit etiam in numero horum contemtorum. Certè neglectus verbi divini multum invaluit. Plauſibiles quidem cudunt ſibi politici excuſationes, ſed nihil valebunt in extremo judicio. Iſta facienda, ſed hæc non omittenda erant, Matth. 23. v. 23. eligamus igitur cum Maria optimam partem, quæ non auferetur à nobis in æternum, Luc. 10. v. 42.

De Tertio.

Supereſt *pœna conſequentia*, quæ duplex

I. *Iræ divinæ exaſperatio*, v. 21. ſi quem igitur ſumma patris cœleſtis φιλανθρωπία ad amplexandam divinam vocationem non excitat, hunc ira ipſius deterrere meritò debet, quæ ardet uſq; ad infernum inferiorem, Deut. 32. v. 22. & omnes creaturas ſimul ad prœlium concitat, Sap. 5. v. 18. ut non abs re dicat Apoſtolus Ebr. 10. v. 31. horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Intolerabilis enim ira eſt, quam peccatoribus minatur, inquit Manaſſes in oratione ſua. Ne ergò dicas, miſericordia ejus plurima eſt, multitudinem peccatorum meorum mihi ignoſcet. Tàm enim ira quam miſericordia ab eo properabit, ac ſuper ſceleratos furor ejus requieſcet, Sir. 5. v. 6. 7.

Exaggeratur hîc triplici effecto.

1. Eſt *Contemtorum rejectio.* Quia enim venire recuſabant Judæi, quos primò invitaverat, rejecit eos, & famem verbi immiſit, Amos 8. v. 11. ut nunc palpent in tenebris, audientes non audiant, & intelligentes non intelligant, Eſa. 6. v. 9. ita punit adhuc hodie contemptum verbi ſui, 2. Theſſ. 2. v. 10. 11. nam Eccleſiam habet ambulatoriam, quæ nulli neque loco, neque populo alligata eſt, Act. 10. v. 35.

2. *Exterorum receptio.* Nam in vias mittit & ad ſepes, & claudos, cœcos & mancos adducere jubet, quod de vocatione gentium intelligendum eſt. Hæ enim ambulabunt in tenebris, & in umbra mortis ſedebant, Matth. 4. v. 16. declinaverant omnes & inutiles facti erant, Rom. 3. v. 12. imò abalienati erant à vita quæ ex Deo eſt, Eph. 4. v. 18. ſed Deus naturales ramos, judæos nimirum, propter ipſorum incredulitatem confregit, & gentes inſertas radicis & pinguedinis olivæ participes fecit, Rom. 11. verſ. 17.

Prædicemus igitur virtutem ejus, qui nos è tenebris vocavit in admirabilem ſuam lucem, 1. Pet. 2. v. 9. Dicat cœcus: illumina Domine oculos meos, Pſalm. 13. verſ. 4. dicat claudus: dirige pedes meos in viam pacis, Luc. 1. verſ. 79. & duc me in juſtitia

tua,

tua, ne ambulem in via peccatorum, Pſ. 1. verſ. 1. dicat debilis: miſerere mei Jehova, quia debilis ſum, ſana me, quoniam territa ſunt oſſa mea, Pſalm. 6. verſ. 3. Pater enim cœleſtis, qui cœnam hanc inſtituit, dives eſt ſuper omnes invocantes eum, Rom. 10. v. 12.

3. *Refractariorum compulſio*, quæ non fit externa vi aut gladio, ſuadenda enim fides, inquit Bernhardus, non imponenda. Qui igitur hoc tentant, neſciunt cujus Spiritus ſint filii, Luc. 9. v. 55. Sed

1. *Concione legali*, quando miniſtri Eccleſiæ legem acuunt, & refractariis verbi divini contemtoribus iram Dei denunciant, quod eorum eſt officium, 2. Tim. 4. verſ. 2.

2. *Executione pœnali*, quando Deus vel per magiſtratum ordinarium, qui cuſtos eſt primæ & ſecundæ tabulæ, vel per ſingulares & immediatos animadverſiones contemptum verbi & Sacramentorum vindicat, ſic Paulum furentem & perſequentem tonitru proſternit, Actor. 9. verſ. 4. alium lectulo ægritudinis affligit, Apoc. 2. verſ. 22. alium bello, peſte, fame compellit, &c. hoc eſt illud trahere, de quo Chriſtus ait Johan. 6. verſ. 44. qui enim conciones verbales contemnit, & per has ad Dominum ſe compelli non patitur, frenum patiatur oportet, quo maxillæ confringantur, Pſalm. 32. verſ. 9.

II. *Plenaria ſalutis denegatio.* Nam dico vobis, inquit Salvator, quod nemo illorum, qui vocati ſunt, cœnam meam guſtabit. Horrendum certè fulmen, quod Chriſtus ingratis cœnæ hujus contemtoribus annunciat. In aliis conviviis jactura non adeò magni æſtimatur. Poteſt quis domi viliori cibo contentus ſeipſum alere: ſed qui cœnam hanc negligit, eſuriet & ſitiet in omnem æternitatem, quam ineffabilem miſeriam avertat à nobis Deus benigniſſimus, & menſæ ſuæ cœleſti nos aſſociet, ut panem comedamus in regno cœlorum per & propter Chriſtum Jeſum Salvatorem noſtrum in ſecula benedictum, Amen.

Dominica III. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 15. verſ. 1. 10.

CUm Moſes Æthiopiſſam ſibi matrimonio junxiſſet, inſurgunt adverſus ipſum Aaron & Miriam, quia putabant hoc fratris ſui factum in maximum totius familiæ dedecus redundaturum, Num. 12. verſ. 1.

Idem accidit in hodierno Evangelio. Poſtquam enim Propheta ille magnus, quem Deus loco Moſis populo ſuo promiſerat, Deut. 18. v. 15. Publicanos & peccatores in familiaritatem ſuam admitteret, eorumque conſortio delectaretur, Phariſæi & Scribæ murmurant adverſus illum, ſed perperam. In hoc enim venerat, ut lapſos ad pœnitentiam revocaret, Marc. 2. v. 17. & quæreret quod perierat, Matth. 18. v. 11. ſicut ipſe prolixâ concione officium ſuum declarat.

Nos ad manus ſumemus Evangelium, quod tribus partibus abſolvitur ut ſunt:

I. Publi-

I. Publicanorum reſipiſcentia.
II. Phariſæorum malevolentia.
III. Apologia Chriſti evidentia.
vel ita:
I. Publicanorum appropinquatio.
II. Phariſæorum murmuratio.
III. Apologetica Chriſti peroratio.
J.J.

EXEGESIS.

DOminicâ proximè præcedente habuimus parabolam de cœna magna. Jam ſequitur doctrina, quomodo ad illam pervenire poſſimus, nimirum per veram pœnitentiam, ſi cum Publicanis Chriſtum accedamus. Refert enim Lucas in prælecta pericope, quod acceſſerint ad eum omnes Publicani & peccatores, ut audirent illum, ubi tria ventilanda occurrunt:

I. *Subjectorum ſpecificatio*, quorum deſcribitur

1. *Multitudo.* Nam omnes Publicani, inquit Evangeliſta, accedebant ad eum, quæ ſynecdochica eſt locutio, intelliguntur enim omnis generis peccatores, qui ex circumjacentibus regionibus ad Chriſtum properabant, cujus rei elegantem týpũ habemus in Davide, ad quem in exilio veniebant omnes, qui in anguſtia erant conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, 1. Sam. 22. v. 2. Ita Publicani & peccatores in magna copia ad Chriſtum confluunt, eumq; ut ducem & defenſorem ſuum eligunt. Ipſe verò licet eſſet unigenitus Dei filius, Joh. 1. v. 18. & Rex gloriæ, Pſal. 24. v. 8. Publicanos tamen in clientelam ſuam recipere non erubuit. Valenti enim non opus eſt medico, ſed ægrotis, Matth. 9. v. 12. 13.

Sint igitur multi peccatores, ſint multa peccata, multa etiam apud Dominum miſericordia & copioſa redemptio, Pſ. 130. v. 7.

2. *Turpitudo.* Quinam erant Publicani? Certè omnium hominum nequiſſimi & perditiſſimi, qui certo pretio vectigalia à Romanis conducebant, deindè verò ſupramodum immoderatis exactionibus homines expilabant, ut Zachæus ad Chriſtum converſus ipſe fatetur Luc. 19. v. 8. hoc homine malè audiebant apud omnes Judæos, & notoriis peccatoribus annumerabantur, Matth. 18. v. 17.

Si igitur Publicanus es, ſi peccatores, & quidem primus omnium, ut Paulus ait, 1. Tim. 1. v. 15. ne deſpera cum Caino, Gen. 4. v. 13. ubi exuperat delictum, ibi exſuperat gratia, Rom. 5. v. 20. aſpice Davidem, Petrum, Paulum, &c. qui venit ad me, non ejiciam illũ forâs, inquit Chriſtus Joh. 6. v. 37.

II. *Facti ponderatio*, nimirum accedebant ad Chriſtum. Exemplum hoc imitari nos convenit. O quàm multi inter nos reperiuntur Publicani & peccatores, ſed pauci ad Chriſtum properant per pœnitentiam, vix eſt quem facti pœniteat, & dicat, quid feci? Jer. 8. v. 6.

Vos verò, dilecti, accedite cum Publicanis, & quærite Dominum, dum inveniri poteſt, Eſa. 55. v. 6. nec differte converſionem de die in diem, Sir. 5. verſ. 8. Chriſtus eſt unicum propitiatorium, Rom. 3. verſ. 25. & cornu ſalutis, Luc. 1. verſ. 69. quemadmodum igitur in V. T. ſervabantur, qui ad aram confugientes ejus cornua apprehendebant, Exod. 21. v. 14. 1. Reg. 2. verſ. 28. Ita qui ad Chriſtum confugit, ab exitio & morte æterna ſervabitur, factus enim eſt nobis in ſapientiam & juſtitiam, in ſanctificationem & redemptionem, 1. Cor. 1. verſ. 30.

III. *Scopi*

Digitized by Google

III. *Scopi deſignatio*, cur acceſſerint, nimirum ut audirent Chriſtum, & ex concionibus ejus tàm conſolationem quàm informationem perciperent, quomodo impoſterum piè vivere & Deo ſervire debeant. Hactenus audiverant Johannem Baptiſtam, qui malleo legis conſcientias ipſorum pulſaverat, & omnes ordines & ſtatus ſui officii admonuerat, præſertim Matth. 3. v. 8. quam concionem etiam Publicani & peccatores audiverant. Proinde nolunt amplius differre ſuam pœnitentiam, & ſi ad radicem arboris ſecuris jam cum poſita eſt, cogitant, periculum certè in mora erit, nam quocunque loco ceciderit arbor, jacebit, Eccl. 11. v. 13.

Videmus hîc quid faciendum ſit illis, qui ex inſtinctu Diaboli & carnis infirmitate in peccata graviora prolapſi æterno exitio ſe ipſos obnoxios reddiderunt. Non audiant Diabolum, qui ipſos jubet deſperare, non carnem quæ ſuadet in via peccatorum pergere., ſed Chriſtum audiant, qui dicit: venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos, Matth. 11 verſ. 28, & pallio juſtitiæ ſuæ omnes iniquitates noſtras tegere poteſt, Pſ. 32. v. 1. ſurgat igitur primò Johannes Baptiſta, & legem acuat, deinde ſuccedat Chriſtus oleo gratiæ & vulnera liget, ne deſperet peccator, ſed per fidem ſervetur ad vitam æternam. Scilicet hic ordo eſt, quem Chriſtus inſtituit, ut primò pœnitentia, deinde remiſſio peccatorum in nomine ejus prædicetur, Luc. 24. v. 47.

De Secundo.

FUit Publicanorum reſipiſcentia, ſequitur *Phariſæorum malevolentia*, murmurabant enim & dicebant: Hic peccatores recipit, & manducat cum illis, quæ ipſorum verba ſunt

1. *Verba æmulantium*, invident enim Chriſto ejuſdemque diſcipulis conſortium humanum, quod Publicani ipſum accedebant & doctrinam ejus approbabant. Hoc ipſis quaſi innatum & congenitum erat, ut exempla teſtantur, Luc. 19. v. 7. Matth. 9. v. 11. 12. Luc. 6. v. 2. Matth. 21. v. 15. ſed etiam plures hodie laborant hoc morbo, dum plerunque pauperes adverſus divites, inferiores adverſus ſuperiores, indocti adverſus doctos murmurant, iiſdemque ſortem & felicitatem ſuam invidere animadvertimus, Eccleſ. 4. v. 4.

Caveamus igitur, ne ſimus murmuratores queruloſi, Epiſt. Jud. v. 16. multò minus adverſus Deum murmuremus, ſicut quidam eorum murmurbant, 1. Cor. 10. v. 10. nec invideamus invicem, Galat. 5. v. 15. ſed quilibet contra ſe murmuret & contra peccata ſua, Thren. 3. v. 39.

2. *Verba ſubſannantium.* Erat Chriſtus imago inviſibilis Dei, Col. 1. v. 15. & character ſubſtantiæ ejus, Ebr. 1. v. 3. imò Deus benedictus in ſecula, Rom. 9. v. 5. nihilominus Phariſæi ipſum adunco naſo ſuſpiciunt, & adeò floccipendunt, ut nomen ejus appellare ſibi opprobrio ducant. Hinc ſimpliciter pronomen hic uſurpant: Hic inquiunt, peccatores recipit, & manducat cum illis.

Tales hodie multos invenias, qui volunt *αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων*. Sic Gaal deſpexit Abimelech, Jud. 9. verſ. 28. Goliath Davidem, 1. Samuel. 17. verſ. 43. Haman Mardochæum, Eſth. 5. verſ. 13. ſed quis es tu, qui judicas ſervum alienum, Rom. 14. v. 4. potius obligati ſumus, ut ſi quis præoccupatus fuerit delicto aliquo, inſtauremus ipſum Spiritu manſuetudinis, & nosmetipſos conſideremus, ne & nos tentemur, Gal. 6. v. 1. 2. 3. 4.

Digitized by Google

3. *Verba calumniantium:* Hoc enim volunt dicere: De Meſſia prædictum eſt, quod ſit ſanctus ſanctorum, Dan.9.verſ.24. ſed hic Jeſus cum publicanis & peccatoribus converſatur, Ergo non poteſt eſſe verus Meſſias, juxta verſiculum:

Noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe.

Duo igitur hîc improbant:

1. *Converſationem* dicentes: Hic peccatores recipit. Vitanda utiq; familiaritas hoſtium ſinceræ religionis, ne nos peccare faciant, Exod.23. v.32. aut nobis in ruinam cedant, Exod.34 v.12. Obſervetur tamen diſtinctio inter dociles & contumaces. Cum illis licet converſari, fieri enim poteſt, ut lucremur eos, 1.Petr.2.v.12. hi verò poſt duas vel tres admonitiones fugiendi, Tit.3. v.10. cavendi, Matth.7.v.15. velut Ethnici habendi, Matth.18. v.17.

2. *Comeſſationem.* Certè Paulus nec cibum ſumendum præcipit cum eo, qui cum frater appellatur ſit ſcortator aut avarus, aut idololatra, aut ebrioſus, 1. Cor.5. v.11. ſed loquitur de tali converſatione, qua quis ſcelera probat, aut de iisdem participat, 2.Cor. 6.verſ.14. Chriſtus autem cum peccatoribus converſatur ipſum audientibus, non ut probet peccata eorum, ſed ut ab iisdem per veram pœnitentiam avocet. Interim ſtat regula Pauli inconcuſſa, ſi de notoriis & malitioſis peccatoribus ſermo ſit. Hi enim fugiendi ſemper & vitandi ſunt, tanquam dedecora Eccleſiæ, ne maculam inuramus profeſſioni Chriſtianæ, atque ita nomen Dei malè audiat, Rom.2. verſ.24. Eſa.52. v.5. vel communicemus peccatis alienis, 2. Joh.1. v.11. Eph.5.v.11. vel etiam deniq; aliis ſcandalo ſimus, 2.Cor.6.v.3.

Caveant igitur Paſtores Eccleſiæ, ne comeſſando & compotando impiorum conſortia ſectentur. Tales quidem mundus amat, Mich.2.v.11. ſed finis eorum perditio, Phil.3.v.19.

De Tertio.

Reſtat *apologetica Chriſti peroratio*, ubi duo nobis conſideranda occurunt:

I. *Miſera hominis conditio*, quam Chriſtus depingit

1. *Sub imagine ovicula.* Ante lapſum eramus oves paſcuæ Dei ſub uno paſtore cum beatis angelis, Pſ.100.v.3. ſed impoſturâ Diaboli deviavimus omnes, Eſa.53.verſ.6. quando igitur de ovicula concionatur Salvator, noſtram nobis revocat

1. *Infirmitatem.* Vix reperitur animal, quod pluribus obnoxium ſit morbis, atque ovicula, præſertim ſcabie inficitur, quæ non in uno aliquo individuo terminatur, ſed totum corrumpit ovile: Ita nos omnes leprâ peccati infecti ſumus à capite ad calcem, Eſa.1. verſ.6. quæ per naturalem generationem ad poſteros quoque devolvitur. Quis enim dabit mundum de immundo ſemine conceptum, inquit Job. c.14.v.4.

2. *Stoliditatem.* Sicut enim ovicula ſemel à grege & paſtoris conſpectu evagata nunquam per ſe redire poteſt, ſed magis atque magis deviat: Sic nos à ſemita juſtitiæ ſemel aberrantes, propriâ facultate redire non poſſumus, Deus enim eſt, qui operatur in nobis velle & perficere, Phil.2.verſ.13. nos autem à nobis tanquam ex nobis idonei non ſumus, aliquid bonum cogitare, nedum perficere, 2.Cor.3.v.5.

3. *Periculoſitatem.* Ovis aberrans niſi à paſtore reducatur, vel in præcipitia delabitur, vel à lupis feriſque rapacibus devoratur: Ita nos præda lupi infernalis futuri eramus, niſi

Digitized by Google

niſi Chriſtus revocaſſet nos ad ovile Eccleſiæ, 1. Pet. 2. v. 25.

Agnoſcamus hoc, dilecti, & cum Davide ſæpius repetamus: Erravi ſicut ovis, quære ſervum tuum, Pſ. 119. v. ult.

2. *Sub imagine drachmæ.* Fuimus initio pulchra moneta imagine Dei ſignata, & in gazophylacium Dei collocanda, ſed rubigo peccati abſterſit imaginem, ut nunc, proh dolor, ſimus drachma deperdita, inter quiſquilias è domo Dei penitùs eliminata. O maximam calamitatem, in quam homo per peccatum ſeipſum conjecit! Anteà erat drachma ad imaginem Dei impreſſa, quæ cōſiſtebat in vera juſtitia, ſapientia & ſanctitate, Eph. 4. v. 24. ſed nunc imago Dei amiſſa, & per falſarium Satanam planè depravata eſt, nam ad imaginem ſuam peccabilem Adam poſt lapſum liberos genuit, Gen. 5. v. 3.

II. *Benevola Chriſti affectio*, quæ patet

1. *Ex luctu omittentis.* Paſtor habebat adhuc nonaginta oves, nec unam tamen libenter amittit: Mulier habet adhuc novem drachmas, nihilominus propter unam amiſſam triſtitiâ afficitur. Pariter affectus eſt Deus erga nos. Non deſunt ipſi miniſtri cœleſtes, qui mandata ejus exequuntur, & celſitudinem ejus deprædicant, Dan. 7. v. 10. Apoc. 7. verſ. 9. 10. nihilominus ſalutem noſtram adeò vehementer deſiderat, ut nullius hominis interitu delectetur. Nam miſeratio ejus ſuper omnia opera ejus, Pſal. 145. verſ. 9.

2. *Ex labore requirentis.* Paſtor relinquit nonaginta novem oves in deſerto, & quærit perditam, idem facit mulier, imò lychnum accendit, verrit domum, nec conquieſcit, donec nummus inventus fuerit. Paſtor eſt Chriſtus ἀρχιποιμὴν, Johan. 10. v. 12. 1. Pet. 2. v. 25. is perditam requirit, abjectam reducit, confractam obligat, ægrotam conſolidat, Ezech. 34. v. 16. venit namq; quærere quod perierat, Matth. 18. v. 11. Mulier eſt Eccleſia, quæ lucernam accendit, nimirum lucernam verbi divini, & non ſub modio, ſed ſuper candelabrum ponit, ut lucem præbeat univerſis qui in domo ſunt, Matth. 5. v. 15. adhibet etiam ſcopas legalium comminationum, quando per miniſterium peccata malitioſis exprobrat, & pœnas exaggerat, quo vericulo David, 2. Samuel. 12. v. 15. Paulus, Actor. 9. v. 4. Ninivitæ, Jon. 3. v. 4. & alii quæſiti & inventi ſunt.

Quid igitur amplius facere debuit Deus, quod non fecit? Eſa. 5. v. 4. certè ex te perditio tua Iſrael, Oſ. 13. v. 9.

3. *Ex gaudio invenientis.* Gaudet Paſtor, gaudet mulier, gaudent vicini de ove reducta & drachma inventa. Ita dico vobis, inquit Chriſtus, gaudium erit coram angelis DEI ſuper uno peccatore reſipiſcente. Sunt enim adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium emiſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis, Ebr. 1. v. ult. imò tàm prompti ſunt ad ſervitium homini præſtandum ex ſanctâ erga Deum obedientia, ut gaudeant augeri numerum eorum per pœnitentiam, quibus porrò inſerviunt, quò pertinet etiam dictum Pſalmiſtæ, Pſ. 34. v. 8. Id verò nos excitare debet, ne procraſtinemus pœnitentiam, ſed quia quotidie cadimus, quotidie quoque reſurgamus, & angelis gaudii materiam conſervatione noſtra ſuppeditemus, ut ipſi tandem in conſortium eorum perveniamus & coram throno Dei & agni gaudeamus in æternum. Hoc faxit SS. Trinitas, Amen.

Digitized by Google

Dominica IV. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 6. verſ. 36. 42.

MAgi cum vidiſſent Chriſtum & adoraſſent, non reverſi ſunt ad Herodem, ſed per aliam viam in terram ſuam remigrarunt, Matth. 2. v. 12.

Egregiam B. Patres hinc nectunt Allegoriam, ut ſi quis prælucente ſtella fidei per pœnitentiam Chriſtum acceſſerit, non redeat poſthâc ad volutabra mundi, quod ſues in uſu habent, 2. Pet. 2. v. 22. ſed novam ingreſſus viam à relictis erroribus abſtineat. Veniſti per viam ſcortationis, inquit Chryſoſtomus, ambula de cœtero viam caſtitatis, veniſti per viam avaritiæ, ambula de cœtero per viam eleemoſynarum, veniſti per viam ebrietatis & temulentiæ, ambula de cœtero per viam ſobrietatis & temperantiæ. Arctiſſimo enim vinculo inter ſe cohærent pœnitentia & nova obedientia, quæ ſi non ſequitur, pœnitentia vera non fuit, quod inde patet, quia fides, quæ converſionis anima eſt, per charitatem operatur, Gal. 5. v. 6.

Ante octiduum didicimus à Publicanis, quomodo vias peccatorum relinquere & Chriſtum accedere poſſimus, nimirum per pœnitentiam. Jam ſequitur, quando conſecuti ſumus peccatorum remiſſionem, quomodo nos gerere debeamus, ut fidem noſtram oſtendamus, quæ abſque operibus mortua eſt, Jac. 2. v. 17. 18.

Partes Evangelii duæ ſunt:

I. Operum charitatis imperatio.

II. Parabolica illuſtratio.

J. J.

EXEGESIS.

CUm Rex non erat in Iſrael, quilibet faciebat, quod ſibi rectum videbatur, Jud. 21. v. ult. Hoc non procedit in Eccleſia. Habemus etiam Regem, qui leges nobis præſcribit, & expreſsè dicit: Ego Dominus Deus veſter, in præceptis meis ambulare, & judicia mea cuſtodite & facite ea, Ezech. 20. v. 19. vitemus igitur ἐθελοθρησκείαν, Col. 2. v. 18. fruſtrà enim ſervitur Deo mandatis hominum, Matth. 15. v. 9.

Epitomen adornavit nobis Chriſtus in hodierno Evangelio, quâ opera verè bona Deoque placentia nobis commendat:

I. *Generaliter* his verbis: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Miſericordia eſt affectus cordis compatientis ob alienam miſeriam, nec compatientis tantùm, ſed juvantis etiam vel re, vel conſilio, vel effectu & precibus, vel modo quocunque alio. Hæc eſt corona omnium virtutum, & catena illa aurea, quâ cœlum & terra invicem colligata ſunt. Chriſtus igitur, ut fidelis Architectus ſtructuram Spiritualis ædificii inchoat à fundamento. Ubi enim vera & ſincera eſt miſericordia, ibi non indigemus regulis, quomodo erga proximum nos gerere debeamus, ſed internus ille Doctor hæc omnia monſtrabit, hinc dilectio, ex qua oritur miſericordia, legis impletio dicitur, Rom. 13. v. 8.

Inſti-

Digitized by Google

Inſtiget nos

1. *Mandatum.* Non ſtat in tuo arbitrio, num velis exercere hanc virturem nec ne, ſed imperativus te obligat, quem talis tibi Dominus inſinuat, qui animam & corpus in gehennam perdere poteſt, Matth. 10. verſ. 28.

Centurio Capernaiticus habebat ſervos obedientiſſimos, Matth. 8. verſ. 9. nos etiam ſumus ſervi Dei, quid igitur magis decebit nos quàm obedientia. Obedientia melior eſt quàm victimæ, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum, 1. Sam. 15. verſ. 22.

2. *Exemplum*, quod eſt Patris cœleſtis, quem Chriſtus nos imitari vult, non ἁπλῶς, ſed κατά τι, hoc videlicet reſpectu, ut quantum in hac depravata natura fieri poteſt, opera miſericordiæ & dilectionis conformemus ad proprietates miſericordiæ divinæ. Miſericordia autem Dei eſt

1. *Cordialis*, Luc. 1. verſ. 78. Unde Pater miſericordiarum & Deus omnis conſolationis appellatur, 2. Cor. 1. v. 3. cujus miſericordia tanta eſt, quantus ipſe eſt, Sir. 2. v. 22. Ita noſtra miſericordia non in verbis aut geſtibus tantùm conſiſtat, ſed ipſo opere declaretur neceſſe eſt, Col. 3. verſ. 12. Jac. 2. v. 15. 16.

2. *Univerſalis*, Sir. 18. v. 2. Ita noſtra miſericordia ad omnes ſe extendat, tàm amicos quàm inimicos, Matth. 5. v. 44.

3. *Perpetualis*, Eſa. 54. v. 8. Thren. 3. v. 23. Ita & nos dum tempus habemus, bonum operemur ad omnes, & non deficiamus, Gal. 6. v. 9. 10.

Beati tales miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, Matt. 5. v. 7.

II. *Specialiter.* Ne enim quis ſeipſum decipiat, quaſi verè ſit miſericors, modò affectum habeat, licet effectus nunquam ſequatur: Specialia quædam opera recenſet, quæ ex miſericordia, ſi vera ſit & realis, promanare ſolent:

1. *Judicii temerarii deteſtatio.* Ita enim habet aphoriſmus Chriſti: nolite judicare, nolite condemnare. Quibus verbis non improbatur judicium ordinarium, quod in proximum delinquentem exercetur, vel in Eccleſia, Eſa. 58. v. 1. vel in politia, Exod. 18. verſ. 22. 2. Chron. 19. verſ. 6. ſed judicium temerarium, quando quis proximi nævos exaggerat, omnia quæ facit animo fortè non malo, in deteriorem partem interpretatur, & calumniatur. Hoc eſt vitium perquàm familiare in vita communi, ſed graviſſimè hoc ipſo peccatur

1. *Contra Deum*, Qui enim temere alios judicat, in Deum ipſum injurius eſt, & honorem Deo debitum ad ſe rapit, Roman. 14. verſ. 4.

2. *Contra proximum*, qui conſervus eſt illius, à quo judicatur. Conſervum autem judicare & condemnare, pugnat contra Chriſtianam charitatem, quæ non aperit ſed operit, non detegit ſed tegit multitudinem peccatorum, 1. Pet. 4. v. 8.

3. *Contra ſeipſum.* Obnoxius enim redditur judicio Dei, ut Chriſtus iudicat, quando dicit: Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Unde à contrario ſenſu elicitur, qui temerè alios judicant & condemnant, judicium & condemnationem divinam hoc ipſo ſibi attrahere. Quo enim judicio judicamus, eodem judicabimur, Matth. 7. v. 12. nolite igitur judicare ante tempus, quoaduſque Dominus veniat, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & con-

conſilia cordium manifeſtabit, tunc laus erit unicuique à Deo, 1. Cor. 4. v. 5.

2. *Fraterna reconciliatio.* Nam remitte, inquit Chriſtus, & remittetur vobis. Non quod remiſſio noſtra, quâ proximo condonamus offenſas, ſit cauſa per & propter quam Deus nobis peccata remittat, ſed conditionem tantùm ponit Chriſtus, quam Deus à nobis requirit, ſi peccatorum remiſſionem conſequi velimus. Ubi enim odium implacabile regnat, ibi non eſt vera fides, quæ per charitatem operatur, Gal. 5. v. 6. abſque fide autem impoſſibile eſt Deo placere, Ebr. 11. v. 6.

Si igitur verbo vel facto offenſus es à proximo, noli immortales iras gerere, ſed remitte proximo, quod deliquit in te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur, Sir. 28. v. 2. Conſidera quoties Deum offenderis. Id non fit ſemel ſed ſingulis diebus, & quidem ſepties, Prov. 24. v. 16. imò ſeptuagies ſepties Matth. 18. v. 22. quæ autem proportio inter offenſam, quâ Deum ad iram provocâſti, & inter offenſam, quâ proximus te læſit? nulla profectò. Si vis igitur tibi remitti à Deo, oportet ut remittas proximo, id quod clariſſimis verbis Chriſtus docet, Matth. 18. v. 35.

3. *Beneficentiæ declaratio.* Quia enim Chriſtus in verbis & operibus vult dominari miſericordiam, ideò non ſolùm faciles in condonando, ſed etiam liberales in dando nos eſſe jubet. Certè vix magis eſt neceſſarium præceptum in vita quotidiana, ſemper enim dives & pauper cohabitant, Prov. 22. v. 2. Matth. 26. v. 11. homines autem promptiores ſunt ad accipiendum quàm ad dandum, Sir. 4. v. 36. propterea toties nobis inculcatur in Scriptura, ut manum aperiamus pauperi, Deut. 15. v. 8. Prov. 3. v. 9. Eſa. 58. v. 7. Tob. 4. v. 7. Sir. 3. v. 33. &c. Rom. 12. v. 13. Gal. 6. v. 9. Eph. 4. v. 28.

Dandum igitur

1. *De proprio*, Tob. 4. v. 7. qui enim offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu Patris ſui, Sir. 34. v. 24.

2. *De ſuperfluo.* Hinc Johannes Baptiſta monet, quod is, qui duas habet tunicas, non habenti unam dare debeat, Luc. 3. v. 11. Sic enim impertiendum pauperibus, ne cedat ipſis in relaxationem, nobis verò in anguſtiam, 2. Cor. 8. v. 13. proinde notanda hîc regula Tobiæ c. 4. v. 8. 9. Si multum tibi fuerit, etiam abundanter tribue, ſi exiguum tibi fuerit, exiguum etiam libenter impertiri ſtude.

3. *De neceſſario.* Quando exul aliquis te compellit de eleemoſyna, aut alius quidam ad ſummam inopiam redactus, ibi certè fruſtum panis, quod tibi adhuc ſupereſt, cum ipſo dividere debes, exemplo viduæ, Luc. 21. v. 3. & Macedonum, 2. Cor. 8. v. 3. Martini item Epiſcopi, qui pallium dividit, & dimidiâ parte nudum veſtivit.

Hoc (1.) *æquum.* Quicquid enim habemus, à Deo habemus, & hoc fine etiam accepimus, ut neceſſitatem proximi ſublevemus, Eph. 4. v. 28. (2) *Chriſtianum*, & fidem oſtendit, Jac. 2. verſ. 18. Act. 9. verſ. 36. (3.) *Beatum*, Act. 20. verſ. 35. Caro quidem non credit, ſed exempla probant. Deus eſt beatiſſimus, quia ipſe omnia dat & nihil accipit. Imò in tota natura omnia quæ dant, præſtantiora ſunt, quàm quæ accipiunt. Sol eſt præſtantior lunâ, quia ille dat, hæc accipit lumen, &c: (4) *proficuum.* Magis enim ditat dare quàm accipere, Prov. 19. v. 17. inquit Salomo: Qui miſeretur pauperis, mutuò dat Domino, & largiſſimam retributionem

acci-

accipiet. Id confirmat Chriſtus ſuo teſtimonio, quando menſuram bonam & confertam & concuſſam atque exundantem in ſinum eorum effuſum iri aſſerit, qui largis eleemoſynis pauperes exhilaraverint. Cumulatiſſima igitur ſequetur *retributio*

1. *In vita præſente*. Orant enim pauperes pro benefactoribus ſuis, Sir. 29.v.15. & qui dat pauperibus nunquam egebit, Prov. 28.v.27. Conferetiam 2. Cor. 9.v.6. Cornu ejus exaltabitur in gloria, Pſ.112.verſ.9. Eſa. 58.v.8. tranquillè vivet & beatè moritur, Pſ. 41.v.1.ſeqq.

2. *In vita ſequente*, Matt. 19.v.21. Luc. 16 verſ.9. eleemoſyna enim non patitur animam ire in tenebras, Tob. 4.v.11. ſed purgat peccata, & facit invenire vitam æternam, Tob.12.verſ.9. Matth. 25.v.34. Luc. 12.v.33. Contra verò, qui immiſericors eſt erga proximum, jus talionis experietur, de quo Chriſtus v. 38. & qua proximo menſurâ menſus eſt, eadem metietur ipſi, Prov. 21.v.13. Jac. 2.v.13.

De Secundo.

Reſtat pars altera, nimirum *parabolica præceptorum horum illuſtratio*, quam breviter percurremus. Parabolæ tres ſunt

I. *De Cæco Cæci Duce*. Num poteſt cæcus cæcum ducere inquit, nonne ambo in foveam cadent? Quibus verbis tacitè notat Phariſæos & Scribas, qui clavem ſcientiæ ſibi impudenter vindicabant, aliosque ſuperciliosè contemnebant, cum tamen ipſi in rebus divinis vel talpâ cæciores eſſent, & quos ducebant homines ſimplices & plebejos, in foveam æternæ perditionis præcipitarent, ut expreſſè nominantur, Matth. 15.v.14.

Poteſt tamen hæc ſententia ad noſtrum etiam propoſitum applicari, præſertim quando caro noſtra ad præcepta ſuperiora: Remittite & remittetur vobis, date & dabitur vobis, excipit Cur ego ſolus dem? hic & ille plus habet quàm ego, & tamen nihil erogat pauperibus. Cur remittam, cum proximus mihi non velit remittere? ibi procedit parabola: Num cœcus cœcum poteſt ducere? nonne ambo in foveam cadent? quid ad te hic vel ille, tu fac officium, proximus non reſpondebit pro te, ſed pro ſe in extremo judicio, Rom. 14.v. 12. unuſquiſq; enim proprium onus portabit, Gal. 6.v.5. conf. 2.Pet.1.v.7.9. videamus igitur quos & quales in negotio religionis duces ſequamur, periculum enim hoc in caſu maximum, Eſa. 9.v.16.

II. *De Magiſtro diſcipulum ſuperante*: Diſcipulus non eſt ſupra Magiſtrum, inquit Chriſtus, ſi verò eſt ſicut magiſter, perfectus eſt. Iterum de Scribis & Phariſæis loquitur Dominus principaliter, ſecundariò tamen ad præcepta enumerata reſpicit. Caro enim quandoque oggannit: Si quotidie dimiſero unicuique, quod in me delinquit, contemtui obnoxius ero, & ita veterem ferendo injuriam invitabo novam. Si ſemper dedero, quomodo tandem dives ero? oportet etiam pro liberis aliquem theſaurum colligere. Sed reſpondet Chriſtus ad has objectiunculas: Diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum. Ego vobis dico, date & dabitur vobis, remittite & remittetur vobis, cur non creditis verbis meis? vultis me docere? aut juſtificare ſapientiam? Luc.7. verſ.35. an neſcitis, quod omnes promiſſiones divinæ ſint intelligendæ cum exceptione crucis. Ego ipſe pauper & contemptus fui in mundo, cur ergò vos meliorem ſortem expetitis?

Digitized by Google

Diſcimus inde, quando Chriſtus Magiſter noſter aliquid nobis præcipit, non ad cynoſuram rationis examinandum, ſed absque ulla tergiverſatione exequendum eſſe, ogganniat caro quicquid velit, ſicut Abraham ſuo nobis exemplo prælucet. Rom. 4. v. 18. ſeqq. neque hic nos abſterreat contemptus mundi, qui enim hominibus placere ſtudet, Chriſti diſcipulus eſſe non poteſt, Gal. 1. v. 10.

III. *De feſtuca & trabe*, quâ iterum carnis noſtræ exceptiunculas quasdam reprimit, quæ ſemper ad devia deflectit, Pſ. 95. v. 10. & præcepta illa difficulter ad praxin transfert, proximus eſt malus, inquit, & multis nævis obnoxius. Cur non judicem? Cur remittam? cur donem? certè non meretur, abutetur bonitate mea ad malitiam, &c. Sed reſpondet Chriſtus: Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras? Hypocrita ejice prius trabem ex oculo tuo, & tunc perſpice, ut feſtucam etiam de oculo fratris tui educat. Juſtus enim prior eſt accuſator ſui, poſtea proximum explorat, inquit Salomo Prov. 18. v. 17.

Multi hodiè ſunt φίλαυτοι, 2. Tim. 3. v. 2. qui craſſas ipſi trabes in oculis habent, & neſcio quas tamen feſtuculas in aliis exagitant. Caveamus hoc vitium, & nosmetipſos conſideremus, Gal. 6. v. 1. nam aut ſumus, aut fuimus, aut poſſumus eſſe quod hic eſt, omnes peccatores, & egemus gloria Dei, Rom. 3. v. 23.

Sicut igitur proximus indiget benevolentiâ noſtra, ut demus & condonemus ipſi, quando lapſu aliquo præoccupatur: Ita nos iterum benevolentia proximi indigemus, quando ipſi tentamur, oportet enim alterum alterius onera portare, ut legem CHriſti impleamus, Galat. 6. verſ. 2. donec perveniamus ad cœleſtem illam perfectionem, ubi nulla ſiniſtra nos turbabunt judicia, nullis eleemoſynis indigebimus, nullis peccatis nos inquinabimus, ſed ἰσάγγελοι erimus, & in pulchritudine pacis Deum videbimus à facie ad faciem, Eſa. 32. v. 18. 1. Cor. 13. verſ. 12. Hoc concedat nobis benigniſſimus Deus propter Chriſtum Jeſum Salvatorem noſtrum, Amen.

Dominica V. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 5. verſ. 1. 11.

CUm paſceret Deus Iſraelitas in deſerto pane cœlitus depluto, certas ipſi regulas præſcribebat, quomodo colligere debeant panem illum. Nam ſingulis diebus egredientur, inquit dominus & colligent, quantum ſufficit. Die autem ſexto duplum colligant, ut ſeptimo die, quæ Sabbatho ſacra eſt, cibum habeant. Hæc erat regula, quam in collectione Manna obſervare debebant Iſraelitæ. Si contra peccabant, omnis ipſorum conatus irritus erat. Fuerunt enim qui plus colligebant, quàm opus habebant, contra præceptum Domini, ſed non poterant aſſervare in craſtinum, quia computruit, & à vermibus corroſum eſt. Fuerunt etiam, qui ſeptimo die ad colligendum Manna exierunt, ſed nihil inveniebant, Exod. 16. v. 16. ſeqq.

Si

Digitized by Google

Si cupimus laborem noſtrum eſſe ſalutarem, ad præſcriptum verbi divini inſtituamus oportet, omnia enim ſanctificantur per verbum & preces, 1. Tim. 4.v.5. qui peccat contra hanc regulam, & ſuis viribus omnem ſucceſſum aſſcribit, aut cum proximi defraudatione bona ſua multiplicat, aut cœleſtia poſtponit terreſtribus, nihil inveniet, aut ſi vel maximè quid invenit, à vermibus perditionis conſumetur. Ergò quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, inquit Chriſtus, tunc cætera adjicientur vobis, Matth. 6. v. 33.

Exemplum habemus in Petro, qui totam noctem fruſtrà laboraverat, ſed poſtquam concionem Chriſti audit, & in verbo ejus rete ſuum laxat, inſignem piſcium multitudinem capit.

Videbimus

I. Concionem Chriſti navalem.

II. Piſcaturam Petri ſupernaturalem.

J. J.

EXEGESIS.

TAnta fuit Salomonis eloquentia, ut omnes in admirationem raperet, & Reginam Sabæam ac plurimos Magnates ab Æthiopiæ finibus moveret, qui illius ſapientiam audituri Hieroſolymam confluebant, 1. Reg. 10. v. 1. 24. Hîc plus quàm Salomo, Matth. 12. verſ. 42. proinde mirum non eſt, quod Evangeliſta memorat, turbam urſiſſe ipſum ἐν τῷ ἐπικεῖσθαι αὐτῷ, ut audirent verbum DEI. Ubi conſideranda venit

I. *Concionatoris perſona.* Quis eſt qui concionem navalem inſtituit? Non Noah præco ille juſtitiæ, 2. Per. 2. 5. non Johannes Baptiſta, qui ſe vocem clamentem eſſe dicit in deſerto, Matth. 3. verſ. 3. non Paulus Doctor ille gentium, 1. Tim. 2. verſ. 7. Sed Chriſtus Jeſus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venit, ut voluntatem Patris ſui nobis revelaret, unde Propheta magnus, Deut. 18. v. 15. & Doctor eruditæ linguæ dicitur, Eſa. 50. v. 4. cujus hic commendatur

1. *Officioſa ſedulitas.* Nuſpiam enim quievit, neque mari, neque terra, ſed ubicunque auditores habere potuit, ibi docuit, in deſerto, Marc. 6. v. 32. in monte, Matth. 5. v. 1. in templo, Luc. 2. v. 46. in ſynagogis, Luc. 4. v. 15. 13. v. 10. in conviviis, Luc. 14. v. 13. Hoc ipſo reliquit exemplum omnibus Eccleſiæ miniſtris, ut nullam docendi verbi Dei occaſionem prætermittant. Maledictus enim, qui opus Domini facit fraudulenter, Jer. 48. v. 10.

2. *Sermonis puritas.* Nam docuit verbum Dei, inquit Evangeliſta, quod iterum ſibi ad imitationem ſcriptum putent Paſtores Eccleſiæ, ut & ipſi verbum Dei doceant, non humanas traditiones, quibus fruſtrà Deus colitur, Matth. 15. v. 9. non philoſophiam inanem, Col. 2. v. 8. non aniles fabulas, 1. Tim. 4. v. 7. Sed ſcrutentur Scripturas, Joh. 5. v. 39. & non niſi eloquia Dei loquantur, 1. Pet. 4. v. 11. nam ad legem & ad teſtimonium, ſi non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux, Eſa. 8. v. 20.

II. *Auditorum Corona.* Commemorat enim D. Lucas magnam concurriſſe turbam ex variis locis, idque die profeſto, ut ex laboribus piſcatorum colligitur, & Chriſto quaſi incubuiſſe, ut audirent verbum Dei.

Talis ardor diſcendi & audiendi verbum Dei hodie penitùs refrixit, cum tamen idem ipſe Chriſtus nos doceat per miniſtros; Luc. 10. v. 16. quod ſignum eſt animæ malè habentis. Nam verbum Dei eſt

Digitized by Google

cibus animæ, Johan.6.v.27.ſicut igitur corpori morbus impendet, quando ὄρεξις dejecta eſt: Ita quoq; anima laborat, quæ faſtidio verbi tenetur. Non enim ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, Matt.4.v.4.

Vis igitur conſultum animæ tuæ, congreſſus Eccleſiaſticos ne deſeras, Eb. 10. v. 25. libenter audi verbum Dei, quod gaudium perfectum in cordibus noſtris excitare poteſt, Jer.15.v.16. & in omnibus adverſitatibus promptiſſimam conſolationem accendit, Pſal. 119. v. 92. qui enim ex Deo eſt, verbum Dei audit Joh.8.v.47.

III. *Mirabilis Cathedra*, quæ fuit navicula Petri, v.3. Quis verò ſplendor hujus navis reſpectu templi Hieroſolymitani? Procul dubio Pharisæi vocarunt nidum hæreticorum, ſe verò Cathedram Moſis obtinere gloriati ſunt, Matth. 23.v.2. nihilominus in hac navicula vera hærebat Eccleſia. O quoties in cavernis montium, in ſylvis, & privatis conventiculis tempore perſecutionum ſub Juliano, Diocletiano, Maximiliano, &c. res ſacras tractarũt Chriſtiani, & referente Tertulliano cœtus antelucanos inſtituerũt ad canendum Chriſto & Deo, in quibus tamen ſæpe oppreſſi ſunt.

Noli igitur judicare de Eccleſia vera ex fortuna quam habet in hoc mundo, ut Phariſæi faciebant, Johan.7.v.48. ſed hoc conſidera, num Chriſtus in ea habitet cum ſuo verbo & ſacramentis, quæ vera ſunt & infallibiles notæ, unde veram cognoſcere licet eccleſiam. Pſ.93.v 5.

Agnoſcamus verò imenſum hoc Dei beneficium, quod halcyonia nobis concedit, & loca certa, ubi tutò ad cultum ipſius convenire poſſumus, & caveamus, ne propter ingratitudinem noſtram Deus gratiam ſuam à nobis auferat, Matth.21.v.43.

Deſcribitur hæc navicula

1. *Ratione poſſeſſoris.* Nam duæ naves ſtabant in portu, inquit Evangeliſta, piſcatores autem deſcenderant ex illis, & abluebant retia, ſed Chriſtus ingreditur navem Simeonis. Unde apparet, quod proprietas Dominiorum non ſit contra Scripturam, ut Anabaptiſtæ ſomniant. Hoc tamen agamus, ut Chriſto naviculam noſtram accommodemus, hoc eſt, pro facultate noſtra bonis temporalibus, quibus nos Deus locupletavit, miniſterium Eccleſiaſticum promoveamus, & pauperum etiam curam habeamus. Hoc Chriſtus ſibi factum reputabit, Matth.25.v.40.

2. *Ratione Conductoris.* Nam Chriſtus ingreditur navem illam, & orat Petrum ut parumper à terra abducat, quo ipſo ſummæ nobis & humanitatis & æquitatis exemplum præbet contra truculentam ſævitiam & tyrannidem illorum, qui pro lubitu nullâ juſtitiæ ratione habitâ domos & agros ad ſe rapiunt, Mich. 2. v. 2. pauperibus injuriam faciunt, Sir.27.v.1. plebem devorant, Pſ.14. verſ.4. ſed graviter illis Deus iraſcitur, Eſa. 57. v. 17. & væ minatur, Eſa.33.verſ.1. imò tandem aliquando ex regno ſuo excludet, 1.Cor.6.v.10.

De Secundo.

FUit Concio Chriſti navalis, ſequitur *piſcatura Petri ſupernaturalis*, ubi conſideranda veniunt

I. *Chriſti præceptum.* Cum enim finem dicendi feciſſet, jubet ut piſcatores navem in altum ducant, & retia ſua laxent: Sic cuilibet noſtrûm dicitur etiamnum: Duc in altum, hoc eſt, labora, & munere mandato diligenter perfungere. Ad labores enim conditi ſumus, Job.5. verſ.7. proinde incre-

par

pat Apoſtolus graviter eos, qui *ἀτάκτως* ambulant, & dicit expreſſè, qui non vult laborare, non debet manducare, 2. Theſſ.3. verſ.10.

II. *Petri obſequium*. v.5. ubi

1. *Querela*. Nam Magiſter, inquit, totam noctem laborantes, nihil cepimus. Hanc querelam multos adhuc hodie ingeminare audias. Quia enim cum Petro noctu laborant, id eſt, opera tenebrarum diligunt, & cum maledictis ſæpe ad labores accedunt, aut bonis pauperum diteſcere quærunt, maledictionem ipſis minatur Deus in omni labore eorum, Oſ.8. verſ.7. Jer.12.v.13. Hagg.1.v.6.

2. *Cautela*. Sed in verbo tuo, pergit Petrus, laxabo rete meum. Omnis benedictio eſt à Chriſto, qui eſt benedictus ille, à quo benedicimur, Gen.12.v.3. Luc.1.v.42. qui ergò Chriſtum non habet, ejus labor non benedictus ſed maledictus eſt. Proinde in verbo Domini laxandum erit rete noſtrum, niſi in vanum laborare velimus. Quæ phraſis valde multa complectitur, ut ſunt

1. *Legitima vocatio*, ut cor ſit certum, ſe propter Chriſtum eſſe in gratia Dei & in tali ſtatu, qui Deo placeat. Qui enim in vocatione ſua manet, ejus via recta eſt, Prov. 21. v.8. Hinc Sirach cap.11. v.23., confide Deo, & mane in loco tuo, facile enim eſt in oculis Dei, ſubitò honeſtare pauperem.

2. *Seria oratio*. Nam ſola Domini benedictio ditat, Prov.10. v.22. Oremus ergò, ut naviculam noſtram gubernet, & proſperis ſucceſſibus labores noſtros ſecundare dignetur. Qui enim in propria prudentia confidunt, & reti ſuo ſacrificant, ut Scriptura loquitur, Hab. 1. v.16. in caſſum laborant, Pſal.127. v.1.

3. *Laboris continuatio*. Si vel maximè Deus differat benedictionem, tamen non eſt abjicienda fiducia, ſed pergendum in labore. Docet enim Scriptura expectandum eſſe Dominum, Hab.2.v.3.

4. *Finis recti collimatio*, ut quicquid agimus, ad Dei gloriam, Col.3.v.17. & proximi ſalutem dirigamus, 1.Theſſ.4.v.10. ſecus ſi fiat, nullus ex labore fructus ſequetur, Mich.6.v.15.

III. *Subſequens miraculum*, quod deſcribitur

1. *Ratione formæ*. Nam cum hoc feciſſent, inquit Evangeliſta, concluſerunt magnam piſcium multitudinem, ita ut rete ſuum rumperetur, & annuerunt ſociis ſuis, ut venirent ſibi in auxilium. Inſigne miraculum!

Cogitur 1. magna piſcium multitudo, cum Petrus per totam noctem, quæ aliàs piſcaturæ magis accommoda eſſe ſolet, fruſtrà laboraſſet, 2. Rete rumpitur, & piſces tamen in eo retinentur. 3. Naves merguntur, nec tamen ſubmerguntur. 4. Socios advocant, quia ſoli tantam piſcium multitudinem attrahere non poterant. 5. Ambas naves impleverunt ad ſubmerſionem uſque, quæ omnia ad gloriam & majeſtatem Chriſti amplificandam inſerviunt, utpote cujus nutui omnes creaturæ tam cœleſtes quàm terreſtres & marinæ obtemperant, Pſ. 8.v.9. hoc promiſit Pater cœleſtis Filio ſuo, Pſ. 89. v. 26. ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dextram ejus, quod etiam multis miraculis in diebus Carnis ſuæ comprobavit, Johan. 2.v.9. ex aqua fecit vinum, Matth. 17.v.27. ſtaterem in ore piſcis format, c.8.v.26. tempeſtates maris ſedat, c.14.v.25. & Joh.6.v.19. ſuper mare ambulat. Hoc loco & Iohan.21.verſ.6. magnam piſcium multitudinem in retia Apoſtolorum co-

git, ſicque reipſa oſtendit, ſe eſſe eum, in cujus manus omnia tradita ſunt, Joh. 3.v.35. & qui receperit ſecundum H. N. dominium in creaturas, & piſces maris, quod primus Adam per lapſum amiſerat, 1. Cor.15.v.27.

2. *Ratione efficaciæ*, quæ triplex

1. *Petri conſternatio.* Poſtquam enim videt miraculoſam illam capturam, procidit ad genua Ieſu, dicens: diſcede à me Domine, quia homo peccator ſum, ſtupor enim cricumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piſcium, quam ceperant. Non quidem agit ut Gergeſeni, Matt.8.v.34. qui Chriſtum rogant, ut è finibus ſuis abeat, nec ut Capernaitæ, Joh.6.v. 66. qui ex faſtidio ipſum deſerunt, ſed agnitâ Chriſti majeſtate & ſuâ impuritate ſe indignum judicat Chriſti præſentia, ac metuit ne ob indignitatis ſuæ cum Chriſti majeſtate commercium vindicta de peccatis ſuis ſumeretur, ut par exemplum habemus in vidua Sareptana, 1. Reg.17.v.18.

Diſcamus à Petro humilitatem, & ſi quid laudabile geſſimus, non noſtris viribus, ſed gratiæ ſolius Dei aſcribamus, Pſal. 115. verſ. 1. Quid enim habemus quod non accepimus? 1. Cor.4.verſ.7. Ah minores ſumus cunctis miſerationibus Domini, Gen. 32.v.10.

2. *Chriſti conſolatio*, quâ Petrum erigit, & ne metuas, inquit, poſthac homines capies, id eſt, per prædicationem Evangelii in magna copia ad Deum convertes. Ubi inprimis memorabile eſt, quod miniſterium Apoſtolorum & reliquorum Eccleſiæ Doctorum piſcaturæ comparatur, quæ phraſis deſumpta eſt ex Jer. 16. verſ. 16. Ecce ego mittam piſcatores multos, & piſcabuntur eos.

In piſcatura requiritur labor indefeſſus: Ita & in verbo laborandum, 1. Tim.5.v.17. 2. Tim.4.v.5.

Labori ſæpe non reſpondet ſucceſſus in piſcatione, ſicut hic Petrus conqueritur: ita miniſtri Eccleſiæ quandoque ſibi fruſtrà laborare videntur, ſed pergant interim, non labor in Domino totus inanis erit, 1. Cor.15. verſ.58.

Piſces limo ſe involvunt, ne capiantur, vel capti in mare reſiliunt, vel etiam rete perrumpunt & evadunt: Ita homines curis & voluptatibus hujus ſeculi implicati non capiuntur reti Evangelico, aut ſi maximè capiuntur, rete perrumpunt, & ad volutabrum mundi reſiliunt, 2.Pet.2.v.20.22.

Rete concludit piſces putres & bonos, ſed in littore maris fit ſeparatio, Matth.13.v.47. Sic in hac vita, quod externam Eccleſiæ ſocietatem attinet, mali bonis ſunt permixti, ſed in die judicii ſequetur malorum à bonis ſeparatio, Mal.3.v.18.

Videte igitur, dilecti, ut ſitis piſces boni, non lubricæ anguillæ, non lupi voraces, non piſces cruſtacei aut aculeati. Qui enim fallit rete Evangelii, & ſe capi non patitur, retia Diaboli incidet, & in æternum protrahetur exitium, 1.Tim.6.v.9.

3. *Subſecuta reformatio.* Nam Petrus, Jacobus & Johannes ſubductis è mari navigiis, & rebus omnibus relictis Chriſtum ſecuti ſunt. Monemur hoc exemplo, ſi propter Chriſtum, exigente ſic vocatione noſtra, vel etiam neceſſitate in caſu perſecutionis urgente, facultates noſtras temporales relinquere cogimur, ne murmuremus propterea adverſus Deum, ſed parati ſimus abſque rerum temporalium apparatu Chriſtum ſequi, ita namque quæ reliquerimus, centuplum recipiemus, Matth. 19.v.29. qui verò hoc in caſu patrem & matrem, aut etiam

Digitized by Google

etiam bona ſua plus amat, non eſt ipſo dignus, Matth. 10. v. 37.

Non tamen hic ſtatuminari putemus

1. *Paupertatem monaſticam.* Apoſtoli enim habuerunt ſpecialem vocationem ad Evangelium per univerſum terrarum orbem propagandum, & proinde opus erat, ut quæ in Judæa poſſidebant bona, relinquerent. Tali vocatione carent hodierni monachi, qui propria deſerentes aliena invadunt, ut ſtrenuè epulari, & deliciis eduliorum & vinorum opiparè ſe farcire poſſint, quæ verba ſunt Bernhardi, vide etiam 2. Pet. 2. verſ. 13. ſeqq.

2. *Communionem Anabaptiſticam.* Licet enim hic Petrus & ſocii naves & omnia ſua reliquiſſe dicantur, non tamen ita intelligendum eſt, quaſi proprietatem bonorum abdicaverint, ſed ad tempus tantum reliquerunt. Hinc legitur, de Petro, quod habuerit propriam navem etiam poſt Chriſti reſurrectionem, Joh. 21. v. 11. de Philippo, quod habuerit propriam domum, Act. 21. v. 8. quod & de Maria legitur, Act. 12. verſ. 12. habeat igitur quilibet & manducet proprium panem, 2. Theſſ. 3. v. 12. & de ſuo etiam pauperibus aliquid eroget, 1. Tim. 6. verſ. 18. Deus T. O. M. operetur in nobis per Sp. ſuum, ut hæc omnia ad uſum transferamus, Amen.

Dominica VI. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 5. v. 20. 26.

CUm Moſes ex monte Sinai, in quo per 40. dies & noctes cum Deo converſatus fuerat, deſcenderet, & tabulas legis digito Dei ſcriptas portaret, ita rutilabat facies ejus, ut fugerent Iſraelitæ, & exactius eam non poſſent intueri. Quod ſi autem loqui volebat ad filios Iſrael, impoſuit velamen ſuper faciem ſuam, Exod. 34. v. 29.

Hoc ipſum Apoſtolus 2. Cor. 3. verſ. 14. myſticè exponit, quod nimirum per rutilantem Moſis faciem intelligenda ſit perfecta juſtitia & interna obedientia, quam lex Moſis requirit, & terrorem excitat in mentibus hominum, quia nemo eſt in toto mundo, qui hanc legis perfectionem aſſequi poſſit, hinc ſumus naturâ filii iræ, Eph. 2. v. 3. & ſub maledictione hæremus, Gal. 3. v. 10. Deut. 27. v. 26. velamen Moſis ſignificat ignorantiam Judæorum, qui externam tantùm in lege obedientiam, requiri ſtatuebant, ſed interim non animadvertebant, quantus ſplendor ſub prohibitione externorum peccatorum lateat, quod videlicet prohibeantur ſimul occultæ cordis concupiſcentiæ, & perfecta omnium virium cum lege conformitas requiratur, Deut. 6. v. 5.

Hoc velum Chriſtus removet in Evangelio præſenti, & quis ſit legis verus & genuinus ſenſus difertis verbis explicat, juxta vaticinium Mal. 3. v. 2. 3.

Videbimus

I. ***Vera juſtitia commendationem.***

II. ***Quinti præcepti explicationem.***

J. J.

EXEGESIS.

GEhaſi non poterat excitare baculo puerum demortuum, dum Eliſæus ipſe

 venit,

venit, & ſuperincumbens mortuo ad vitam eum revocavit, 2. Reg. 4. v. 31. Ita lex nulla data eſt quæ vivificare poſſit, Gal. 3. v. 21. ſed vera & perfecta juſtitia à Chriſto venit, qui factus eſt nobis à Patre in ſapientiam & juſtitiam, in ſanctificationem & redemptionem, 1. Cor. 1. v. 30. hanc commendat nobis in principio Evangelii

I. *Remotivè*, dum juſtitiam Phariſæorum improbat, & abundantiorem requirit Qualis autem fuerit juſtitia Phariſæorum, intelligi poteſt ex Luc. 18. v. 10. 11. nimirum ſtuduerunt externæ diſciplinæ, & ſollicitè caverunt, ne externis operibus legem Dei violarent, habuerunt etiam plurimas conſtitutiones non ſcriptas à Moſe, ſed per manus à majoribus acceptas, quas magna ſuperſtitione obſervabant, ut Joſephus teſtatur lib. 13. de Ant. c. 18. Hiſce magnam ſanctitatis & juſtitiæ opinionem apud omnes ſibi conciliabant. Sed quid Chriſtus de illorum juſtitia pronunciat. Niſi abundaverit, inquit, juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum Dei.

Non improbat illam ex toto, ſed abundantiorem & perfectiorem exigit: non taxat externam illam obedientiā mandatis divinis debitam, ſed inſufficientem eſſe dicit, ac proinde ἐπιλήμως negat ipſos hâc ſuâ juſtitia regnum cœlorum ingredi poſſe:

1. *Propter externam ſimulationem*, quia opera ſua hypocritico corde præſtabant, non ut Deus glorificaretur, ſed ut ipſi ab hominibus viderentur, Matth. 6. v. 2. proinde ſepulchris dealbatis ſimiles eſſe dicuntur, Matth. 23. v. 27.

2. *Propter vanam intentionem*, putabant enim ſe per opera cœlum promereri poſſe, adeoque propriam juſtitiam erigebant, Rom. 10. v. 3. cum tamen legi impoſſibile ſit juſtificare, Rom. 8. v. 3. 7. quia lex eſt ſpiritualis, nos verò carnales, Rom. 6. v. 14.

3. *Propter operum imperfectionem*, quia legem Dei intellexerunt tantùm de externa obedientia, & per oculos, manus, & membra corporis externa legi ſatisfieri judicarunt, ſed de corde & cogitationibus non fuere ſolliciti. Neminem occidebant, ſed corda ipſorum ſcatebant ira & odio: abſtinebant à ſcortationibus, ſed corda accenſa erant pravis concupiſcentiis: dabant eleemoſynas, ſed intus pleni erant avaritia & amore ſui, & putabant minutula iſta Deum non curare, Matth. 5. v. 19.

Videant igitur juſticiarii noſtri in Papatu, quomodo ſuam opinionem de meritis bonorum operum contra hanc ſententiam Chriſti defendere velint. Certè Phariſæis propter eandem juſtitiam regnum cœlorum denegatur. De paribus autem idem eſt judicium. Omnis enim juſtitia noſtra eſt ſicut pannus menſtruatæ, Eſa. 64. v. 6. & ſi omnia fecerimus, ſervi inutiles ſumus, Luc. 17. v. 10.

II. *Poſitivè.* Meliorem enim requirit juſtitiam, quæ legi perfectè ſatisfaciat, non externè tantùm verbis & operibus ſanctis, verum etiam internè quoad affectus & cogitationes mentis, hæc omnia pura & integra eſſe debent, ſicut in ſtatu integritatis, Gen. 1. v. 27. Eph. 4. v. 24.

Talis juſtitia non invenitur in nobis. Vires enim noſtræ funditùs depravatæ ſunt bonum, Pſal. 14. verſ. 3. Lex requirit ſanctam & integram naturam: at nos naturâ ſumus filii iræ, Eph. 2. verſ. 3. Lex requirit ſanctas & puras cogitationes: ſed figmentum cordis humani tantùm malum eſt à pueritia, Gen. 6. verſ. 5. Lex requirit mundum cor: at quis dicere poteſt, mundum eſt cor meum, & purus

Digitized by Google

& purus ſum à peccato, Prov. 20. verſ. 9. Lex requirit continuam & perfectam obedientiam: ſed juſtus cadit in die ſepties, Prov. 24. verſ. 16.

Quid fiet igitur nobiſcum? Sanè, ſi nulla alia daretur juſtitia, quàm propria & inhærens, nemo ingredi poſſet regnum cœlorum. Sed eſte bono animo, Vos mei, quod legi impoſſibile erat, eò quod infirmabatur per carnem, hoc præſtitit Deus miſſo filio, qui agendo & patiendo pro nobis legem implevit, ut juſtificatio legis in nobis impleretur, Rom. 8. verſ. 3. In Chriſto igitur quærenda eſt melior illa & abundantior juſtitia, qui factus eſt pro nobis maledictum, ut nos à maledicto legis redimeret, Gal. 3. v. 13. applicatur nobis per fidem unde juſtitia fidei appellatur, Phil. 3. verſ. 9. Credenti enim in eum qui juſtificat impium, fides imputatur ad juſtitiam, Rom. 4. v. 5.

Si vis igitur meliorem hanc tibi comparare juſtitiam, & per hanc ingredi in regnum cœlorum, ad Chriſtum confuge, qui eſt Jehova Zidkenu, Jer. 23. v. 6. & perfectio legis ad ſalutem omni credenti, Rom. 10. v. 4. de cujus plenitudine accepimus omnes gratiam pro gratia, Joh. 1. v. 16.

De Secundo.

Reſtat pars altera de quinti præcepti explicatione, quam Chriſtus non legi Moſaicæ (nam hæc etiam odia & vindictæ cupiditatem prohibet, Lev. 19. verſ. 17. 18.) ſed gloſſæ Phariſaicæ opponit, quâ externum tantùm homicidium damnabatur, ſed contra docet Chriſtus violari quintum præceptum

I. *Opere.* Hoc eſt externum illud homicidium, quo ſanguis humanus effunditur, & expreſſis verbis prohibetur Gen. 9. verſ. 6. 1. Johan. 3. verſ. 15. Committitur autem

1. *Per violentiam*, quacunque leniferâ machinâ, qualis homicida fuit Cain, Gen. 4. verſ. 8.

2. *Per fraudulentiam*, quando ſub ſpecie ſingularis amicitiæ alterius ſanguis & vita petitur, in quo cenſu homicidarum ſunt Saul, qui deſponſatione filiæ ſuæ vitæ Davidis inſidias ſtruebat, 1. Sam. 18. v. 17. David 2. Sam. 11. v. 15. Abſolon, 2. Sam. 13. verſ. 28. Ioab, 2. Sam. 3. v. 27. & 20. verſ. 9. Ieſabel, 1. Reg. 21. v. 10. hi omnes nominantur viri ſanguinum & doloſi, de quibus Pſalmiſta ait, quod non ſint dimidiaturi dies ſuos, Pſalm. 55. v. 24.

3. *Per negligentiam*, de qua ſpecie homicidii Baſilius: Tot homines occidiſti, quot neglexiſti, ſi iuvare potuiſti. Id faciunt 1. qui Pauperes deſerunt. 2. liberos in juventute negligunt, ut tandem furari & latrocinari incipiant, & carnificis manus incidant. 3. qui pauperum bona devorant, Sir. 34. v. 26. 4. qui ſibi ipſis damnum vel mortem inferunt, quocunque fiat modo, ſive cultro ſive veneno, ſive rejectione mediorum ad conſervandam vitam ab ipſo Deo ordinatorum, Sir. 38. v. 4. ſive etiam curis intempeſtivis, Sir. 30. verſ. 22. ſeqq. hi omnes αὐτόχειρες ſunt, & cum homicidis partem habebunt in ſtagno ardente ſulphure & igne, Apoc. 21. v. 8.

II. *Ore* quod fit

1. *Exacerbatione*, quando quis fratri iraſcitur. Nam qui iraſcitur fratri, inquit Chriſtus, judicio reus eſt, ut nimirum ſupplicium de eo ſumatur.

Diſtinguendum tamen inter iram ordinariam

nariam & nefariam. ***Ordinaria ira***, quæ ex legitimo zelo adverſus peccata provenit, hîc non prohibetur. Rectè enim iraſcuntur *Eccleſiæ Miniſtri* ob ſcelera ſuorum auditorum, quemadmodum Moſes iraſcebatur ob idolomaniam populi, Exod. 32. verſ. 20. ſeqq. *Magiſtratus & Parentes* ob vitia ſubditorum & liberorum. Sed attendendum tamen ſemper illud Pſalmi : Iraſcimini & nolite peccare, Pſ. 4. v. 5. quod optimè fieri poteſt, quando ira in vitium, non in vitioſum dirigitur.

Nefaria autem ***ira***, quæ cum odio invidentia erga perſonam conjuncta eſt, ad quintum præceptum pertinet, & qui hoc modo fratri iraſcitur, judicio ſe obnoxium facit. Ira enim talis in ſinu ſtulti requieſcit, Eccleſ. 7. v. 10. & juſtitiam Dei non operatur, Jac. 1. v. 20. ſed abominatio eſt coram Domino, Sir. 27. verſ. 33. Deponamus igitur iram & indignationem, Col. 3. v. 8. & inimicitias, Gal. 5. v. 20. ne ſol occidat ſuper iram, & Diabolo locus detur, Eph. 4. v. 26.

2. ***In precatione***. Racha enim non tantùm hoſtiles geſtus notat, quibus ceu ſignis externis animi malevolentia erga proximũ oſtenditur, ut exemplo Caini erga Abelem, Gen. 4. v. 5. Labanis erga Jacobum, Gen. 31. v. 26. Saulis adverſus Davidem, 1. Sam. 18. v. 9. manifeſtum eſt : ſed vox etiam eſt imprecandi, & diras notat quas multi venenato corde & ore in proximum evomere ſolent, dum innumerabiles Diabolorum myriadas, ſubitaneam mortem, peſtem, epilepſiam, fulmen Jovis, & ſexcenta imprecationum plauſtra alia in caput ejus cumulant. Qui facit hoc, reus eſt judicii, inquit Chriſtus, & alludit his verbis ad politiam Judæorum, qui in ſingulis civitatibus habebant ſynedrium parvum, quod conſtabat ex viginti tribus judicibus, quibus poteſtas erat cognoſcere de cauſis controverſis. Si verò res incidebat nimis ardua, ad ſynedrium magnum deferebatur, quod erat Hieroſolymis, & ex 72. Judicibus conſtabat. Hoc igitur Chriſtus vult dicere : Si quis inimicis geſtibus in malas imprecationes exundet, proximumque diris devoveat, dignum illum eſſe Concilio, hoc eſt, tantum ejus eſſe peccatum, ut illius puniendi cauſa ſynedrium cogatur, ubi ſolenniter tanquam putridum membrum excommunicetur, & à corpore Eccleſiæ reſecetur. Qui autem Eccleſiam non habet in his terris matrem, non habebit etiam Deum in cœlis Patrem, ſed cum canibus foràs projicietur, Apoc. 22. verſ. 15.

3. ***Obtrectatione***, quando quis proximo dicit, fatue, hoc eſt, convitiis ipſum gravat, quibus fama & exiſtimatio ejus læditur. Hoc qui audet, is æternæ gehennæ exitio pronunciatur obnoxius, de quo vitio multa habet Siracides, & ejusmodi obtrectatores palàm in numerum homicidarum ponit c. 28. v. 21. ſeqq. homicida autem non hæreditabit vitam æternam, Gal. 5. v. 2.

III. ***Corde***, ſi quis odio proſequatur proximum, & reconciliationem nullam admittere velit, 1. Johan. 3. v. 15. Hoc Chriſtus improbat ſub finem Evangelii. Si offers munus tuum, inquit, ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habeat aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Ubi duo nobis obſervanda veniunt:

I. ***Fidele conſilium***. Suadet enim Chriſtus

1. ***Deprecationem***.

2. ***Condonationem***.

Deprecatio eſt partis lædentis. Qui enim offen-

ſendit proximum, debet agnoſcere culpam, & dicere, pœnitet me, Luc. 17. v. 4. debet etiam damnum illatum compenſare, ſive læſio facta ſit in bonis, ſive in corpore, ſive in fama, juxta Leges Exod. 21. v. 28. Lev. 6. v. 5. Num. 5. v. 7.

Condonatio verò eſt partis læſæ. Quando enim venit, qui te verbis factisve læſit, & culpam deprecatur, cave, ne motosè refrageris, aut amicam transactionem reſpuas, ſed confeſtim absque omni mora benevolum te illi exhibe & placabilem. Hoc requirit Chriſtiana charitas, quæ exacerbationem non patitur, 1. Cor. 13. v. 5.

II. *Neglectionis diſpendium*, quod triplex 1. *Cultus vanitas.* Nullum enim ſacrificium, nulla oratio, nulla eleemoſyna Deo placet, niſi ex animo proficiſcatur reconciliatio. Cum igitur ſteteris ad orandum, remitte prius, Marc. 11. v. 25. alioquin oratio tua fiet peccatum, Pſ. 109. verſ. 7. & pauperibus daturus habeto charitatem, aliàs nihil tibi proderit, 1. Cor. 13. verſ. 3. Hoc probè conſiderent iſti, qui in odio vivunt cum proximo, & tamen ad ſacram ſynaxin accedunt. Reconcilientur priùs, & tum veniant, aliàs rei fient corporis & ſanguinis Chriſti, 1. Cor. 11. v. 27.

2. *Vitæ brevitas.* Neſcimus quid ſerus veſper vehat, non differenda igitur reconciliatio, quocunque enim loco cadet arbor, jacebit, Eccl. 11. v. 3.

3. *Pœnæ gravitas*, de qua Chriſtus v. 25. ne tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, &c. Quibus verbis tres pœnarum gradus enumerantur.

I. *Ira judicis.* Quia enim tales obſtinati peccatores contra fideles paſtorum ſuorum admonitiones in odio ſuo pergunt, & media reconciliationis omnia reſpuunt, Deum judicem invenient, qui ſententiam in verbo ſuo promulgatam, per miniſtrum ſuum Diabolum exequetur. Juſtus enim judex eſt, & quotidie minatur, ſi verò pœnitentia nulla ſequitur, gladium vibrat, arcum tendit, & ſagittas lethales in eo ponit, quas ad perdendum ejaculat, Pſ. 7. verſ. 12. ſeqq.

2. *Squalor carceris*, per quem infernus intelligitur. Sicut enim. 1. Carcer tenebris ſcatet, ita damnati jacent in tenebris denſiſſimis, & lumen in æternùm non vident, Pſ. 49. v. 20. 2. Incarcerati vinculis & catenis conſtringuntur: Ita damnati catenis ligabuntur, & perpetua Satanæ mancipia erunt, confer 2. Pet. 2. v. 4. Pſ. 18. verſ. 6. Matth. 22. v. 13. Denique 3. ſicut hi qui carcere detinentur, perpetuâ macerantur triſtitiâ, non ſolùm propter delicta quæ commiſerunt, verùm etiam propter pœnas quas meruerunt: Ita damnatos etiam cruciabit conſcientia delictorum, quæ pœna ſimilitudine vermis non morientis adumbratur, Eſa. 66. v. 24.

3. *Valor temporis.* Nam Chriſtus jurat: Amen dico tibi, non egredieris illinc, donec extremum quadrantem perſolvas. Hinc Pontificii argumentum ducunt pro aſtruendo igne ſuo purgatorio. Quia enim Chriſtus dicit: non exibis inde, donec perſolveris extremum quadrantem, colligunt, eſſe oportere quendam locum poſt hanc vitam, ubi quis extremum quadrantem perſolvere, ſeu pœnam peccatorum expiare valeat, quò trahunt voculam donec, quâ finem futuræ ſolutionis digito quaſi intendi aſſerunt. Sed perperam. Nam vocula donec juxta Nazianzenum præteritum quidem tempus tollit, futurum autem non ſemper. Exempla vide Gen. 8. v. 7. 2. Sam. 6.

Digitized by Google

v.ult. Pſ.110. verſ.1. intelligenda igitur ſunt verba ſecundùm ſubjectam materiam. Jam autem de odio Chriſtus loquitur, quod mortale peccatum, & æterna pœnâ dignum eſt, Gal.5. v.21. Quocirca non de purgatorio, ſed de inferno carcer hic intelligendus erit, ex quo nulla redemptio, Pſ.49. verſ.15.

Dominica VII. poſt Trinitatis.

Evangelium Marc.8 verſ. 1.9.

CUm Iſraelitæ in deſerto flagrarent deſiderio carnium, & murmurantes contra Moſen dicerent: Quis dabit nobis carnes ad veſcendum? recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto, &c. audiebat Deus murmur eorum, & dixit ad Moſen: Præcipe populo, ut ſanctificentur in craſtinum. Dabo vobis carnes, ut comedatis non uno die, neque duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, ſed per totum menſem, donec exeat per nares veſtras & vertatur in nauſeam. Hoc Moſi impoſſibile videtur, & proinde ſic infit ad Dominum: Sexcenta millia peditum hujus populi ſunt, & tu dicis: dabo eis eſum carnium menſe integro? nunquid ovium & boum multitudo cœdatur ut poſſit ſufficere ad cibum, vel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient: cui reſpondet Dominus: nunquid manus Domini invalida eſt? Jam nunc videbis, utrum meus ſermo opere compleatur. Et ecce ventus egrediens à Domino abripuit coturnices de mari, & in caſtra Iſraelitarum demiſit, Num. 11.v.4.18.ſeqq.

Parem ferè hiſtoriam habemus in prælecto Evangelio. Convenientia eſt

1. *In cibatione*, utramque Chriſtus perfecit, 1.Cor.10.v.4.& quidem inſigni miraculo. Ibi coturnices adduxit: hîc panes multiplicavit, ut plus in reſiduo manſerit, quàm anteà in parato aderat.

2. *In dubitatione.* Sicut enim Moſes ibi dubitabat, & cibationem populi Iſraelitici propter copioſam multitudinem impoſſibilem judicabat, quamvis jamtum viderat, panem cœlitùs deplutum, & aquam de ſaxo profluentem, Exod.17. verſ.6. Ita hîc dubitant Apoſtoli dicentes: Unde ſumemus panes in deſerto, ut ſaturemus turbam hanc copioſam? cum tamen anteà vidiſſent, quod quinque panibus hordeaceis quinque virorum millia cibaverat, Joh. 6.v.12.

3. *In loci conformatione.* Utrumque enim miraculum in deſerto peractum eſt, quod facit ad majorem ſplendorem miraculi, Deus enim quàm libentiſſimè auxiliatur, cum media nulla humana ſuppetunt, ut omnes uno ore fateantur: hoc Dei opus eſt, Pſ.64.v.10.

Nos ad manus ſumemus ipſam hiſtoriam, & tribus membris totam concionem includemus.

I. Videbimus *Chriſti clementiam.*
II *Apoſtolorum diffidentiam.*
III. *Miraculi excellentiam.*

J.J.

EXEGESIS.

LAuda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion; quoniam confortavit

tavit ſeras portarum tuarum, poſuit fines tuos in pacem, & adipe tritici ſatiat te, mittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo ejus, inquit Pſalmographus Pſ.147.v. 12.13.14.15.

Quibus verbis admonemur ut Deum celebremus propter duplicem cibationem, ſpiritualem & corporalem. Primò enim mittit verbum ſuum, quo animam noſtram cibat, ne æternâ fame pereamus. Deinde etiam corpus noſtrum paſcit adipe frumenti, dat pacem finibus noſtris, confortat mœnia portarum noſtrarum contra hoſtes, ut poſſit terra coli, & panis ex ea produci. Utrumque cibi genus in hodierno nobis proponitur Evangelio. Nam poſtquam Chriſtus turbam præſentem per tres dies epulis ſpiritualibus cibaverat, corporaliter etiam ipſos paſcit, ut oſtendat, tàm corporis quàm animæ cibum ab ipſo tanquam mediatore, cui omnia in manus tradita ſunt, expectandum eſſe.

Notandus igitur hîc

I. *Populi fervor*, quem probat

1. *Copia.* Apud nos pauci admodùm, rari & interdum nulli conveniunt, plerisque onus eſt verbum Dei, quod nolunt audire, Jer.23.v.38.

2. *Induſtria.* Nam de longinquo veniunt, & per integrum triduum apud Chriſtum commorantur, rei familiaris curam planè ſeponentes. Nos vix ægrè pedem domo efferimus, cùm tamen apud nos propè ſit verbum, Rom.10. verſ.8. & ſi vel maximè templum ingredimur diebus ſolis, hora una nobis integro die aut menſe longior eſſe videtur, ut finem expectare non poſſimus, ſed vel ſub medium concionis nos ſubducimus, vel preces tamen & benedictionem ſacerdotalem floccipendentes domum properamus. Ita nimirum pietatis fervor in animis hominum refrixit, domus Dei deſerta eſt, currit quisque in domum ſuam, Hagg.1. verſ.9. & plus amat ſues, Marc.5. verſ.17. & boves, Luc.14. verſ.19. & opes, Matth.19. verſ.22. quàm verbum Dei, quod eſt tamen theſaurus, qui non perit, Matth. 6. v.20. & promiſſionem habet hujus & futuræ vitæ, 1.Tim.4. v.8. Certè Regina Auſtri & plebecula hæc ſurgent in noviſſimo die, & accuſabunt nos, Matth.12. v.42.

II. *Chriſti amor*, qui eſt

1. *Intenſivus.* Cum enim Chriſtus videt populi zelum & concomitantem inopiam, omnia viſcera ejus commoventur. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit affici ſenſu calamitatum noſtrarum, Ebr.4. verſ.15. ſed qui miſeretur noſtri ſicut Pater, Pſal.103. verſ.13. & ſicut mater, Eſa.49. v.15. eſt enim Pater miſericordiarum & omnis conſolationis, 2.Cor.1. verſ.3. cujus viſcera conturbantur & ad miſericordiam ipſum adigunt, Jer.31. v.20.

Fluit ex hoc fonte larga conſolatio. Eget quis inter nos, & in miſeriis hæret? non abjiciat animum. Habemus Chriſtum σπλαγχνιζόμενον, qui videt afflictionem & laborem noſtrum, & adjutorem ſe præſtat opportunum, Pſ.9. v.10. accedite igitur Vos mei cum fiducia, ut miſericordiam conſequamini, Ebr.4. v.16.

2. *Effectivus.* Non enim vult auditores ſuos incœnatos dimittere, ne fortè in via deficiant. Antequam peterent, videt ipſorum penuriam, nec ſolùm videt, ſed etiam miſericordiâ tangitur, nec ſolùm miſericordiâ tangitur, ſed etiam de auxilio ferendo cogitat. Quid faciet rogatus, ſi hoc fecit nemine rogante vel deſiderante? quid faciet in ſtatu Exaltationis, ſi hoc fecit in

Digitized by Google

ſtatu exinanitionis? Eſt enim adhuc frater noſter, & ad dextram Patris interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34. O confidite dilecti in omnibus neceſſitatibus. Salvatorem habemus, qui non tantùm habet cor miſericors, ſed & manus omnipotentes, quæ ſuperabundanter facere poſſunt ultra id quod petimus & intelligimus, Eph. 3. v. 20. Opus tamen eſt, ut populum hunc imitemur 1. Chriſtum ſequendo. 2. verbum audiendo. 3. in devotione permanendo. Nam miſericordia parata eſt timentibus ipſum, Pſ. 103. v. 17. Luc. 1. v. 50.

De Secundo.

Vidimus Chriſti clementiam, videbimus etiam *Apoſtolorum diffidentiam*. Poſtquam enim Chriſtus animum & conſilium ſuum aperuiſſet, diſſuadent illi cibationem populi tribus argumentis:

1. *Propter cibi paucitatem*. Nihil enim habent præter ſeptem panes, quibus ipſi indigebant, & proinde in alios diſtribuere ſupervacaneum exiſtimabant: Ita nos pendemus ab externis mediis, quæ præ oculis & manibus verſantur. Si deficiunt, mox exclamamus: Septem panes quid inter tàm multos? verùm ſtultis iſtis & profanis cogitationibus præſens hoc miraculum opponamus. Opponamus exempla Iſraelitarum in deſerto, Ex. 16. v. 14. Eliſæi, 2. Reg. 4. v. 5. 43. Sareptanæ, 1. Reg. 17. v. 14. Opponamus indubitatas promiſſiones divinas, Pſ. 33. v. 19. 37. v. 25. Eſa. 30. v. 20. Ebr. 13. v. 5. Has promiſſiones Deus dedit qui eſt ipſa veritas, & cujus verbum eſt veritas. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt, inquit Chriſtus, Luc. 21. v. 33.

2. *Propter loci ſterilitatem*. Putant enim, ſi vel maximè tantùm pecuniæ ſuperſit, quantum ad cibandum hunc populum requiratur, tamen in deſerto panes nullos venum expoſitos eſſe, quibus ſaturentur tot ſtomachi famelici. Tales nobis etiam quandoque obrepunt cogitationes, cum ager ſterileſcit vel propter bellicos tumultus, vel etiam propter aeris inclementiam. Sed nolite animum abjicere, Deus in deſerto 40. annis pavit Iſraelitas abſque ſatione & abſque meſſe, Deut 8. v. 16. paſcet etiam nos, & non permittet aliquem ſuorum fame perire, Pſ. 145. v. 15. 16.

3. *Propter populi numeroſitatem*. Hæc multos adhuc hodie vexat tentatio, quando familiam ſuam contemplantur, & multos inſuper liberos habent, quibus victum & amictum ſuppeditare coguntur. Noli deſperare: Dives eſt Deus noſter ſuper omnes qui invocant ipſum, Rom. 10. verſ. 12. in hunc jacta curam tuam, Pſ. 55. v. 23.

Er gibt mehr auff einen Tag/
Dann ein gantz Kåyſerthumb vermag/
Noch iſt er ſo ein reicher GOtt/
Je mehr er gibt/ je mehr er hat.

Si igitur habes multos liberos, fac multùm orent, & Pater cœleſtis, qui audit pullos corvorum invocantes eum, audiet etiam preces liberorum tuorum Pſ. 147. v. 9. nam ex ore infantium & lactentium perficit ſibi laudem, Pſal. 8. v. 3. qui dedit ipſis vitam, victum & veſtes non denegabit, Matth. 6. v. 25. parvos & magnos creavit, & æqualem pro omnibus curam gerit, Sap. 6. v. 8.

Joſephus in Ægypto Patri & fratribus dabat poſſeſſionem, ſingulis tamen pro numero liberorum, Gen. 47. v. 12. Multò magis Deus reſpiciet liberos, & piis parentibus tantum dabit, quantum ad alimentandos liberos ſufficiet. Hinc Lutherus in gloſſa margi-

marginali: Nobis ſenioribus, qui malitioſi ſumus, Deus benefacit propter liberos. Wir alte Narren eſſen mit den Kindern / und nicht die Kinder mit uns: Ipſi ſunt Domini nos proviſores. Quoties igitur Satanas in corde tuo hanc movet quæſtionem: Unde ſumemus panes, ad Chriſtum confuge, & dic humiliter: Ah Domine, panes duntaxat ſeptem ſuperſunt, & multi victu meo indigent: Tu verò dives es ſuper omnia, tuam benedictionem expectabo, non eſt tibi difficile ſervare, vel in multis vel in paucis, 1. Sam. 14. v. 6.

De Tertio.

Reſtat pars Tertia *de miraculo*, cujus excellentiam tria potiſſimùm commendare videntur:

I. *Diſcubitus.* Mox enim ubi Chriſtus percipit, ſeptem adhuc panes ſupereſſe, præcipit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram.

Hoc pertinet ad noſtram informationem. Per diſcubitum intelligi poteſt certum vitæ genus & officium, quo Deus unumquemque collocavit. Non enim omnes unam & eandem ſtationem occupant, ſed hunc Deus juſſit diſcumbere in Eccleſia, illum in Curia, alium in Oeconomia: Unusquisque ergò maneat in ſua vocatione, 1. Cor. 7. v. 17. nec ſpe majoris lucri alium locum occupet. Omnis qui timet Dominum ſaturabitur, quocunque loco conſederit, modò expectet donec benedictione ſuâ Deus ad ipſum quoque pervenerit.

II. *Agendi modus*, qui valde notabilis:

1. *Panes accepit*, & ita quaſi conſecravit attactu manuum ſuarum, ut ad cibationem tantæ multitudinis abundantiſſimè ſufficerent. Potuiſſet quidem ſolo verbo & nutu etiam ſine panibus & piſcibus hæc quatuor hominum millia ſaturare, ut Moſen, Exod. 34. v. 28. & Eliam, 1. Reg. 19. v. 8. vel varias eſcas ex nihilo producere, ſicut in principio omnia ex nihilo condidit, Gen. 1. v. 1. Rom. 4. verſ. 17. ſed ab ordinario paſcendi modo non vult omninò recedere, proinde panes accipit, quos porrigunt ipſi diſcipuli. Hi debent materiam præbere miraculi, quamvis poſt cibationem plus supereſt fragmentorum, quàm hi ſeptem panes ſuppeditare potuiſſent. Docet nos, quod media ad vitæ ſuſtentationem ab ipſo Deo ordinata non debeamus negligere.

2. *Gratias egit*, ut nos doceret de perceptis cœlitus muneribus gratias ſemper agere. Quia enim nihil habemus quod non accepimus, 1. Cor. 4. v. 7. æquum eſt, ut hoc agnoſcamus & gratias agamus ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Eph. 5. v. 20. hæc eſt voluntas Dei, 1. Theſ. 5. v. 18. præſertim quando ad menſam accedimus, aut de menſa ſurgimus preces non obliviſcamur, quibus omnis creatura ſanctificatur, 1. Tim. 4. v. 4. & cogitemus, Deum eſſe, qui dat nobis oleum, vinum & frumentum, Oſ. 2. v. 8. eique hoc nomine gratias agamus, Deut. 8. v. 10. Hoc ſi non obſervamus, ſed ſumus inſtar vaccarum, quæ gramine veſcuntur, nec agnoſcunt cujus benignitate creverit, aut inſtar porcorum, qui veſcuntur glandibus, & ne vel ſemel oculos elevant ad quercum, ex qua decidunt, certè Deum ad iram concitamus, ut auferat fulcimentum, Eſa. 3. v. 1. quo ſine comedimus quidem, ſed non ſaturamur, Hagg. 1. v. 6.

3. *Fregit*, ut diſtribui poſſent. Nihil hoc ad fractionem Calvinianam, ſed docere voluit Chriſtus, quomodo nos quoque panes

Digitized by Google

noſtros frangere, & in proximum egentem diſtribuere debeamus, juxta mandatum Eſ. 58. v. 7. ita frangimus Deo cor, ut non poſſit non noſtri miſereri, Jer. 31. v. 20. frangimus cœlum, ut pluviam ſerotinam & matutinam nobis non deneget, ſed cataractas ſuas aperiat, & benedictionem nobis effundat uſque ad abundantiam, Mal. 3. v. 10. frangimus colla hoſtium, ut nobis amplius nocere non poſſit, Pſ. 41. v. 2.

4. *Diſcipulis dedit.* Probè hoc obſervandum. Noſtri homines præconum verbi planè obliviſcuntur, putant enim nihil eis deberi, quia gratis dare præceptum eſt, Matth. 10. v. 8. ſed confundunt donum miraculorum, quod gratis exerceri Chriſtus voluit, cum labore prædicationis, cui ſuum debetur ſtipendium, Luc. 10. v. 7. 1. Cor. 9. v. 7. ſeqq. Gal. 6. verſ. 6. Hic videmus quod ex manu diſcipulorum Chriſtus populum cibare voluit, ut oſtenderet, quando miniſtris Eccleſiæ pars ſua datur, quam ipſis Deus deputavit, nihil defuturum vel in Politia vel in Oeconomia, Prov. 3. v. 10. 2. Chr. 31. v. 10. Ezech. 44. v. 30.

5. *Apponere juſſit*: Ita nos bonis à Deo acceptis non ſoli utamur, ſed ex noſtra abundantia proximi quoque inopiam ſublevemus, 2. Cor. 8. v. 14. Corradendo non benedicitur noſtro victui, ſed elargiendo & diſtribuendo, Pſ. 112. v. 9. dum enim aliis benefacimus de bonis noſtris terrenis, indeficientem nobis ipſis theſaurum cumulamus, Gal. 6. v. 8. 9.

III. *Conſequens eventus*, qui triplex:

1. *Populi ſaturatio.* Heliogabalus parabat aliquando convivium magnificum, ſed cibi non niſi picti apponebantur, & convivæ de menſa ſurgentes magis eſuriebant, quàm cum ad eandem accederent: Ita Chriſtus non cibat, ſed omnes ſaturantur, quod benedictioni ejus aſſcribendum eſt, Pſal. 132. verſ. 15.

Videmus hîc non improbari, quando quis divitiis à Deo ſibi conceſſis rectè utitur, ut comedat & bibat, & videat bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt, Eccl. 3. v. 12. 13 c. 5. v. 17. hoc non faciunt avari, ſed mappam ſubtrahunt domeſticis ſuis, antequam ſatientur, quæ plaga eſt & pœna perverſitatis eorum, Sir. 14. v. 6.

3. *Fragmentorum comportatio.* Poſtquam enim populus ſaturatus eſſet, juſſit Chriſtus fragmenta colligere, & docet hoc ipſo, quàm magnum vectigal ſit parſimonia. Subſtantia enim collecta multiplicatur, Prov. 13. v. 11. & qui colligit in meſſe, filius ſapientiæ eſt, Prov. 10. v. 5. *Si verò in æſtate non congregas, in ſenecta quid invenies,* Sir. 25. verſ. 5.

3. *Miraculi exaggeratio.* Collegerunt enim de ſeptem panibus ſeptem ſportas fragmentorum, homines autem qui comederant, erant quatuor millia.

Inſigne miraculum, quo Chriſtus gloriam ſuam manifeſtavit, Johan. 2. v. 11. ut credamus ipſum eſſe Filium Dei, Johan. 20. verſ. 31. nemo enim talia ſigna facere poteſt Johan. 3. v. 2. & non deſperemus, ſi media exigua ſunt, quibus noſtra alenda eſt, ſed ad Chriſtum confugiamus, qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, Rom. 4. verſ. 17. & ſuperabundanter facere poteſt ultra id quod petimus & intelligimus, Eph. 3. verſ. 20.

Digitized by Google

Dominica VIII. poſt Trinitatis.

Evangelium Matt. 7. v. 15. 23.

APoc. 9. v. 2. ſeqq. videt Iohannes ex abyſſo prodire locuſtas, quæ habebant facies humanas, & capita aureis coronis ornata, ſed caudæ erant ſimiles ſcorpionum, & aculei in caudis earum.

Per locuſtas haſce repræſentantur nobis hæretici, qui lingua blandiuntur, & ſpeciem pitatis egregiam præ ſe ferunt, ſed cauda letiferos ictus infligunt omnibus illis, quibus aures pruriunt, & veritate ſepoſitâ fabulis delectantur, 2. Tim. 4. v. 3. 4. proinde cavendum eſt ab ejuſmodi falſis Prophetis, ut Chriſtus docet in prælecta pericope hodierni Evangelii, quam abſque ulterioribus verborum ambagibus ad manus ſumemus, & dicemus

I. De Hæreticis.

II. De Hypocritis.

I. I.

EXEGESIS.

QVemadmodum non niſi ſol unus in mundo eſt, ita non eſt niſi unus Deus, 1. Cor. 8. v. 4. & una fides, Gal. 4. v. 5. & una veritas, Ioh. 14. v. 6. & una porta & via ſalutis, Matth. 7. v. 14. qui igitur deflectit ad dextram vel ad ſiniſtram, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundùm pietatem eſt doctrinæ, inflatus & veritate privatus eſt, 1. Tim. 6. v. 3. Hinc Chriſtus cavete ſuum ingeminat, Cavete, inquit, vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ovium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces, &c. ubi tria nobis potiſſimùm conſideranda occurrunt:

I. *Fuga.* Nam προσέχετε, inquit Chriſtus, Sehet euch wol für/ Pſeudophetæ venient, & ſpontè venient, legitimam non habentes vocationem, Ier. 23. v. 21. Sed domos penetrabunt, captivas ducentes mulierculas, 2. Tim. 3. verſ. 6. Cavete igitur, cavete inquam, ne decipiant vos. Hoc præceptum Chriſti maximè neceſſarium eſt ultimis hiſce temporibus, ubi multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum, 1. Ioh. 4. v. 1. & dicunt, hîc eſt Chriſtus, ibi eſt, Matth. 24. v. 23. per talem χρισολογίαν καὶ ἐυλογίαν ſeducunt corda innocentium, Rom. 16. v. 18. opus igitur eſt, ut cavete ſuum frequenter ingeminent

1. *Eccleſiæ miniſtri*, & non ſolùm theſin ſanæ doctrinæ auditoribus tradant, ſed conjungant ſimul ἀντίθεσιν, & τὸ ἐπιςομίζειν Paulinum exerceant, ut diſcant ſimplices Chriſtiani pretioſum à vili ſeparare, Ier. 15. verſ. 19.

2. *Magiſtratus politici*, & lupos tales ab ovili Chriſti arceant, ne gregem invadant, & diripiant. Tales autem perſonas Eccleſiæ præficiant, quæ bonum teſtimonium habent. 1. Tim. 3. v. 7. & potentes ſunt exhortari in ſana doctrina, & contradicentes redarguere, Tit. 1. v. 9.

3. *Omnes promiſcuè Chriſtiani*, ut fugiant eos, qui diſſenſiones & offendicula movent præter doctrinam quam didicerunt, Rom. 16. v. 17. Spiritus probent, 1. Ioh. 4. v. 1. diligenter orent, Pſal. 119. v. 10. 29. veritati Catecheticæ ſimpliciter inhæreant, nec à quovis vento doctrinæ ſe patiantur moveri,

Digitized by Google

veri, Eph.4.verſ.14. Si vel maximè Angelus de cœlo aliud Evangelium prædicaret, Galat.1.verſ.8.

II. *Nota*, quæ triplex.

1. *Veſtitus ovinus.* Prophetæ in populo Dei ut plurimùm melotas ſive ovinas veſtes geſtare ſolebant, Ebr. 11. v. 37. hunc etiam falſi Prophetæ habitum imitabantur, ut ſimplicioribus tantò facilius imponerent, ut videre eſt Zach. 13. verſ. 4. ideò Chriſtus hanc ſimilitudinem retinet, ut oſtendat in habitu externo multa eſſe Pſeudoprohetis cum veris Prophetis comunia, ſed doctrina diſcrepat, & ſerpit ut Cancer, 2.Tim.2.v.17.

Videbimus materiam ex qua veſtis hæc conſuta eſt, quæ uno verbo eſt *mendacium.* Hoc omnes Pſeudoprophetæ amicti ſunt, Joh.8.v.44.1.Reg.22.v.22. *Color eſt ſimulata pietas.* Incedunt enim ſicut Phariſæi in humilitate & ſuperſtitione Angelorum, Col. 2.v.18. *Sutura*, quibus pars parti conjungitur, *ſunt varia ſophiſmata*, quæ artificiosè quandoque exornant, & his ipſis στρεβλῶσι dicta Scripturæ, ut imponant ſimplicioribus, 2.Pet.3. v.16. ἐν πλαστοῖς λόγοις, 2.Pet. 2.v.3. dum ſimilia cum orthodoxis loquuntur, ſed diſſimilia ſentiunt, ut loquitur Irenæus. *Segmenta ſunt dicta Scripturæ*, quæ magno numero allegant, & hoc quaſi velamento errores ſuos palliant, exemplo patris ſui diaboli, Matth.4. v.6. *Forma non eſt Hiſpanica ſive Gallica, ſed univerſalis & communis omnibus hæreticis*, nimirum *ambitio*, ſemper enim una hæreticis fuit intentio, captare gloriam de ſingularitate ſcientiæ, inquit Bernhardus. Spiritus enim à quo aguntur eſt Rex ſuperborum, Job.41.v.25.

Egregia veſtis, quâ multi ex ſimplicioribus faciſuantur, & circa fidem naufragium patiuntur, 1.Tim.1. v.19.

2. *Animus lupinus.* Duo ſunt inprimis quæ ad crudelitatem lupi pertinent:

1. *Fraudulentia.* Fingit enim quandoque vocem canis, ut non lupus ſed canis eſſe credatur: aliquando emittit voces humanas, ut non lupus ſed homo eſſe videatur, quod de hyoena inprimis commemoratur, vide Sir.13. verſ.22. Ita Pſeudoprophetæ loquelam verorum Paſtorum imitantur, ut facilius homines decipiant, 2.Cor.11. v.13.2. Pet.3. verſ.16. Solet etiam lupus ſubter folia virentia & arbuſta ſe abſcondere, ut oves ad carpendum venientes rapiat & devoret: Sic Pſeudoprophetæ ornant ſe foliis Scripturarum & fucatæ ſanctimoniæ, ut incautos ad ſe alliciant & opprimant. Lupus terram vorare dicitur, ut ponderoſior reddatur ad capiendam prædam eandemq; retinendam: Ita hæretici terrenos favores aucupantur, & Regum aulas perreptant inſtar ranarum Ægyptiacarum, ut quod non poſſunt verborum lenociniis brachio ſeculari in actum producant, Exod.8.v.3.

2. *Violentia.* Nam animal eſt rapaciſſimum, & quando gregem invadit, non quod ad ventrem ſatis eſt perimit, ſed oves ad unam omnes jugulat, & carnis inprimis ac cruoris humani, nec non fœtus in utero materno deliteſcentis cupidiſſimus eſſe dicitur: Ita hæretici non unius & alterius perniciem quærunt, ſed totum gregem invadunt, non deſiſtentes à cœpto, quin omnes & ſingulos falſa ſua doctrina infecerint. Inprimis juventutem blandis verbis & munuſculis etiam ad ſe alliciunt, cum adultiores in retia ſua pertrahere non poſſunt, ut patet exemplo Jeſuitarum. Sed revera ſunt lupi rapaces, qui *eripiunt hominibus verbum*, & vel ad lumen naturæ & rationis, vel ad peculiares revelationes & traditiones Patrum ipſos

Digitized by Google

ipſos abducunt. 2. *Rapiunt omnem conſolationem* ex cordibus afflictorum, docentes ejuſmodi doctrinas, quæ homines certos in fide aut de ſalute ſua nunquam poſſunt reddere, qualis eſt Pontificiorum de perpetua dubitatione, & Calvinianorum de abſoluto decreto. 3. *Rapiunt ad ſe eleemoſynas pauperum*, & in avaritia fictis verbis de hominibus negotiantur, 2.Pet.2.verſ.3. Denique 4. *rapiunt ad ſe animas hominum* in ęternam perditionem, unde fures & latrones à Christo appellantur, Joh.10.v.8.

3. *Fructus adulterinus.* Nam ex fructibus cognoſcetis eos, inquit Chriſtus. Per fructus non intelliguntur hîc fructus vitæ ſive doctorum ſive auditorum. Fieri namque poteſt, ut aliquis concionator ſanam & incorruptam doctrinam ſuis tradat auditoribus, atq; ipſe interim vitę improbitate diffluat, quod docet exemplum Iudæ, Ioh.12. v.6. ſed neque diſſoluti mores & vitia auditorum ſunt fructus doctrinæ, ſi non approbentur, ſed juſtâ ſeveritate taxentur, plerunque enim ſemen verbi divini quartâ demum agri parte fructificat, Luc.8. v.8. Sicut igitur non reſpicitur in arbore, num ſit procera, recta, & pulchris foliis ornata, ſed quales fructus proferat: Ita non reſpiciendum in miniſtro an ſit eruditus, eloquens, verbis & geſtibus modeſtus, & honeſtam vitam ducat: Hæc enim ad externum duntaxat arboris ornatum pertinent: Sed num doctrina, quam profitetur, cum verbo Dei ex omni parte conſentiat. Hæc igitur fideliter examinanda erit exemplo Berrhoenſium, Act.17. v.10.11. num ex Scripturis deprompta ſit, Eſa.8.v.20. & gloriam Dei quærat, 1. Cor.10. v.31. noſtramque conſolationem, Rom.15.verſ.4. Si talis eſt, bona, ſin minus, falſa & erronea eſt, Ioh.8.v.31.

Aſſume jam dogmata Pontificiorum, de meritis operum, de invocatione Sanctorum, de mutilatione S. Coenæ, &c. Aſſume etiam dogmata Calvinianorum de abſoluto decreto, de cauſa peccati, de negata præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna, &c. & fructus malos ubere proventu ſuccreſcere videbis. Unde facilè colligere erit, quod arbor non ſit bona. Sic probandi ſunt Spiritus, 1.Joh.4.v.1.

III. *Cauſa*, cur vitandi. Licet enim notæ Pſeudoprophetarum, quas modò recenſuimus, cauſæ etiam ſunt, cur ab ipſis cavere nobis debeamus, addit tamen Chriſtus per interrogationem rhetoricam, ſimilitudines aliquas, quibus id quod dixerat, magis illuſtrat, v.16.17.18.19.

1. Deſumpta eſt *à ſpinis*, quæ tempore veris egregiè florent, & ſuaviſſimum ſpirant odorem, ut, qui fructus nunquam vidit, aut guſtavit, Iovem juret lapidem, dignum eſſe hoc tale arbuſtum, ut in medio hortorum plantetur: Sed fructus ſunt amari, qui comedentibus os contrahunt, & dentes hebeſcere faciunt. Præſertim in agro ſuccreſcens calorem ſolis impedit, & ſegetes ſuffocat, ut ad maturitatem pervenire non poſſint: Ita quidem falſa doctrina pulchram habet ſpeciem, & rationi optimè congruit, ut multi hoc nomine ipſam pro theſauro doctrinæ cœleſtis amplectantur. Sed fructus inde emergentes ſunt mala conſcientia & æterna perditio, quam in inferno omnes illi qui adhærent jam pſeudoprophetis, nimis ſerò deplorabunt, Sap.5.v.6.

2. *A tribulis*, qui ſponte creſcunt, & latè ſerpunt, multamque agris pinguedinem ſuffurantur: imò capita extollunt ſuper omnem ſegetem, quaſi dominium agri ſibi jure competeret, & flores etiam producunt

Digitized by Google

ſatis coloratos & ornatos, ſed qui tangit, aculeos ſentit, qui niſi ſtatim extrahantur, ſaniem contrahunt, & multos dolores excitant, inſuper etiam hoc indolis habent, ut ſe per totum agrum diſſeminent ipſi, nec facilè eradicari aut deleri poſſint.

Ejuſdem farinæ ſunt hæretici & pſeudoprophetæ, cum falſâ ſua & perverſa doctrinâ. Nam ſpontè veniunt, & vocationem legitimam non habent, ſunt αὐτοδίδακτοι, & plus èruditionis ſibi arrogant, quàm reipſa poſſident, adeoque præ aliis videri volunt, Act.5.v.36. faciunt eminentiam ſermonis & ſapientiæ, 1. Cor. 2. v. 1. ut magnum applauſum ſibi concilient. Fructus autem mali ſunt, & non ſolùm animas pungunt, ſed etiam verâ conſolatione privant, & in deſperationem tandem conjiciunt, ut nulla poſtmodum arte conſcientia ejuſmodi ſauciata tranquillari poſſit; unde cancro etiam comparatur, quæ in horas latiùs ſerpit, & totum corpus inficit, 2. Tim. 2. v. 17.

3. *Ab arboribus infrugiferis.* Arbor ideò plantatur, ut fructus afferat, quibus paterfamiliâs ad domus ſuæ neceſſitatem uti frui poſſit. Hoc ſi non facit, ſuccidicur tandem & in ignem conjicitur, ne fruſtrà terram occupet, Luc. 13. v. 7. ita comparatum eſt cum falſa doctrina, quia enim fructus non facit idoneos, ſed pomis Sodomiticis ſimiles, Sap. 10. v. 7. meritò cane pejus & angue vitatur; ne ſanitati noſtræ ſpirituali damnum aliquod afferat, ut ſolent fructus putres & venenoſi. Huc applica 2. Reg. 4. verſ. 40.

O igitur cavete dilecti, cavete Pſeudoprophetas, & firmiter inhærete ὑγιαίνουσι λόγοις Domini noſtri Jeſu Chriſti, 1. Tim. 6. v. 3. verbum ejus veritas, Joh. 17. v. 17. inſtar uvæ lætificat, Jud. 9. v. 13. Pſal. 19. v. 8. 9. inſtar ficus ſanat, Eſa. 38. v. 21. Sap. 16. v. 12. inſtar bonæ arboris bonos fructus affert, eſt enim virtus ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

De Secundo.

DIximus de hæreticis, dicemus etiam *de hypocritis*, de quibus tria Chriſtus pronunciat:

I. *Indicium*, quo cognoſcuntur. Hoc duplex eſt:

1. *Externa pietatis ſimulatio*, quam colorant

1. *Verbis*, dum vociferantur Domine, Domine. Hæc putrida tabes hypocriſeos ſerpit hodie per totum corpus Eccleſiæ, ut multi quidem ſint Chriſtiani ſecundùm dici, pauci ſecundum eſſe, multi habent ſpeciem pietatis, ſed virtutem ejus abnegant, 2. Tim. 3. v. 5. multi confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, Tit. 1. verſ. 16. multi ore Deo appropinquant, & labiis glorificant, ſed cor longè abeſt, Eſ. 29. v. 13. fides eorum mortua eſt, Jac. 2. v. 17. pœnitentia falſa ut arcus doloſus, Oſ. 7. v. 16. ad ſacram cœnam accedunt ut Iudas, qui erat fur, Ioh. 12. v. 6. Si peccata taxantur de ſuggeſtu, ſeipſos juſtificant, & in alios culpam transferunt, ut mulier adultera, quæ tergit os ſuum, dicens: non ſum operata malum, Proverb. 30. v. 20. Sed rectè Auguſtin: ſimulata æquitas, non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas. Videte igitur vos mei, ne ſitis hypocritæ, & duplici corde ad Deum accedatis, Sir. 1. v. 36. Sed fides ſit ἀνυπόκριτος, 1. Tim. 1. v. 5. charitas non ſimulata, 1. Cor. 6. v. 6. nullus enim hypocrita venit in conſpectum Dei, Job. 13. verſ. 16.

2. *Factis*, dum prophetiam & miracula ſua jactitant, quæ in nomine Chriſti perpetraverant, Matth. 7. verſ. 22. Hæc enim ſunt

Digitized by Google

dona adminiſtrantia Spiritus S. quæ hypocritis etiam competunt, quò pertinet exemplum Caiphæ, Joh.11.v.51. & Judæ, Matth. 10.v.18. Sed vana eſt gloriatio, ſi fide deſtituatur & charitate, 1.Cor.13.v.2.ſeqq. quod probè notent φίλαυτοι, qui donis ſuis ad vanam gloriam abutuntur, & non Chriſto ſed ventri ſerviunt, Rom.16. verſ.18. Notent etiam Exorciſtæ & miraculorum præcones in Papatu, nihil proficient, ſed reſpondebit ipſis Dominus: Diſcedite à me, non novi vos. Siquidem de falſis Doctoribus prædictum eſt, quod ſigna etiam & prodigia multa patrabunt, Matth.24.v.24. imò ipſius Antichriſti operatio erit in ſignis & prodigiis mendacibus, 2.Theſſ.2.v.9.

2. *Contraria vitæ informatio*, dum voluntatem Patris non faciunt. Hæc autem eſt voluntas Patris ut credamus in Chriſtum, Johan.6.v.40. & fidem bonis operibus demonſtremus, 1.Theſſ.4.v.3. Jac.2.v.18. quod non faciunt hypocritæ, ſed inſtar ſepulcrorum dealbatorum ſpeciem pietatis exterius in fronte promittunt, cor verò peccatis ſcatet, Matth.23.v.27. & à norma decalogi ſemper deflectit, Pſ.125.v.5.

Studeamus igitur ut ſimus frugiferæ arbores, ſingulis diebus manè recitemus verba Decalogi, in quo Deus voluntatem ſuam nobis revelavit, & ex animo firmiter nobis proponamus, quod vitam ad illius normam conformare velimus. Veſperi item verba Decalogi recitemus, & ſicubi deprehendamus, nos cogitatis, verbis & factis offendiſſe, remiſſionem petamus, ac ſeriis gemitibus Deum invocemus, ut Spiritu ſuo nos regat cum Davide Pſ.143.v.10.

Non poſſumus quidem in hac vita tam perfectè voluntatem Domini facere, ut non ſuccreſcant vitioſi quidam ſtolones, aut erumpat radix aliqua amaritudinis, Ebr.12. v.15. Sed amputandi ſunt iſti ſtolones per veram pœnitentiam, ut probemus quæ ſit voluntas Dei bona, & bene placens & perfecta, Rom.12.v.2. Servus enim, qui cognovit voluntatem Domini, & non præparavit ſe, nec fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis, inquit Salvator, Luc. 12. verſ. 47.

II. *Judicium*. Non omnes, inquit Chriſtus, qui dicunt mihi, Domine, Domine, introibunt regnum cœlorum: Nam oculi ejus reſpiciunt fidem, Jer.5.v.3. & ubi fides non eſt, impoſſibile eſt Deo placere, Ebr.11.v.6.

Cygnus annumeratur animalibus impuris, quia albis pennis ornatus eſt, ſed carnem habet nigram, Lev.11.v.17. Ita hypocritæ albicant exterius, ſed cor nigrum eſt, & multâ ſcatet iniquitate, proinde abominatio ſunt coram Deo, & radicitus olim extirpabuntur, Pſ. 12. v. 4.

III. *Supplicium*, quod duplex:

1. *Regni cœleſtis privatio*. Non enim introibunt in regnum cœlorum, quæ certè graviſſima poena eſt, & hypocritas excludit à conſortio SS. Trinitatis & beatorum angelorum, omniumque bonorum cœleſtium participatione. Regnum terrenum magni æſtimatur, quod tamen à populo ad populum migrare ſolet, divitiæ enim non manent perpetuò, neque corona à generatione in generationem, Prov.27.v.24. quantò pluris igitur æſtimandum erit regnum cœleſte, & corona ejus immarceſſibilis, 1.Pet.5.v.4. ubi gaudium noſtrum perfectum erit, Joh. 16.v.24. & honorum copia iis qui ambulant in innocentia, Pſ.84.verſ.12. Sed hypocritæ privabuntur regno, privabuntur corona, privabuntur omnibus bonis, nam ſpes hypocritæ peribit, Job.8.v.13.14.

 2. *Æter-*

Digitized by Google

2. *Æterna gratiæ denegatio.* Nam confitebitur ipſis Chriſtus & dicet: Diſcedite à me, non novi vos. Triſtiſſima certè ſententia, ad quam niſi exhorreſcant & corrigantur operarii iniquitatis, executionem aliquando experientur in die iræ & revelatione juſti Dei judicii, Rom. 2. v. 5. qui enim hîc diem acceptum gratiæ & ſalutis negligit, 2. Cor. 6. v. 2. hunc tenebræ operient ſempiternæ, Iohan. 12. v. 35. & locum indulgentiæ non amplius inveniet. Rogamus Deum Patrem coeleſtem, ut ab hoc malo nos clementer præſervet per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Dominica IX. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 16. v. 1. 9.

VIdit Nebucadnezar in ſomno arborem, cujus proceritas contingebat cœlum, & dilatabat ramos ſuos usque ad terminos univerſæ terræ, univerſa animalia campi & volucres coeli degebant ſub umbra ejus, & ex ea veſcebatur omnis caro. Sed ecce vigil ſanctus deſcendebat de cœlo, & clamabat fortiter: ſuccidite arborem, & præcidite ramos ejus: Ita decretum eſt in ſententia vigilum, & colloquio ſanctorum, ut cognoſcantur homines, quoniam dominatur excelſus ſuper regna mundi, & diſtribuit illa prout vult. Hoc ſomnium poſteà David explicat de ipſo Nebucadnezare, qui caput aureum dicitur, & potentiſſimus erat Monarcha in toto mundo: ſed abutebatur donis ſibi concreditis ad ſuperbiam, proinde exciſus eſt, & inſtar beſtiæ circumcurſitavit in ſylvis & agris, donec capilli ejus creſcerent in ſimilitudinem aquarum, & ungues ejus quaſi avium, Dan. 4. v. 7. ſeqq.

Idem accidit diſpenſatori iniquo, cujus mentionem facit hodiernum Evangelium. Quia enim bona ſibi concredita dilapidaverat, citatur ad abacum, & villicationis ſuæ rationem reddere jubetur, ſed non poteſt, calculus expenſorum & acceptorum ſemper diſcordant, propterea ſucciditur arbor, id eſt, iniquus diſpenſator ab officio removetur.

Sicut autem David Regi conſulit, ut peccata redimat eleemoſynis, & iniquitates miſericordiis pauperum, Dan. 4. v. 24. ita Chriſtus ſuadet in hodierno Evangelio nobis omnibus, qui ſervi inutiles ſumus, & iniqui diſpenſatores, ut amicos nobis paremus ex mammona injuſtitiæ, qui in æterna tabernacula nos tandem aliquando recipiant.

Videbimus nos

I. *Diſpenſatoris iniqui prudentiam.*
II. *Salvatoris Chriſti ſententiam.*

J.J.

EXEGESIS.

GRavis eſt vox Apoſtoli 1. Cor. 4. v. 2. in diſpenſatore nihil aliud requiritur, quàm ut fidelis inveniatur. Hanc fidelitatem non præſtitit Oeconomus, proinde citatur à Domino, ut rationem reddat, quomodo bona ſibi concredita adminiſtraverit. Duo igitur hîc conſideranda veniunt

I. *Dominus conſtituens,* qui deſcribitur

1. *Ab opulentia.* Dicitur enim vir dives, quia verè eſt αὐταρκής, dives in omnes qui invo-

invocant ipſum, Rom. 10. v. 12. proprietarius coeli & terræ, Pſ. 82. v. 8. auri & argenti, Hag. 2. v. 9. cui omnes Creaturæ ad unam obediunt, Pſ. 148. v. 8. Sir. 40. v. 34. ſeqq. Si igitur paupertas te premit, accede divitem hunc patremfamiliâs, & ora cum Eccleſia:

Gib uns heut unſer täglich Brod/
Und was man darff zur Leibes-Noth.

tunc aperiet theſaurum ſuum, & benedictione te cumulabit largiſſimâ, Mal. 3. verſ. 10. nam oculi omnium in ipſum ſperant, &c. Pſ. 145. v. 15.

2. *A beneficentia.* Nam Oeconomum conſtituit, inquit Salvator, non ex neceſſitate & indigentia, ſicut Dynaſtæ ſuos habent oeconomos, quia ipſimet per ſe & immediatè non poſſunt omnibus rebus proſpicere, implet enim coelum & terram, Jer. 23. v. 24. ſed ex immenſa bonitate, eſt enim ſummum bonum & quicquid Creaturæ boni habent, ab ipſo proficiſcitur, Jac. 1. v. 17.

Bona, quæ nobis concredidit, ſunt varia, ad tres tamen potiſſimùm claſſes redigi poſſunt:

Prima habet bona naturæ, qualia ſunt valetudo, ſanitas, pulchritudo, & omnes ſenſus, dotes & qualitates, boni conſtituti corporis; quod lingua loquitur, oculus videt, auris audit, manus operatur, pes ambulat, &c. hæc omnia non à parentibus hæreditario jure poſſidemus, ſed ab hoc divite & cœleſti Patrefamiliâs tanquam Oeconomi & Diſpenſatores tenemus, qui nos in utero ſicut lac mulget, Iob. 10. v. 10. mirabiliter format, Pſal. 139. v. 14. ex alvo matris extrahit, Pſal. 22. v. 10. 11. vitam & halitum impertit, Act. 17. v. 28.

Secunda habet bona fortunæ, ut ſunt divitiæ, aurum, argentum, domus, agri, omniaque ad victum & amictum neceſſaria, quæ nobis iterum non hæreditariò, ſed tanquam uſufructuariis à Deo conceſſa ſunt. Nam benedictio Domini divites facit, Prov. 10. verſ. 22.

Tertia habet bona gratiæ, ut ſunt eruditio, ſapientia, eloquentia, fides, ſpes, charitas, juſtitia, ſalus, &c. dona ſanctificantia & non ſanctificantia, hæc omnia cœleſtis Patri familiâs diſtribuit, prout vult, 1. Cor. 12. verſ. 11.

Noſtrum erit, hoc ſæpe ruminare, ne efferamur animo propter bona nobis à Deo concredita, ſed tanquam fideles Oeconomi diſpenſemus illa 1. ad Dei gloriam, 1. Cor. 10. v. 31. Matth. 10. v. 41. Exod. 35. v. 21. 2. Proximi penuriam, Prov. 5. v. 16. & 3. alimentationem propriam, 1. Tim. 6. v. 8. ita audiemus aliquando vocem illam lætiſſimam, Euge ſerve bone & fidelis, &c. Matth. 25. verſ. 21.

3. *A Providentia*, quam commendat

1. *Accurata obſervatio.* Nam Corycæos ſuos habet, qui deferunt iniquum diſpenſatorem, & omnes illos adhuc hodie, qui talentum ſibi concreditum non rectè collocant.

Supra nos accuſatores habemus beatos Angelos, qui ſemper vident faciem Patris cœleſtis, Matth. 18. v. 10.

Iuxta nos (1) *Doctores Eccleſiæ*, qui propterea ſpeculatores vocantur ad id à Deo conſtituti, Ezech. 3. v. 17. & quando ingemiſcunt ſuper malitia auditorum ſuorum, gemitus illi ad Deum perveniunt, hoc ipſis bonum non eſt, Ebr. 13. v. 17. (2) *Proximum quem offendimus*, inprimis viduarum & pupillorum gemitus, Sir. 35. v. 19. (3) *Omnem creaturam*, quâ abutimur, Rom. 8. v. 20.

Intra nos corycæum habemus propriam conſcientiam, quæ peccata ſtylo ferreo, & acuto

Digitized by Google

acuto adamante notat tanquam in diario quodam, Jer. 17. verſ. 1. unde perpetua naſcitur accuſatio, Rom. 2. v.15.

Infra nos alius adverſus nos inſurgit accuſator, Diabolus videlicet, qui coram Deo apparet, Job. 1. v. 6. & accuſat nos interdiu noctuque, Apoc. 12. v. 10.

Ecce tot & tantos accuſatores nobis omnibus & ſingulis momentis incumbentes habemus. Quidni igitur veternum excutimus, & circumſpectè ambulamus, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, Eph. 5. v. 15. Orantes cum Davide: Domine vide, ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna, Pſ. 139. v. 24.

2. *Severa citatio*, quæ delationem ex tempore ſequitur, cum hâc formula: quid audio de te? Redde rationem villicationis tuæ. Ita nos quoque citamur à Deo partim citatione gratiæ, partim citatione iræ. *Citatio gratiæ* fit per verbum, quo ad pœnitentiam vocamur, de qua citatione Paulus loquitur 2. Cor. 6. v. 1. ſeqq. huc referuntur *citationes crucis & adverſitatum*, quibus animas bis vel ter à corruptione revocat, Job. 33. v. 30. ne pereant cum mundo, ſed æternam ſalutem conſerventur, 1. Cor. 11. v. 32. hanc quidem benevolentiam Deus nemini debet, ſed ex mera gratia exercet, Sap. 12. v. 18. 19. Si qui verò ſunt, qui citationem hanc non attendunt, aliam mox inſtituit, nimirum *citationem iræ*, qua impium in medio peccatorum curſu abripit, ut locus non ſit pœnitentiæ, ſed quod peccando hîc contractum eſt, cruciatibus æternis in inferno luendum erit, ut videre eſt, Prov. 1. v. 24. ſeqq. Quomodo ſtabunt? quid reſpondebunt ex dynaſtis & poteſtatibus illi, qui Nabothi vineam ad ſe rapuerunt, 1. Reg. 21. v. 15. vel pauperibus cutem detraxerunt, Mich. 3. verſ. 3. vel juſtitiam in abſynthium commutarunt, Amos 5. v. 7. quando dicetur ipſis: Redde rationem villicationis tuæ. Certè væ æternum ipſos manebit, Eſ. 10. v. 1. & tormenta potentia, Sap. 6. verſ. 7. Quomodo ſtabunt? quid reſpondebunt ex paſtoribus ii, qui non vocati ſe intruſerunt, Ierem. 23. verſ. 21. aut canes muti fuerunt, Eſa. 56. verſ. 10. aut pernicioſas ſectas introduxerunt, & doctrinas dœmoniorum, 1. Timoth. 4. verſ. 1. quando dicetur ipſis: redde rationem villicationis tuæ: Certè partem ſuam invenient cum patre ſuo diabolo, in ſtagno ardente ſulphure & igne, Apoc. 21. v. 8. Quomodo tandem ſtabunt & quid reſpondebunt omnes in univerſum homines, qui bonis ſibi conceſſis ad ſuperbiam, luxuriam, avaritiam, etc. abuſi, Deum ipſum blaſphemâ linguâ invadere non dubitarunt, quando dicetur ipſis: redde rationem villicationis tuæ. Certè nihil invenient, quo peccata ſua excuſare poterunt, Ioh. 15. v. 22. Servus enim qui ſcit voluntatem Domini, et non paravit ſe, vapulabit multis, Luc. 12. verſ. 47. Audiamus igitur hîc in tempore citationem gratiæ, ut effugiamus citationem iræ, & corde imperterrito tandem aliquando coram tribunali judicis ultimi compareamus, Luc. 21. v. 36.

3. *Juſta degradatio*. Nam Paterfamilias ipſum ab officio removet, & non poteris, inquit, poſthac diſpenſare. Magna certè in hoc mundo ignominia eſt, quando aliquis honorifico loco conſtitutus fuit, & propriâ culpâ removetur: Quantò major igitur putatis, vos mei, ignominia erit, cum in extremo die cœleſtis paterfamiliâs villicos ſuos inutiles deponet, & in tenebras exteriores conjiciet, ubi fletus erit & ſtridor dentium. Matth. 25. verſ. 30. ibi neminem excuſabit

cuſabit juventus, neminem ebrietas, neminem prava converſatio, ſed retribuetur unicuique in caput ſuum, Sir. 17. v. 19. Semper igitur ſonet in auribus noſtris vox citationis: Redde rationem, ne cogamur audire ſententiam damnationis: non poteris poſthac diſpenſare, ſed laudem reportemus à Deo, tanquam fideles ſervi, 1. Cor. 4. v. 5.

II. *Servus decipiens vel deficiens*, qui eſt iniquus diſpenſator, cujus vitia nobis in textu ad cautelam ſignificata, ſunt:

1. *Luxuria*. Nam omnia Domini ſui bona liguriendo diſſipaverat. Tales Oeconomos Deus adhuc ſatis multos habet, qui vel bona naturæ, ingenii acumen, animi induſtriam, memoriæ vires, &c. vel bona fortunæ, opes & divitias à Deo ſibi conceſſas per ingluviem perdunt & prodigunt, ut dives epulo cum fratribus ſuis, Luc. 16. v. 19. tandem ad ſummam inopiam rediguntur, Sir. 18. v. 32. 33. ipſisque Ethnicis deteriores, 1. Tim. 5. verſ. 8. animam in æternam perditionem præcipitant, Eſ. 5. v. 14.

2. *Ignavia.* Nam fodere, inquit, non valet. Otio igitur & ignaviæ aſſuetus erat, & malebat ſe alere talibus *κυβείαις*, fraudibus & impoſturis, quàm labore ab ipſo Deo omnibus demandato, Job. 5. v. 7. Gen. 3. v. 19. Fugiamus igitur otium, tanquam pulvinar Satanæ, multam enim malitiam docuit otioſitas, Sir. 33. v. 29.

3. *Superbia*, quæ plerunque ſoror & comes eſt ignaviæ. Ita enim hic noſter: Mendicare erubeſco. Non tantùm erubeſcebat victum mendicare, ſed & gratiam & patientiam heri ſui implorare. Abſit hoc à nobis, & ſi malè res noſtras adminiſtravimus, mendicare Dei gratiam non erubeſcamus, ſed ingenuè confiteamur iniquitates, & propter Chriſtum veniam petamus, juxta dicta 1. Joh. 1. v. 9. 10. Prov. 28. v. 13.

4. *Fallacia*. Nam libros rationum corrumpit, pro centum octuaginta, pro ſexaginta quinquaginta ſcribit, atque ſic peccatis cumulat.

Hoc ipſo nobis ſpeculum exhibet, quo ſe contemplari debent Oeconomi, Quæſtores, Prætores, Cellarii, Curatores, omnesque officiales alii, qui adminiſtrandis Principum reditibus annuis, vel etiam bonis pupillorum præfecti ſunt, & quandoque X. pro V. in rationibus ſuis aſſcribere ſolent, unde magnificantur & ditantur, incraſſantur & impinguantur, Jerem. 5. v. 27. Sed hæc vafrities cane pejus & angue fugienda eſt homini Chriſtiano, nam diſciplina nequitiæ non eſt ſapientia, &c. Sir. 19. v. 19. panis ita comparatus vertetur in fel aſpidum, & bona, quæ devoravit injuſtus rurſum evomet, Deus extrahet illa de ventre ejus, Job. 20. v. 14. 15. 18. 19. 20. Jer. 17. v. 11.

De Secundo.

TEmpus eſt ut alteram quoque partem tractandam aggrediamur, nimirum *Salvatoris Chriſti ſententiam*, quæ duobus membris abſolvitur, ut ſunt:

I. *Commendatio*. Nam laudavit Dominus iniquum diſpenſatorem, non ob furtum & fraudes, ſed propter aſtutiam & induſtriam, ſicut & nos ingenioſos fures commendare, furta autem vituperare ſolemus additâ *γνώμῃ* generali, quâ filios hujus ſeculi prudentiores eſſe pronunciat quàm filios lucis; Illi enim in negotiis ſecularibus ſunt cautiſſimi, vigilantiſſimi, verſutiſſimi: Hi autem in ſpiritualibus ſalutem æternam concernentibus improvidi, languidi, flaccidi. Hanc ſocor-

Digitized by Google

ſocordiam Pambo Eremita amaris olim lacrymis deploravit, cum videret Alexandriæ mulierem quandam in ornatu meretricio, me miſerum, inquiens, quod tantam curam non habeo placendi Deo, quantam habet hæc mulier, ut hominibus turpibus placeat. Deploremus & nos, fratres dilecti, hanc noſtram in ſpiritualibus ſocordiam, & ſtudio decente ad ſcopum præfixum feſtinemus, ut apprehendamus bravium ſupernæ vocationis in Chriſto Jeſu, Phil. 3. verſ. 14. Sumus enim filii lucis regeniti à Patre luminum Iac. 1. verſ. 17. per verbum veritatis, quod eſt lucerna pedibus noſtris, & lumen ſemitis noſtris, Pſal. 119. verſ. 105. participes facti ſortis ſanctorum in lumine, Col. 1. verſ. 12. 13. proinde decet nos quoque ambulare ut filios lucis, Eph. 5. verſ. 9. in medio nationis pravæ atque perverſæ, Phil. 2. verſ. 15. ut luceat lux noſtra coram hominibus, Matth. 5. verſ. 16. ita aliquando lucebimus in vita æterna ſicut ſol, Matth. 13. v. 43. & ſtellæ in ſeculum, Dan. 12. v. 3.

II. *Applicatio.* Morale enim ſubnectit Chriſtus, quo totius parabolæ ſcopum breviter complectitur, & duo potiſſimùm in diſpenſatore iniquo nobis imitanda proponit, ut ſunt:

1. *Chriſtiana prudentia.* Hæc valde neceſſaria eſt in rebus ſpiritualibus, ut omnia probemus, & quod bonum eſt retineamus, 1. Theſſ. 5. v. 21.

Oeconomus noſter

1. *De futuris ſibi proſpicit*, ut remotus ab officio, habeat unde vivat, ita nos quoque futura ſemper cogitemus, ut poſt hanc vitam in cœlo æternam aliquando manſionem inveniamus, quò pertinet fidelis Chriſti admonitio, Matth. 6. verſ. 19. 20. ſumus enim advenæ & peregrini, non habentes manentem civitatem, Ebr. 13. v. 14. in cœlo autem politeuma noſtrum, Phil. 3. v. 20. domus non manu facta ſed æterna, quam ſuſpiramus, 2. Cor. 5. v. 1.

2. *Propoſitum velociter expedit*, v. 6. Ita non tergiverſandum aut cunctandum eſt, quando Deus ad pœnitentiam nos vocat, ſed eo ipſo die, eâ ipſa horâ ſurgendum & obediendum, ne præveniamur morte, quæ ſingulis horis & momentis nobis imminet, tunc ſi ceciderit lignum ad auſtrum aut aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit, Eccl. 11. v. 3. huc refer verba Siracidis c. 5. v. 4. ſeqq.

2. *Larga erga pauperes beneficentia*, ut amicos nobis faciamus de Mammona iniquo. Mammon Syris eſt Deus divitiarum, quem Græci πλῦτον appellant. Omnia igitur quæ ad rem pecuniariam pertinent ſub hoc nomine comprehenduntur. Dicitur autem Mammon injuſtitiæ vel 1. ratione acquiſitionis, quia illegitimis plerunque mediis acquiritur, vel 2. poſſeſſionis, quia injuſtè detinetur à multis cum pauperibus benefacere deberent, vel 3. uſurpationis, quia ad luxum & ſuperbiam plurimi divitiis ſuis abutuntur. Sequamur igitur Chriſti admonitionem, & facultatibus noſtris terrenis inopiam pauperum ſublevemus. Hoc mandatum eſt, Eſ. 58. v. 7. Sir. 4. v. 4. 29. v. 12.

Cauſæ moventes ſunt

1. *Amicorum conciliatio.* Optimus amicus Chriſtus eſt, Joh. 15. v. 13. hujus gratiam nobis conciliamus per veram fidem, per quam habitare vult in cordibus noſtris, Epheſ. 3. verſ. 17. Ex fide fluit beneficentia in pauperes, qui ſunt membra Chriſti, & quicquid ipſis facimus, Chriſtus ipſe ſibi factum reputabit, Matth. 25. v. 40.

2. *Æternorum tabernaculorum inhabi-*

tatio,

tatio, nam recipient vos, inquit Chriſtus, in æterna tabernacula. Hoc faciunt

1. *Orando*, ut Deus animæ & corpori noſtro benedicat. Hæc pauperum vota non ſunt irrita, Matth.10. v.42.

Teſtificando, quod fidem per dilectionem & opera pietatis demonſtraverimus, Gal.5.v.6. confer Matth.25.v.35. ſeqq.

O ergò abundantiſſimas uſuras! Buccellam panis, famelico dediſti, & panem vitæ recepiſti. Potum frigidæ ſitienti exhibuiſti, & ad fontem vitæ perveniſti. Laciniis veſtimentorum nudum operuiſti, & veſtem juſtitiæ tibi acquiſiviſti. Exules, peregrinos & egenos in domum tuam recepiſti, & ecce in æterna tabernacula per Chriſtum receptus es. Ergò noli ſegneſcere benefaciendo, nam ſuo tempore metes, Gal. 6. v. 9. diſperge & da pauperibus, juſtitia tua manet in ſeculum, & cornu tuum exaltatur cum gloria, Pſal.112. verſ. 9.

Dominica X. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 19. v. 41. 48.

Eliſæus Propheta cum aſcenderet in Bethel, egrediebantur de civitate pueri parvi, & illudebant eum, dicentes: Aſcende calve, aſcende calve, ſed ille reſpiciens maledixit eis in nomine Domini, egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis 42. pueros, 2.Reg.2.v.23.ſeqq.

Eliſæus eſt typus Chriſti, qui ſalus Dei dicitur uſque ad extremum terræ, Eſa.49. verſ.6.& Propheta magnus eſt, quem Deus loco Moſis populo ſuo promiſerat, Deut.18. verſ.18. Judæi illudebant ipſum & crucifigebant. Sed non impunè tulerunt. Nam quia tempus gratioſæ viſitationis non agnoſcebant, evocavit tandem Deus ex ſaltu Romano duos urſos, Cæſarem puta Veſpaſianum, & Titum filium ejus, qui exercitu ſuo Palæſtinam invadunt, Hieroſolymam metropolim obſidio cingunt, tandem expugnant, & ex imo quaſi fundo, ut lapis ſuper lapidem non remanſerit, ferro & flamma ita excidunt, ut vaſtatio illa adhuc duret, & ad finem uſque permanſura ſit, Dan.9. verſ.27. id quod Chriſtus expreſſis verbis lachrymarum imbre permixtis in prælecto Evangelio ipſis annunciat.

Nos ad manus ſumemus illud Evangelium & duas partes tractabimus, viſuri

I. Excidii Hieroſolymitani prænunciationem.

II. Templi repurgationem.

J.J.

EXEGESIS.

Depingitur nobis Chriſtus in Scripturis tanquam *heros belli fortiſſimus*, Pſ.24. verſ.8. qui gladium geſtat (1) *in latere* Pſ.45. v.4. (2) *in ore*, Apoc.1.v.16. (3) *in manu*, & vibrat eum ad perditionem, Pſ.7.v.14.

Egregia certè imago, quâ Dei conſuetudo nobis ob oculos ponitur, quam in puniendis delictis obſervare ſolet. Nam 1. gladium lateri accingit, & per varia ſigna in cœlo, terra, mariq; potentiam ſuam oſtendit, ut metum nobis incutiat, & ad pœnitentiam nos invitet. 2. Gladium ore geſtat, & per miniſtros Eccleſiæ impoenitentibus iram ſuam

Digitized by Google

denunciat, Amos.3. verſ.7. 3. Si hæc omnia nihil operantur, gladium ſuum manu apprehendit, & abſque miſericordia graſſari jubet; ut Curario nulla ſuperſit, 2.Chron. 36. v.16.

Talem proceſſum experti etiam ſunt Cives Hieroſolymitani, ut prænuntiatio Chriſti in prælecta pericope ſatis abunde teſtatur, eſt enim

I. *Gratioſa*, quod docet

1. *Appropinquatio.* Multa beneficia ipſis exhibuerat, non ſolùm Evangelii prædicatione, ſed etiam miraculorum operatione, ut non ſine cauſa ipſis exprobret Matthæus 23. v.37. Jeruſalem, Jeruſalem, quoties volui te congregare, ut gallina pullos congregat ſub alis ſuis, ſed noluiſtis. Jam appropinquabat iterum, ut mortem crucis ſubiret pro redemptione generis humani, nam ecce venio, inquit Pſal.40. v. 8. involumine libri ſcriptum eſt de me, voluntatem tuam, mi Deus, libenter facio:

Appropinquavit etiam Chriſtus ad hanc noſtram Civitatem gratiâ verbi & Sacramentorum, ut quadret in unumquemlibet noſtrûm illud Pauli: Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, Rom.10. v.8. vide ut hunc grato animo hoſpitem excipias, ne te deſerat in peccatis tuis. Væ enim ubi ego diſceſſero, Oſ.9. v.12.

2. *Illacrematio.* Nam poſtquam à monte Oliveti Civitatem Hieroſolymam coràm intuetur, & pœnas ſimul conſiderat, quibus ſe per ingratitudinem & ſecuritatem obnoxios reddiderant Judæi incolæ, à lacrymis ſibi temperare non poteſt, quas ſicco pede præterire non debemus, ſunt enim

1. *Lacryma doloris.* Quando parens morti vicinus videt lectulo ſuo aſtare filium immorigerum, qui hactenus ipſi fuit amaritudo Spiritus, Geneſ.26. v.35. amaras ſuper illum lacrymas profundit: Ita Judæi erant filii immorigeri, Eſa.1. verſ.4. proinde Chriſtus morti vicinus malitiam eorum deplorat. Hodie multi adhuc reperiuntur, qui veſtigiis Judæorum inſiſtunt, & per impœnitentiam ſuam lacrymas Chriſto exprimunt. Flet in membris, quando ob confeſſionem veritatis perſecutionem patiuntur, Zach.2. v.8. Actor.9. v.4. Pſalm.59. v.6. Flet in miniſtris, quando ipſi propter inobedientiam & perverſitatem auditorum ſuorum ſuſpiria & lacrymas effundunt, Act.20. v.31. Eſa.33. v.7. Jerem.9. v.1. Flet denique in creaturis, quæ liberationem ſui ingemiſcunt, Rom.8. v.22.

Utamur igitur lacrymis Chriſti tanquam collyrio, quo ſpiritualis oculorum noſtrorum caligo abſtergitur, ut peccatorum turpitudinem videamus, Apoc.3. verſ.18. Guttæ pluviales lapides excavare poſſunt. O utinam lacrymæ Chriſti corda noſtra lapidea liquefacerent ad pœnitentiam. Si verò non tantùm valent apud nos guttæ lacrymarum, valeant tantum guttæ ſanguinis, quos in horto Oliveti propter peccata noſtra profudit, Luc.22. v.44. Flevit Chriſtus propter peccata aliena, quidni flere diſcamus propter peccata noſtra propria, Joel. 2. v.12. ita gaudere facimus Angelos, Luc.15. verſ. 10. & in exultatione tandem metemus, Pſal.126. v.6.

2. *Lacryma amoris.* Cum Chriſtus circa Lazari tumulum lachrymas emitteret, dicunt Judæi, ecce quomodo amavit eum, Johan.11. verſ.36. pari modo, quando hîc Chriſtum lacrymantem videmus, cognoſcimus inde amorem, quo populum Judaicum complexus eſt, & firmiter colligimus, quod

Digitized by Google

quod interitu hominum non delectetur, Ezech.33. v. 11. Satan eſt ἐπιχαιρέκακος, & perditione delectatur, Job.41. verſ.13. Nos Chriſtum imitemur, & ſanctorum neceſſitatibus, communicemus flentes cum flentibus, Rom.12. verſ.13.15. quod charitas Chriſtiana requirit, 1.Cor.13.verſ.6. Eſt hic vallis lachrymarum, Pſalm.80. verſ.6.ſed eſte bono animo, Chriſtus nobis collachrymatur, Eb.4. verſ.15. & tandem omnes lachrymas ab oculis noſtris abſterget, Eſa.25.v.8. Apoc. 7.v.17.

3. *Exhortatio.* Nam ſi cognoviſſes, inquit, & quidem in iſto die tuo, quæ ad pacem tuam pertinent. Non addit, quid debeant ſcire, ſed abrumpit ſermonem, ſicut illi, qui lacrymantur & graviter triſtantur, verbis tertiatis utuntur. Hoc autem vult dicere: O Hieroſolyma, Hieroſolyma, ſi ſcires calamitatem tibi impendentem, non indulgeres ſecuritati, ſed cogitares ea, quæ ad pacem & conſervationem tuam facerent, præſertim hoc ipſo tempore, quo Deus te paternè viſitat, & per me tibi gratiam ſuam denuò offert.

Apparet inde ſumma Dei manſvetudo & longanimitas, quod non ſtatim ἐπ' αὐτῷ φόρῳ nos obruit pœnis promeritis, ſed tempus concedit ad poenitentiam, quod certis articulis menſuravit, ſi tum non ſequitur poenitentia, exardeſcit ira ipſius, & tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Hoc probè expendamus, ne dies viſitationis gratioſæ ſine fructu tranſeat, ſed in luce ambulemus, dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant. Joh.12.v.35.

II. *Rigoroſa.* Complectitur enim

1. *Culpam promerentem*, quæ fuit ſupina Judæorum malitia & ingratitudo, quod nolebant acceptare, quæ ad pacem eorum pertinebant. Elegerat Deus ipſos in peculium ſuum, taliter non fecit ulli nationi, Pſ.147. v.20. miſerat ipſis Prophetas, 2.Chron.36.verſ.16. & tandem ipſum Chriſtum, qui non ſolùm in propria perſona viam ſalutis ipſis monſtravit, Matth.22. v.16. ſed diſcipulos etiam ablegavit ante & poſt reſurrectionem, ut ipſis primùm regnum Dei annunciarent, Act.13. v.46. ſed omnia fruſtrà. Reſiſtebant ipſi Spiritui S. Act.7.v. 51. repellebant ſermonem Dei, & ſeipſos indignos faciebant vitâ æternâ, Act.13.v.46. exiſtimabant ſtatum ſuum eſſe ſatis pacatum & tranquillum, unde erant ſecuri, & occidebant Prophetas, qui de futuris poenis eos præmonebant. Sed Chriſtus conqueritur, quod non cogitent, quæ ad pacem ſuam pertinent. Nimirum niſi Deo reconciliati ſumus, & pacem apud ipſum habemus, externa pax non eſt ſatis tuta & firma: Sed non poſſumus apud Deum pacem habere, niſi vivamus in vero Dei timore & in præceptis ejus ambulemus. Proinde abſq; vera poenitentia & ſerio ſtudio pietatis non datur firma pax & tranquillitas. Non eſt pax impiis, dicit Deus, Eſa.48.v.22.

Ubi igitur vides graſſari vitia ſuperius enumerata, contemptum nimirum verbi divini, ſecuritatem, impoenitentiam, &c. licet ſit pax, tu tamen de bello tibi proſpice, quo talia peccata à Deo ſolent puniri. Nam quando dicunt: pax, pax, repentinus eis ſuperveniet interitus, 1.Theſſ.5.v.3.

2. *Pœnam conſequentem*, quæ triplex.

1. *Fatale delirium*, quod innuitur his verbis: ſed nunc abſcondita ſunt oculis tuis. Præmonuerat ipſos Deus per Prophetas de imminente excidio aliquoties, Eſ.29.verſ. 1. Dan.9. verſ.26. quin & Iohannes Baptiſta, Matth.3.verſ.10. & Chriſtus ipſe non ſolùm

Digitized by Google

parabolis variis Matth. 21. v. 41.22. v. 7. ſed etiam expreſſis verbis hoc ipſum Judæis prædixerat, Matth. 23. v. 35.38.24. v. 2. ſed nolebant prædictionibus & comminationibus illis attendere præconceptâ opinione faſcinati, quod à Deo non poſſint repudiari, quicquid tandem agerent, huic factum eſt conſequenter & juſto Dei judicio, ut excoecati non viderint amplius media, quibus pacem ſibi comparare, & poenas prædictas avertere poſſent. Erat igitur coecitas affectata. Deus ipſos luce verbi ſui illuminare volebat, ſed ipſi claudebant oculos, juſto igitur judicio ipſos Diabolo occoecandos & obdurandos tradidit quod adhuc hodie judicium exercet in omnes illos, qui ſalutares admonitiones miniſtrorum verbi contemnunt, & in malitia ſua obſtinatè pergunt. Non autem ita excoecat, quaſi ipſemet immediatè coecitatem in ipſorum cordibus operetur, ſed

1. *Permiſſivè*, dum in coecitate cordis ſui ipſos progredi ſinit. Sumus enim naturâ tenebræ, Eph. 5. v. 8. qui igitur lucem Evangelii oblatam repudiat, & tenebras magis amat quàm lucem, hunc Deus magis excoecari permittit, quia media reſpuit, quibus illuminari poterat 2. Cor. 4. v. 3.

2. *Judicativè*, dum homines rebelles & refractarios Satana tradit, ut ab eo magis excoecentur, quò pertinent dicta, Eſ. 6. v. 10. 2. Theſſ. 2. v. 10. 11. Rom. 1. v. 21. 24.

3. *Objectivè*, quatenus homines coeci & indurati verbo prædicato, omnibus Dei beneficiis & poenis etiam divinitùs immiſſis, ad majorem excoecationem & indurationem abutuntur, contra voluntatem Dei, qui his ipſis mediis ſalutem & converſionem eorum promovere volebat, ut docet exemplum Pharaonis. Hæc eſt maxima poena, quam Deus minatur omnibus, qui voci ejus obedire non volunt, Deut. 28. verſ. 28. 29.

2. *Totale excidium*, v. 44. Hieroſolyma erat urbs munitiſſima, quatuor muris & turribus 80. firmiſſimis circundata, quibus confidentes Iudæi Romanis inſultabant, ſi vel pennas haberent ut aquilæ, quod tamen muros ipſorum transvolare non deberent. Sed exitus contrarium docuit. Ita vallorum, propugnaculorum & turrium munitionibus non eſt confidendum. Dies Iehovæ exercituum ſuper omnem ſuperbum, & ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum, Eſ. 2. v. 12. 15. ille civitatem ſublimem humiliat, Eſ. 26. v. 5. & vaſtatorem ſuper robuſtum roborat, Am. 5. v. 9. & civitates munitas in deſolationem, & in acervos ruinarum adducit, Eſ. 37. v. 26. ſed turris fortiſſima nomen Domini, juſtus eò confugit & ſalvabitur, Prov. 18. verſ. 10.

3. *Triſte obſidium*. verſ. 43. Nam Titus Veſpaſ. A. poſt natum Chriſtum 73. poſt eundem paſſum & reſuſcitatum fermè 40. die 14. April. magno exercitu Hieroſolymam cingere primùm coepit, & deditione die ejuſdem menſ. 22. fruſtrà tentatâ, vallo, propugnaculis aggeribus & foſſis aliiſque machinis bellicis ita coanguſtavit, ut nemini circumquaque ſecurus tranſitus hinc inde pateſceret, quæ obſidio circa feſtum paſchatos procul dubio ſingulari Dei providentia attentata fuit, quia illo tempore innumerabilis Iudæorum caterva ex omni terrarum loco Hieroſolymam confluxit, ut numerarint vicies centena hominum millia, vel ut alii ſcribunt tricies millies millena virorum. Ibi verè coanguſtati ſunt extra muros à Romanis, & intra muros ſeditione, fa-

me,

me, peſte. Nam tota Civitas in tres factiones ſe diviſit, quarum ſingulæ, ſingulos duces habebant ab invicem diffidentes, hinc ortæ ſunt variæ cædes, violentæ bonorum direptiones, ſtupra, latrocinia, incendia, &c. ex quibus nil niſi *πανωλεθρία* finalis conſequi potuit.

Eandem miſeriam experiuntur adhuc hodie omnes ii, qui diuturnas obſidiones ſuſtinere coguntur. Valles ſunt plenæ quadrigarum, & equites ponunt in porta ſedes ſuas, Eſ. 22. v. 7. comedunt fructus terræ & omnes labores incolarum, Deut. 28. v. 33. devorant oves & boves, Jer. 5. v. 17. imò totam terram & plenitudinem ejus, Ier. 8. v. 16. interim non ceſſant aut otiantur, ſed laborant noctes atque dies, ut gladio ſuo negotium faceſſant. Cingunt urbem vallis & propugnaculis, coedunt arbores, fundunt aggeres, Ier. 6. v. 6. ut commeatum omnem ipſis ſubtrahant, unde fames oritur, ut obſeſſi ab hoſte panem ſuum in pondere, & aquam in menſura bibere cogantur Ez. 4. v. 16. quandoque panis & aqua deficit, ut lactentis lingua ad palatum ipſius adhæreat in ſiti, & parvuli panem petant, quem nemo ipſis frangere poteſt, Thr. 4. v. 4. quin etiam cibi quæruntur obſcoeni & abominabiles, ut multi præ fame ſtercora ſua comedant, & urinam bibant, Eſ. 36. v. 12. imò proprios foetus, parvulos ad menſuram palmæ, Thr. 2. v. 20. & ſecundinas, Deut. 28. v. 57. vel in plateis deficiunt, Thr. 4. v. 5. & quis miſeriã omnem, quæ bellum & obſidiones bellicas comitatur, enarrabit? Cavete igitur dilecti, à peccatis Iudæorum, ne poenæ vos obruant, quæ Iudæos obruerunt, & orate cum Eccleſia: Da panem Domine in diebus noſtris, &c.

De Secundo.

Fuit excidii Hieroſolymitani prænunciatio, ſequitur *Templi repurgatio*, ubi conſideranda ſe nobis offerunt

I. *Chriſti zelus*, quem declarat

1. *Templum viſitando.* Non arcem Davidis aut Antoniam vel etiam Herodis prlatium ingreditur, ſed recto pede ad templum properat, & hoc ipſo docet, quod ſit Sacerdos magnus ſuper domum Dei, Eb 10. v. 21. quem cœleſtis Pater nobis audiendum commendavit Mat. 3. v. 17. quin & vaticinium implere voluit, Hag. 2. v. 8. & 10. in hoc ſequamur exemplum ejus, & unicè incumbamus, ut templum frequenter viſitemus, & regnum Dei ante omnia quæramus, tunc cætera nobis omnia adjicientur. Matt. 6. v. 33.

2. *Nundinatores exturbando.* Varia Deus ſacrificia in V. T. inſtituerat, quæ Iudæi quotidie juxta præſcriptum legis offerre tenebantur. Eum in finem, oves, boves, colũbæ, & alia ad hunc actum neceſſaria Sacerdotum indultu in aditu templi vanum exponebantur, habebant etiam numularii eo loco ſuas menſas, & tam vendentibus quam ementibus pecuniam idoneis monetis permutabant, quæ ſumma erat templi profanatio. Propterea Chriſtus facto è funiculis flagello nundinatores ejuſmodi exturbat, menſas numulariorum, & ſellas vendentium columbas ſubvertit, Ioh. 2. v. 14. 15. Matth. 21. v. 12. Quod factum planè divinum ac heroicum non abs re Hieronym. omnibus Chriſti miraculis anteponit, quia in illo divina majeſtas ita ex oculis ejus effulſit, & corda numulariorum perculit, ut reſiſtere nec auſi fuerint nec potuerint, quare non immeritò recordantur diſcipuli ejus dicti Prophetici, quod Pſ. 69. v. 11. ſcriptum eſt: zelus

zelus domus tuæ comedit me. Talia facta ſunt ſupra regulam, & in imitationem rapi facilè non debent, niſi quis heroico etiam ſpiritu præditus ſit. Huc pertinet tactum Pinehæ, Num. 25. v. 8. Eliæ, 1. Reg. 18. v. 40. Mathathiæ, 1. Macc. 2. v. 24. 25. Petri, Act. 5. v. 5. Ambroſii, Theodoſium Imperatorem à templi & Sacræ Cænæ communione excludentis Lutheri & aliorum. Privati homines ſe intra officii regulas contineant & quietè vivant 1. Theſſ. 4. v. 11. denn einem vermeſſenen Menſchen gehets endlich übel auß/ Sir. 3. v. 28.

Per τὸ ſcriptum eſt reformandi ſunt exemplo Chriſti omnes abuſus vitæ & doctrinæ. Nam ſcriptura eſt ſmegma, Mal. 3. v. 2. & ignis, Jer. 23. v. 29.

Habemus autem hîc porrò

1. *Typum nundinationis Papiſticæ.* Omnia enim in Papatu venalia

Templa, Sacerdotes, altaria, ſacra, corona,
Ignis, thura, preces, cœlũ eſt venale, Deusq́.

Vendunt indulgentias, vendunt miſſas, vendunt opera, vendunt dignitates Eccleſiaſticas, unde Antichriſtus regnare dicitur ſuper theſauros mundi, Dan. 11. v. 43. & mercatores ejus divitias multas corradunt, Apoc. 18. v. 3.

Laus Chriſto Dei filio, qui negotiatores iſtos Papales miniſterio Lutheri è templo noſtro ejecit, & menſas indulgentiarum, miſſarum, vigiliarum aliarumque quiſquiliarum papaliumſubvertit, ut nemo ſit, qui merces illorum emere cupiat Ap. 18. v. 11.

2. *Fucum æmulationis Calviniſticæ.* Solent iſti homines ex ſingulari reformationis zelo, ſed zelo præter ſcientiam, altaria in templis tanquã organa idololatriæ deſtruere, & in illorum locum menſas ligneas ſubſtituere, ſolent calices inauratos comminuere, & vel ligneos vel vitreos pro iiſdem reponere, ſolent imagines Chriſti crucifixi, Mariæ, Apoſtolorum, &c. concidere, imitati hac in parte Carlſtadium, qui hanc primum Wittenbergæ An. 1521. Luthero in Pathmo exiſtente luſit tragœdiam. Hanc ſuam æmulationem exemplo Chriſti palliare volunt. Sed perperàm. Is enim non templum ipſum, in quo Iudæi cultus ſuos idololatricos exercuerant, deſtruxit, non altaria confregit, non vaſa templi aurea & argentea variè profanata comminuit, ſed menſas duntaxat numularias, quæ ad templum non pertinebant, ſubvertit. Ita nos poſſumus tolerare altaria, poſſumus tolerare calices inauratos, poſſumus tolerare imagines. Nam mundis omnia munda ſunt.

3. *Verum templi uſum reſtaurando.* Nam domus mea, inquit, domus precationis eſt, vos autem in ſpeluncam latronum convertiſtis, & quotidie docebat in templo.

Hoc igitur fine templa potiſſimùm à majoribus extructa ſunt, ut in iiſdem aſſiduè conveniamus, & preces noſtras ad Dominum in omnibus neceſſitatibus effundamus, tum etiam ut verbum Dei in iiſdem doceatur, Sacramenta legitimè adminiſtrentur, aliaque pietatis exercitia perficiantur.

Proinde nobis incumbit, ut hunc uſum ſemper attendamus, & libenter in templis conveniamus, præſertim quando publici conventus inſtituti ſunt, ubi coimus in cœtum, & Deum quaſi manu facta precationibus noſtris ambimus. Hæc oratio vincit invincibilem. Ubi enim duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, inquit Chriſtus, ego ſum in medio eorum, Matt. 18. v. 20.

II. *Conſequens eventus*, qui duplex:

1. *Iudæorum ira.* Nam Principes Sacerdotum, & Scribæ & Primores plebis quærebant

bant illum perdere. Hæc eſt Diaboli tragœdia, quam à mundo condito ſemper egit, nimirum puros Doctores & confeſſores veritatis ferre non poteſt, ſed excitat Tyrannos, qui ſanguinaria adverſus ipſos conſilia non moliuntur tantùm, ſed etiam in effectum producunt quod à Patre ſuo Diabolo didicerunt, qui homicida eſt ab initio, Iohan. 8. v. 44.

2. *Repreſſio mira.* Non enim inveniebant quid facerent, quia totus populus pendebat ab eo. Ita adhuc hodie Deus conſilia hoſtiũ noſtrorum diſſipat, Pſ. 33. v. 10. Job. 5. v. 12. ut meritò gloriari poſſimus cum Eſa. c. 8. v. 9. 10. Conſilium conſultate & diſſipabitur, &c. & cum Eccleſia:

Gott Lob und Danck der nicht zugab/
Daß ihr Schlund uns möcht fangen.
Wie ein Vogel des Stricks kompt ab/
Iſt unſer Seel entgangen.
Strick iſt entzwey/
Und wir ſind frey/
Deß Herren Namen ſteh uns bey/
Des Gotts Himmels und Erden.

Dominica XI. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 18. v. 9. 14.

CUm Abel & Cain ſacrificia ſua offerrent Deo, hic de fructibus terræ, ille verò de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, reſpexit Deus ad Abel & ad munera ejus, ad Cain verò & munera ejus non reſpexit, Gen. 4. v. 3. ſeqq. nimirum Abel reſpiciebat ſemen mulieris benedictũ, Chriſtum Jeſum, qui in plenitudine temporis homo fieri, & tanquam agnus Dei immaculatus pro totius mundi peccatis offerri debebat, cujus typi fuerunt poſteà omnia ſacrificia Levitica, Eb. 9. & 10. hoc reſpectu dicitur de ſacrificio Abelis, quod Deo gratum & acceptum fuerit, contra autem, quia Cain in opere operato confidebat, & hoc etiam abſque fide ſufficere putabat, ſacrificiũ ipſius Deo placere non potuit. Nam oculi Dei reſpiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. & quod ex fide non eſt, peccatum eſt, Rom. 14. v. 23.

Pari modo in prælecta pericope Phariſæus & Publicanus in templum aſcendunt, & preces ſuas offerunt. Sed diſpari eventu. Quia enim Phariſæus in propriis meritis confidebat, rejicitur Publicanus autem peccata ſua agnoſcens & ad miſericordiam Dei confugiens juſtificatus abit in domũ ſuam.

Videbimus

I. Precatorum differentiam.

II. Chriſti ſententiam.

J. J.

EXEGESIS.

SIcut Abraham duos habebat filios, Iſmaelem quem ex Agar ancilla & Iſaacum quem ex Sara libera, juxta Dei promiſſionem ſuſceperat, Gen. 16. v. 16. & 21. v. 3. Ita in Eccleſia ſunt duo populi. Per Iſmaelem denotatur populus legis, qui confidit in operibus & ſuperbè deſpicit alios, ſicut de Iſmaele dicitur, quod fuerit deriſor, Gen. 21. v. 9. Per Iſaacum verò denotatur populus Evangelii, qui gratuitæ Dei promiſſioni innititur, & non confidit in propria juſtitia, ſed in Dei miſericordia, Deoque ſinceram ex fide præſtat obedientiam, ſicut Iſaacus Abrahamo, Gen. 22. v. 9. ſeqq.

Exemplum habemus in hodierno Evangelio, ubi Phariſæus ex populo legis, Publicanus autem ex populo Evangelii diverſitatem utriuſq; Teſtamenti nobis adumbrat. Conſideranda igitur nobis occurrunt

1. *Parabolæ ſcopus*, qui contra Iuſtitiarios directus eſt, qui confidunt ſe eſſe juſtos, id eſt, in propriis meritis fiduciam ſuam collocant, & proximum ſuperciliosè contemnunt. Ubi ſtatim notamus, quod in propria non debeamus confidere juſtitia, quæ velut pannus menſtruatæ coram Deo eſſe dicitur, Eſa.64. verſ.6. Sed qui gloriatur, in Chriſto glorietur, 1. Cor.1.v.31. extra quem non eſt ſalus, Act.4.v.12.

2. *Precatorum numerus*. Nam duo aſcendunt Phariſæus & Publicanus, qui Eccleſiæ nobis imaginem ob oculos ponunt, cui hypocritæ ſemper admixti ſunt, qui Deum profitentur eundem, idem templum viſitant, eadem Sacramenta uſurpant, ſed corde diverſo. Hinc Chriſtus, non omnes inquit, qui dicunt mihi, Domine Domine, introibunt in regnum cœlorum, ſed qui faciunt voluntatem patris mei, Matt.7.v.21. hypocritæ exterius ſplendent fuco pietatis, 2.Tim.3.v.5. ſed ſponſæ Chriſti ornatus eſt interior, Pſ.45.v.14. Deus enim cor aſpicit, 1.Sam.16.v.7. hoc ſi rectum non eſt, fruſtrà Deo ſervitur Mat.15.v.9.

3. *Par conatus*. Nam templum aſcendunt ut precarentur, inquit ſalvator. Ubi duplex finis innuitur, quem ſibi duo hi, Phariſæus & Publicanus, propoſitum habuerunt.

Prior eſt *Templi frequentatio*. Quia enim Deus memoriam nominis ſui in templo Hieroſolym. inſtituerat, Ex.20.v.24.& oracula reddebat ex propitiatorio ſuper arcam fœderis, Ex.25.verſ.22. Iſraelitæ cultum Deo debitum præſtituri templum aſcendebant, vel ſaltem facie ad templum verſâ orationem ſuam perficiebant, 1.Reg.8.verſ.48. Dan.6.v.10. in N.T. gratioſa Dei præſentia non amplius ad certum locum alligata eſt, ſed in ſpiritu & veritate ubique locorum Deum invocare licet, Johan.4.v.21.23. interim tamen certa loca habemus in quibus ad verbum audiendum, ad preces fundendas, & ad Sacramenta adminiſtranda convenimus, illorum frequentatio non debet haberi pro adiaphoro, ſed pertinet ad obſervationem tertii præcepti. Lætemur igitur cum Davide quando nobis dicitur: in domum Dei ibimus, Pſ.122. v.1. & hoc unicè requiramus, ut nobis inhabitare liceat in domo Domini omnibus diebus vitæ noſtræ, Pſ.27. v.4.

Poſterior eſt *propoſita oratio*. Hanc enim uterque bonam intentionem habet, quod vult orationem ſuam ad Deum dirigere. O quàm neceſſaria eſt nobis hoc tempore oratio. Cur igitur non aſcendimus cum hiſce precatoribus notis conſuetis? cur tam pigri & deſides ſumus in fundendis precibus? poſſumus quidem etiam domi orare in cubiculo noſtro, Mat.6.v.6. interim preces publicæ ſunt efficaciores, Mat.18. v.19. unde templa vocantur domus precationis, Eſ.56.v.7. in quibus Deus in ſpecie exauditionem promiſit, 1.Reg.9.v.3.

4. *Diſpar effectus*. Aliter orat Phariſæus, aliter Publicanus. Phariſæus contaminat orationem ſuam

1. *Vanâ confidentiâ*. Opera quæ jactat bona ſunt, & nobis etiam imitanda. Raptor non eſt, ſequamur: væ enim qui ſpolias, quoniam viciſſim ſpoliaberis, Eſ.33. v.1. Injuſtus non eſt, ſequamur: Nam injuſti hæreditatem Dei non poſſidebunt, 1. Cor.6. v.9. Adulter non eſt, ſequamur: Scortatores & adulteros enim judicabit Dominus, Eb.13. verſ.4.

Digitized by Google

verſ. 4. Jejunat bis in ſabbatho, ſequamur hanc temperantiam. Quamvis enim Deus cibos creavit, ad percipiendum, 1.Tim. 4. v.3. & vinum ad lætificandum cor hominis, Pſalm. 104. verſ. 15. corpus tamen quandoque caſtigandum eſt, 1.Corinth.9. verſ.27. ut ſobriè vivamus, Tit.2. verſ.12. ad preces, 1.Petr.4. v. 8. & in jejunio humiliemus animam noſtram; Pſal.35. verſ.13. Decimas dat de omnibus quæ poſſidet. Sequamur, has enim ordinavit Deus in uſum miniſtrorum Eccleſiæ, Scholarum & pauperum Exod.22. v.29.30.cap.35.v.35. Deut.12.v.11.14. v.23. fas igitur, ut qui altari aſſiſtunt, cum altari participent & qui Evangelium annunciant, ex Evangelio vivant, 1.Cor.9. v.7. ſeqq.

Hoc autem ſeriò improbatur, quod opera illa coram Deo oſtentat, & ſe unum ex multis aliis juſtum exiſtimat, quæ confidentia ſpecies quædam idololatriæ eſt, quâ cor noſtrum, quod ſoli Deo adhærere debet, à Deo avertitur, & ſeipſum commendat, hoc qui facit, probatus non eſt, 2.Cor.10.v.18. facienda ſunt utique bona opera, ſed non de illis gloriandum, nec coram Dei judicio illis confidendum, quia immunda, imperfecta, Deo jam ante debita, Luc.17.v.10.

2. *Proximi deſpicientiâ.* Non ſum ſicut alii, inquit, aut etiam ut hic publicanus. Debebat ipſi res eſſe cum Deo, quem precibus compellabat, & quidem in ſumma animi reverentia & humilitate, ut Seraphim facies ſuas velant, Eſ.6. v.2. ſed proximum reſpicit & deſpicit, quem tanto virtutem ſplendore non videt coruſcare, contra illud Sir.8.v.6.

Sed tu quis es, qui condemnas alienum famulum, Rom.14. v.4. potius ſi præoccupatus fuerit proximus in delicto aliquo, inſtaurare ipſum debemus, ſpiritu manſuetudinis, Galat.6. verſ. 1.2.3.4. ne dicatur nobis: Hypocrita ejice prius trabem ex oculo tuo, Luc.6. v.42.

Publicanum quod attinet, commendatur ille

1. *à geſtuum decentia*: Nam

1. *procul conſiſtit*, in loco nimirum peccatorum, quia agnoſcit turpitudinem ſuam, & ob hanc non audet propius accedere, recordatus, quod peccata dividant inter Deum & homines, Eſ.59. verſ.2. Diſcamus ab ipſo humilitatem, quæ orantibus valde neceſſaria eſt, Judith.9. v.15.

2. *Oculos demittit.* Hoc alterum contritionis ſignum eſt, tribuens ſibi confuſionem faciei, Dan.9. v.7. oculi enim ſunt indices animi, ut inquit Comicus. Animus autem erat ſauciatus variis peccatis, hinc pudor & confuſio individuus comes pœnitentiæ Rom.6. v.21. Expellat nobis hunc pudorem (1) peccati gravitas, eſt enim onus grave, quod erectionem impedit, Luc.13.v.11. Pſal.38. v.5.7. (2) peccati fœditas Eſ.64.v.6. quam ſine pudore nemo intueri poterit, niſi meretriciam frontem habeat, Jerem.3. v.3. qui ſibi ita diſplicet, Deo placet, qui oculos demittit, & iram Dei metuit, ad hunc ipſe Deus oculos miſericordiæ convertit, & oſſa humiliata lætificat, Pſal. 51. v.10.

3. *Pectus tundit*, arguens hoc ipſo, quod in pectore latet, ut inquit Auguſtinus. Nam de corde exeunt malæ cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ quibus homo polluitur, Matth.15. v.19. Bona opera non habet, proinde offert Deo cor contritum & humiliatum, quod ſacrificium ipſi perquàm acceptum eſt, Pſ. 51. v.19. ſequamur dilecti, & cordis noſtri receſſus coram Deo explicemus, ut pœnitentia noſtra ſeria ſit, & non fiat in hypocriſi, Sir.1.v.34. ſeqq.

Digitized by Google

2. *A vera pœnitentia*, quam probat

1. *Peccatorum agnitio.* Non utitur ſtatu gloriationis ut Phariſæus, nec ſtatu translationis, ut primi parentes, nec ſtatu excuſationis, ut Saulus, nec ſtatu negationis ut Cain, nec ſtatu deſperationis, ut Iudas, ſed ſtatu deprecationis, & ſe miſerum peccatorem eſſe confitetur, juxta illud 1.Joh.1.v.9. & Salomonis Prov.28.v.13.

2. *Seria contritio*, dum cor percutit, ut anteà dictum eſt. Ita nos quoque ſcindamus corda noſtra, Joel.2. verſ.13. & peccata cum Petro deploremus, Matt.26. v.75. quæ ita ſecundùm Deum triſtitia eſt, poenitentiam operatur in ſalutem, cujus neminem poeniteat, 2.Cor.7.v.10.

3. *Gratia Dei apprehenſio.* Hæc quaſi anima eſt converſionis, ſine qua contritio dolorem gignit ad mortem 2.Cor.7.v.10. Idcircò non tantùm pudore ſuffunditur hic publicanus ex agnitione peccatorum, ſed & ad gratiam Dei confugit, quæ ſemper includit meritum filii, per quem nos ſibi gratos fecit, Eph.1.verſ.6. Hoc intendit per vocem ἱλάσθητι, quâ ἱλαςήριον reſpicit, quod Deus in Chriſto nobis propoſuit per fidem in ſanguine ejus, Rom.3.v.25.

Hæc ſacra quaſi anchora eſt, ad quam nos quoque confugere debemus, ne in peccatis deſperemus, ſed miſericordiam conſequamur,& gratiam inveniamus in auxilium opportunum, Eb.4.v.16.

4. *Vitæ melioris ingreſſio.* Deſcendit enim non in telonium injuſtitiæ & fraudum officinam, ſed in ſuam domum, ſciviens impoſterum Deo in juſtitia & ſanctitate, Luc.1. v.75. Ita nos quoque abſoluti à peccatis caveamus ne rurſum implicemur, 2.Pet.2. v. 20. ſed declinemus à malo & faciamus bonum, Pſ.34.v.15.militemus bonam militiam, 2.Tim.4. v.7. crucifigamus carnem, Gal.5. v.14.& in nova vita ambulemus, Romanor. 6.v.4.

De Secundo.

Reſtat *Chriſti ſententia*, cujus Evangeliſta ſubjungit

1. *Pronunciationem.* Nam publicanus dicitur juſtificatus deſcendiſſe in domum ſuam præ Phariſæo. Si Ethnicis ſapientibus vel etiam nobis ipſis Chriſtianis ex ſenſu noſtro hic Phariſæus judicandus fuiſſet, utique præ publicano palmam juſtitiæ ipſi tribuiſſemus. Nam homo aſpicit, quæ ſunt præ oculis, 1.Sam.16. v.7. ſed Chriſtus non ſecundùm viſionem oculorum, neq; ſecundùm auditum aurium ſuarum judicat, Eſa.11. v.3. ſed cor, 1. Samuel. 16. verſ. 7. & fidem reſpicit, Jerem.5.v.3. vide igitur quid facias hypocrita, certè hunc judicem fallere non poteris, qui non tantùm externa dicta & facta novit omnia, ſed etiam corda ſcrutatur, Actor. 1. verſ.24. renes probat, Jerem.17. verſ.10. & novit quid ſit in homine, Joh.2. verſ.25.

2. *Juſtam rationem*, quam proverbiali apophthegmati Chriſtus includit: Qui ſe extollit, inquit, humiliabitur, & qui ſe humiliat, extolletur. Prius membrum ad Phariſæum, poſterius verò ad Publicanum referri debet.

Nos probè notemus hanc Chriſti cenſuram, ut ſuperbiam cane pejus & angue deteſtemur, & contra humilitati ſtudeamus. Nam Deus reſiſtit ſuperbis,humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos extollat ſuo tempore, 1. Petr. 5. verſ.6.

DO-

Digitized by Google

Dominica XII. poſt Trinitatis.

Evangelium Marc. 7. verſ. 31. 37.

DE aſina Bileami proditum eſt in ſacris literis, quod Dominus ei os aperuerit, ut Prophetæ inſipientiam prohiberet, Num.22.v.28. 2.Pet.2.v.16.

Inſigne miraculum, quod contra naturæ ordinem à ſola DEI omnipotentia profectum eſt. Sed longè illuſtrius habemus in prælecta pericope, ubi ſurdus & mutus nobis proponitur, cui Chriſtus Jeſus verus ille mirabiliarius, Eſa.9.v.6. unico verbo Ephata, aures aperuit, ut audiret, linguæ vinculum ſolvit, ut loqueretur, oculos purificavit, ut videret, idque non duntaxat exiguo temporis ſpatio, ut aſina Bileami, quæ poſt verba tum prolata, rurſum obmutuit, ſed continuè, quamdiu nimirum in humanis ſuperſtes fuit, rectè loqui, rectè audire, & rectè videre potuit. Quod eximium & verè divinum miraculum eſt, quo Chriſtus velut indubio argumento, ſe verum Meſiam eſſe comprobavit, juxta vaticinium, Eſa.35.v.5.

Nos Evangelii explicationem aggrediemur, quod tribus partibus abſolvitur, ut ſunt

I. Surdi Perſona miſerabilis.
II. Cura Chriſti admirabilis.
III. Deprecatio populi memorabilis.

J.J.

EXEGESIS.

VEtè D. Johannes 1.Johan.3. verſ.8. In hoc, inquit, apparuit filius Dei, ἵνα λύσῃ, ut ſolvat opera Diaboli, qui propter peccatum homines quaſi captivos detinet in laqueis ſuis, 2.Timoth.2.verſ.26. hinc de filia Abrahæ expreſsè dicitur, quod Satanas illam Spiritu infirmitatis alligaverit, Luc.13. v.16. hæc vincula Chriſtus diſſolvit, dum in diebus carnis ſuæ circumivit benefaciens & ſanans omnes à Diabolo oppreſſos, Act.10.v.38. teſtatur hoc præſens hiſtoria de muto & ſurdo à Chriſto ſanato, ubi notanda venit

I. *Loci evidentia*, ubi hoc miraculum peractum ſit, nimirum in tranſitu, cum Chriſtus è finibus gentium ad Judæos reverteretur, in regiuncula illa, quæ à numero decem principalium urbium, in ejuſdem confinio ſitarum, Decapolis appellata fuit.

Hoc ſatis illuſtre Salvatoris noſtri beneficium eſt, quod cum minister circumciſionis eſſet, Roman.15.v.8. Judæis tantùm miſſus prædicare, Matth.15.v.24. nihilominus tamen gentes etiam prædicatione Evangeli ſui viſitare dignatus eſt. Judæis enim primùm oportebat annunciari verbum Domini, ſed quia repulerunt illud & ſeipſos indignos judicarunt vitâ, æternâ, ad gentes tandem curſum Evangelii ſui convertit, Act.13. v.46. ut prædictum erat Eſ.49.v.6. talis gratioſa viſitatio cernitur etiam amnum in omnibus illis Urbibus, in quibus verbū ejus purè prædicatur, quod gratâ mente agnoſcendum, & cavendū eſt, ne contemptu verbi Chriſtum expellamus, ut Gadareni faciebant, Luc.8.v.37.

II. *Adductorum condolentia*, qui deprecantur Chriſtum, ut manus ipſi imponat, hoc eſt, auditum & loquelam reſtituat. Erat enim hic Chriſti mos, ut vel verbo vel manu ſanaret, ut videre eſt Matth.9.v.6.29. Joh.4. v.50. Luc.4.v.39.

Digitized by Google

Hoc ipſo laudabili charitatis Chriſtianæ exemplo nobis prælucent, quo parem egenorum, mutorum, claudorum, cœcorum, epilepticorum, &c. curam habere, illos accedere, conſolari, portare, juvare, omniaque humanitatis officia ipſis exhibere aſtringimur, ſicut Chriſtiana charitas requirit, 1. Cor. 13. v. 7. 8. Gal. 6. v. 2. hæc miſericordiæ opera magis placent Deo quàm ſacrificia, Oſ. 6. v. 6. & à Chriſto, tanquam ipſi facta, in noviſſimo die egregiè deprædicabuntur, Matth. 25. v. 40.

III. *Mali quo premitur differentia.* Non enim uno tantùm morbo laborat, ſed ut ex harmonia Evangeliſtarum patet, eſt

1. *Surdus*, nec poteſt audire verbum Dei, ex quo auditu fides eſt, Rom. 10. v. 17.

2. *Mutus*, nec poteſt linguâ ſuâ Deum vel compellare in malis, vel celebrare pro beneficiis, quod genuinum Chriſtianorum officium eſt, Pſ. 50. v. 23.

3. *Claudus*, quod liquet ex græco, ubi dicitur καὶ φέρειν αὐτῷ, illud colligunt nonnulli, quod ambulare non potuerit.

4. Deniq; *ſtolidus* quod vox græca κωφὸς innuit, quæ non duntaxat mutum, ſed etiam ſtupidum ſtolidumque hominem ſignificat.

En vos mei, tantis miſer hic premebatur malis, ut bruto magis quàm homini ratione prædito ſimilis æſtimandus ſit. Utinam verò hic ſolus malis iſtis laboraſſet! Verùm proh dolor! nos univerſi & ſinguli in eodem luto hæremus.

Si ſpectes *corpus*, multis illud morbis eſt obnoxium, ut verè Eſa. 40. v. 6. ſi pergas & *animæ conditionem* attendas, ſumus ſpiritualiter *ſurdi* ad audiendum verbum Dei, Eſ. 6. v. 10. ſumus *muti* ad gloriæ divinæ decantationem, precum recitationem, peccatorum confeſſionem. *Muti in choro*, Eſa. 56. v. 10. *muti in foro*, Pſ. 58. v. 2. *muti in toro*, 1. Sam. 3. v. 13. ſumus *claudi*, quando ad concionem ire debemus, ut verbum Dei nobis onus eſſe videatur, Jer. 23. v. 36. ſumus etiam *ſtolidi* & inſipientes in rebus fidei, nec percipimus ea quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. verſ. 14.

Hæc eſt ἀταξία & ſumma corruptio, quæ amiſſionem imaginis divinæ per lapſum conſecuta eſt, & meritò ſuperbiam illorum retundere debet, qui viribus liberi arbitrii confidunt, & Spiritui S. in converſione cooperari volunt. Nam ſumus mortui in peccatis, Eph. 2. v. 1. & absque Deo nihil poſſumus, Joh. 15. v. 5.

De Secundo.

Sequitur *Cura*, quæ triplex:

I. *Ceremonialis*, quò pertinet

1. *Segregatio.* Nam ſeorſim ducit ſurdum à populo: Ita exeat à mundo, qui vult ſanari à Chriſto. Mundus enim in maligno poſitus eſt, 1. Joh. 5. v. 19. qui autem picem tetigerit inquinabitur, Sir. 13. v. 1.

2. *Digiti applicatio.* Dicitur enim de Chriſto, quod digitos ſuos miſerit in auriculas ſurdi. Per digitum Chriſti intelligitur Spiritus S. qui digitus Dei dicitur Luc. 11. v. 20. quo corda noſtra aperit per verbum & Sacramenta, ut docet exemplum Lydiæ, Act. 16. v. 14. quoties igitur campanæ pulſum ad concionem vocantis audimus, cogitemus ſtatim: Ecce, nunc extendit Salvator meus digitum ſuum, ut tangat & aperiat cor meum. Accedam ergò, ut tangar & ſalvus fiam. Nam efficacia Spiritus S. conjuncta eſt cum verbo, 2. Cor. 3. v. 6.

3. *Unguenti præparatio.* Nam exſpuit, & hoc quaſi unguento linguam ejus tangit, quod

Digitized by Google

quod myſticam ſuam habet ſignificationem. Sicut enim ſputum à capite in os defluit, & linguam ad loquelam promptam & lubricam reddit: Ita omnia beneficia ſpiritualia à Chriſto unico Eccleſiæ capite in membra deſcendunt, ut ex ipſius plenitudine accipiant gratiam pro gratia, Johan. 1. verſ. 16.

4. *Oculorum elevatio.* Miratur quaſi miſeriam hujus hominis, ideoque in cœlum ſuſpicit, unde auxilium venit. Attollamus & nos corda noſtra, quærentes ea quæ ſurſum ſunt, Col. 3. v. 1. πολίτευμα enim noſtrum in cœlis eſt, Phil. 3. v. 20.

5. *Suſpiratio.* Nam in cœlum ſuſpiciens, ingemiſcit, & dolet hominem tam fœdè à Satana corruptum eſſe. Nos horum ſuſpiriorum memores à peccatis deſiſtamus, hæc enim ſunt, quæ Chriſto gemitus exprimunt, & ſuſpirare faciunt, Pſal. 69. v. 22.

II. *Verbalis.* Nam Ephata dicit, quod eſt, aperire. Hic eſt fortis ille imperativus, quo ſurdo aures aperuit, & linguæ vinculum ſolvit. Verbum igitur Domini magnificamus, quippe quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. Repetit adhuc ſuum Ephata, in Baptiſmo ut renovemur, in verbo ut credamus, in pœnitentia ut Spiritum S. accipiamus, repetet etiam in extremo die, & ſepulchra noſtra aperiet, ut prodire & reſurgere poſſimus ad vitam æternam, Ezech. 37. v. 12. 1. Cor. 15. v. 52.

III. *Realis.* Statim enim ad verbum Chriſti apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè, inquit Evangeliſta. Unde apparet, quod ſit Dominus dicens & faciens, cujus verbo omnia obtemperant, ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt, Pſ. 33. v. 9. & ſi neque herba neque malagma ſanare poteſt, ſermo tuus, Domine, ſanat, qui omnia ſanat, inquit Salomo, Sap. 16. v. 12.

De Tertio.

SUpereſt *deprædicatio populi*, quæ verè memorabilis eſt, ſi ſpectes

1. *Fervorem.* Chriſtus interdicit illis, ne dicerent, ſed quò magis interdicit, eò magis ipſi deprædicant. Non poſſunt ſibi temperare, quin miraculum hoc inſigne ubique locorum ſpargant, & concelebrent, in majorem laudem & gloriam Chriſti. Nam ſacramentum Regis abſcondere bonum eſt, ſed opera Dei revelare præclarum & honorificum, Tob. 12. v. 8.

2. *Stuporem.* Nam ſupra modum ſtupebant, & docent nos ſuo exemplo, quanti ſigna & miracula, quæ Deus adhuc hodie conſpicienda nobis quandoque exhibet, æſtimare debeamus, nimirum ſtuporem nobis incutiant, ut Dei majeſtatem inde cognoſcamus, & ad pœnitentiam redeamus. Qui enim ſigna negligit, pœnas aliquando ſentiet, quas Deus ſignis iſtis mundo prænunciat, Pſ. 7. v. 12. ſeqq.

3. *Tenorem.* Nam ita ſonat encomium populi: Omnia bene fecit, & ſurdos facit audire, & mutos loqui.

Utamur & nos hâc cantiuncula, & magnalia Dei quotidie deprædicemus.

Omnia bene fecit *in creatione*, Gen. 1. v. 31. Omnia bene fecit *in redemptione*, dum beneplacitum fuit ipſi per Chriſtum ἀνακεφαλαιῶσαι αὐτῷ instaurari, & ſub unum caput redigi omnia, quæ ſunt in cœlo & in terra, Eph. 1. v. 10.

Omnia bene facit *in ſanctificatione*, dum adhuc hodie per Spiritum Sanct. nos illuminat, Johan. 1. v. 9. & renovat, Tit. 3. v. 5. ut quaſi novæ creaturæ ſimus, 2. Cor. 5. v. 17.

& ſerviamus Deo in juſtitia & ſanctitate, quæ ipſi grata eſt, Luc 1. v.75.

Omnia etiam bene faciet *in extremo die*, quando reſuſcitabit nos ex pulvere terræ, & in nubibus cœli ſibi in occurſum rapiet, ut ſimus apud ipſum omni tempore, 1. Theſſ. 4. v. 17. ibi demum verè canemus cum omnibus angelis & electis coram throno Dei: Omnia bene fecit, & magnalia Dei deprædicabimus in ſempiterna ſecula, quod tandem concedat nobis Christus Jeſus per & propter nominis ſui ſuavitatem & pretioſitatem, Amen.

Dominica XIII. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 10. v. 23. 37.

DE Salomone dicitur 1. Reg. 10. v. 1. ſeqq. quod fama ipſius ad Reginam divitis Arabiæ pervenerit, quam Chriſtus Matth. 12. v. 42. Reginam Auſtri vocat. Cumque illa Hieroſolymam profecta audiret ſapientiam Salomonis, & videret domum quam ædificaverat, & cibos menſæ ejus & habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium & eorum veſtes, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, dixit ad Regem: Major eſt ſapientia tua & bonum, quàm rumor quem audivi, beati viri tui, & beati ſervi, qui ſtant coram te ſemper & audiunt ſapientiam tuam.

Amplum certè & honorificum encomium, quo Sattapæ & miniſtri Salomonis aulica à Regina Sabæa ornati & commendati ſunt. Sed hîc plus quàm Salomon, Matth. 12. v. 42. nimirum ipſa Patris cœleſtis ſapientia, Chriſtus Jeſus. Is longè majori jure beatos prædicat Apoſtolos, quod videant & audiant, quæ multi Reges & Prophetæ videre & audire voluerint, nec tamen vel videre vel audire potuerint. Sapientiam verò ſuam ex eo commendat, quod ad quæſtionem magni alicujus Legisperiti legem de diligendo Deo & proximo egregiâ de Samaritano parabolâ ita explicat, ut Legisperitus rubore ſuffuſus nihil inveniat, quod ipſi regerere poſſit.

Videbimus Evangelium ipſum, cujus ſumma duobus membris conſtat:

I. eſt *Beatitudinis deprædicatio.*

II. *Vera legis interpretatio.*

J.J.

EXEGESIS.

Cùm Iſraelitæ caſtrametarentur in Eli, reperiebant ibi 12. fontes, & 70. palmas, Exod. 15. v. 27. Per duodecim fontes præfigurati ſunt duodecim Apoſtoli, per palmas autem 70. diſcipuli, quos Chriſtus præter Apoſtolos ad prædicandum Evangelium emiſerat. His cum gaudio revertentibus & proſperum ſucceſſum indicantibus, Chriſtus gratias agit Patri cœleſti, quod abſconderit regni ſui myſteria ſapientibus & prudentibus, ac parvulis eadem revelaverit, inde convertitur ad diſcipulos ſuos, & beatos hoc nomine ipſos prædicat, quod talia videant & audiant, quæ multi Prophetæ & Reges voluerunt videre & audire, ſed ea nec viderunt nec audierunt.

Conſideranda igitur hîc nobis occurrunt

1. Deſide-

Digitized by Google

1. *Deſiderium antiquorum*, Patriarcharum videlicet, Prophetarum, Regum & aliorum Sanctorum, quo tempus Meſſiæ expectarunt, quod quàm ardens fuerit, Scriptura in multis locis abundè teſtatur. Eva inquit: acquiſivi virum Dominum, Gen. 4. v. 1. Lamech de Noacho: *Ille nos conſolabitur*, Gen. 5. v. 29. Jacob Patriarcha: *Salutare tuum expecto Domine*, Gen. 49. v. 18. David Rex: Quis dabit ex Sion ſalutem? Pſ. 14. v. 7. Eſaias Rorate cœli deſuper, c. 45. v. 8. de Abrahamo dicit Chriſtus, quod exultaverit videre diem ſuum, Ioh. 8. v. 56. & Petrus de omnibus Prophetis idem enunciat, 1. c. 1. v. 10. 11. Nos pari ratione deſideremus ſecundum Chriſti adventum. In eo ſiquidem videbimus Chriſtum venientem in nubibus cœli cum gloria magna, Matth. 24. v. 30. & opus redemptionis, quod in primo adventu inchoavit, illud tunc plenè perficiet, unde vocatur dies redemptionis, Luc. 21. v. 28. Quemadmodum Apoſtoli verbum vitæ contemplati ſunt, 1. Joh. 1. v. 1. ita tunc Chriſtum à facie ad faciem videbimus, 1. Cor. 13. v. 12. ſtabimus coram ipſo quotidie, & audiemus ſapientiam ejus, quam hîc oculus non vidit, & auris non audivit, 1. Cor. 2. v. 9. ſuſpiremus igitur cum ſponſa Chriſti ſingulis horis & momentis: Veni Domine Jeſu, veni, Apoc. 22. v. 17. 20.

2. *Prærogativa Apoſtolorum*. Vos videtis, inquit Chriſtus, vos auditis, quæ multi Reges & Prophetæ nec videre nec audire potuerunt. O beatos igitur & iterum beatos, qui tam exoptato tempore vivitis.

Videmus hinc, in quo vera beatitudo conſiſtat. Epicuræi ſummam felicitatem ponunt vel in deliciis, ut Sap. 2. v. 6. 7. vel in divitiis, ut Pſ. 144. v. 13. vel in gloria nominis, ut Nebucadnezar, Eſa. 14. v. 13. 14. ſed hæc omnia fluxa ſunt & caduca. Vanitas, vanitatum & omnia vanitas, Eccl. 1. v. 2. Chriſtus igitur, qui unicus Magiſter eſt, Matth. 23. v. 10. quem Pater juſſit audiri, Matth. 3. verſ. 17. docet hoc loco veram beatitudinem non conſiſtere in rebus terrenis & fallacibus, ſed in viſione Chriſti, & beatos prædicat, non qui multos habent auri argentique acervos, non qui in honorum & dignitatum eminentia conſtituti ſunt, non qui deliciis & voluptatibus indulgent, ſed qui habent illuminatos oculos cordis, ut Chriſtum videant, & pro Salvatore ſuo agnoſcant, Joh. 17. v. 3. Jer. 9. v. 23. Sap. 15. v. 3.

Ad *corporalem viſionem* requiritur

1. *Organum rectè diſpoſitum*, h. e. oculi ſani & aperti. Lippientibus enim & clauſis oculis nihil aut parùm videtur. Talis oculus in ſpirituali viſione Chriſti eſt fides, hinc Epiſcopus Laodicenſis cæcus pronunciatus, & oculus collyrio inungere jubetur, quia fide ſalvificâ carebat, Apoc. 3. v. 18. ſicut igitur vulnerati Iſraelitæ in deſerto morſu ſerpentum igneorum, convaleſcebant ſtatim, ſi æneum ſerpentem intuebantur, Num. 21. v. 9. Ita filius hominis exaltatus eſt in cruce, ut omnis, qui oculum fidei in ipſum dirigit, non pereat, ſed habeat vitam æternam, Johan. 3. v. 14.

2. *Medium lucidum*, quod eſt aër vel aqua, per ſolida enim viſio nō fit, ſed per corpora illa tenuia beneficio ſolis oculi penetrant. Habemus & nos tale medium, ad Chriſti intuitum ſatis accommodum, quod nihil aliud eſt, quàm clarum & lucidum Dei verbum, Pſ. 19. v. 9. in hoc lumine videmus lumen, Pſ. 36. v. 10. conf. 2. Pet. 1. v. 19. oportet igitur nos ſequi lucem verbi, ſi Chriſtum videre expetimus, Hoc teſtatur de ipſo Joh. c. 3. verſ. 35.

3. *Æquè*

3. *Æquè diſtans objectum.* Non videtur res, quæ vel nimis vicina, vel nimis remota eſt oculis: Ita ſi Chriſtum velimus intueri cum Apoſtolis, ſervanda eſt proportio, ne habeamus ipſum vel nimis remotum, vel nimis propinquum, Semotus eſt, ſi in peccatis vivimus, Prov.15. v.29. Eſ.59. v.2. nimis propinquus autem fit, ſi propriis viribus ad ipſum accedere,& nos ipſos convertere præſumamus, nam ex nobis ipſis ſufficientes non ſumus, 2.Cor.3. verſ.5. ſed ſolus Deus eſt qui nos trahit & convertit, Johan.6. v.44. Jer.31. v.18.19. ſicut igitur viſio corporalis fit per receptionem objecti viſibilis: Ita nos oportet Chriſtum per fidem recipere, ut in cordibus noſtris habitet, Eph.3. v.17.

Hæc eſt ſpiritualis viſio, ſed ænigmatica tantùm, & fit quaſi per ſpeculum, 1.Cor. 13. verſ.12. & tanquam in ſomno, ut Jacobus ſcalam cœli vidit, Gen.28. verſ.12. veniet autem tempus, quo videbimus ipſum ſicut eſt, 1.Johan.3. verſ.2. Hoc ſuſpiremus, ſicut cervus ad rivos aquarum, ingemiſcentes cum Davide: Ah quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? quando videbo Deum meum, quem ſitit anima mea, Pſ.42. verſ.3.

De Secundo.

Fuit pars prima, ſequitur altera, quæ *veram legis interpretationem* complectitur, ubi duo ponderanda veniunt:

I. *Legiſperiti quæſtio*, quæ eſt

1. *Captioſa*, venit enim ut tentaret Chriſtum, inquit Evangeliſta, ſperans ſe talem reſponſionem à Chriſto eliciturum, quæ legi adverſetur, unde odium & invidia Chriſto concilietur. Tales inflati hypocritæ inter literatos præſertim multi inveniũtur, qui non quærunt ut diſcant, ſed ingenium ſuum oſtentent,& ignominię notam aliquam proximo affricent. Sed maledictus omnis doloſus, Mal.1. verſ.14. Sagittæ fraudis in verticem ſagittantis redibunt, Sir.27. verſ.28. 29.30.

2. *Ponderoſa.* Nam Magiſter, inquit, quid faciam, ut vitam æternam conſequar? Ita nos quoque in id ſedulò incumbere debemus, ut rationem conſequendi vitam æternam addiſcamus, cum enim in hac vita omnia ſint caduca & tranſitoria, ſiquidem peregrini ſumus & hoſpites, non habentes hîc manentem civitatem, Ebr.13. v.14. de eo potiſſimùm ſolliciti eſſe debemus, ut ex hac vita decedentes perveniamus ad eum, cujus anni non deficiunt, Pſalm.102. verſ.28. & manſionem inveniamus, quæ manufacta non eſt, ſed æternùm perdurat in cœlis, 2. Cor.5. v.1.

II. *Chriſti reſponſio*, quæ eſt

1. *Moſaica.* Quia enim faciendo conſequi volebat vitam æternam, ad legem ipſum Chriſtus remittit, quid ſcriptum eſt, inquit, in lege? quomomodo legis? Et cum ille legis ſummam recitat ex Moſe Deut. 6. verſ.5. Levit.19. v.13. approbat Chriſtus hanc reſolutionem, & breviter abſolvit: Hoc fac, & vives. Verum quidem eſt & manet hoc axioma: Quicunque facit omnia, quæ ſcripta ſunt lege, vivet in eis, Lev.18. verſ.5. ſed quis eſt, qui perfectionem illam legis aſſequi poſſit? Ah nemo ex omnibus, ſumus enim peccatores ad unum omnes, & gloriâ Dei egemus Rom.3. v.23. Moſes dedit nobis legẽ, ſed nemo facit, Joh.7. v.19. Dum igitur Chriſtus hunc operum fiduciâ turgidum Legiſperitum ad legem remittit, eo ipſo ad agnitionem ſui eum deducere tentat, ut in ſeipſum deſcendat,& quantum à perfecta legis obſervatione adhuc abſit, perſpiciat.

Ali-

Digitized by Google

Aliter cum contritis peccatoribus Chriſtus egit, qui ſerio diſcendi ſtudio ad ipſum venerunt, hos non ad legem, ſed ad fidem remiſit, ut docet exemplum Nicodemi, Johan.3. v.16.

Interim probè notandum eſt Legisperiti reſponſum, quo ſummam totius legis duobus præceptis de dilectione Dei & proximi ἀπολύτως comprehendit. In his enim duobus mandatis Lex & Prophetæ dependent, Matth. 22. v. 40. finis præcepti eſt charitas, 1.Timoth. 1. v.5. & perfectio legis Rom. 13. verſ.10.

Requiritur igitur à nobis

I. *Dilectio Dei*, quam ipſi debemus

1. *Ratione ſubjectionis*, eſt enim Dominus, qui non corpus tantùm perdere, ſed animam ſimul in æternam condemnationem detrudere poteſt, Matth. 10. v. 28.

2. *Ratione creationis*, quia Deus eſt, à quo creati ſumus, Pſal.100.v.3.

3. *Ratione conſervationis*, quia noſter eſt propter varia beneficia, quæ nobis exhibuit, & quotidie adhuc exhibet. Cur igitur non redamemus? ſi quis non amat Dominum noſtrum, anathema ſit, maranatha, 1.Cor.16.v.21.

Proficiſci autem debet illa *dilectio*

1. *Ex toto corde*, ne dividamus illud partim Deo, partim creaturis adhærentes, quod eſt contra primum præceptum.

2. *Ex tota anima*, ne vel incantando, vel maledicendo animam noſtram à Deo avertamus, quod eſt contra 2. præceptum.

3. *Ex tota mente*, ne mundo affixi, cœleſtia negligamus, ſed potius omnes cogitationes noſtras dirigamus ad ea, quæ ſupra nos ſunt, quod 3. præceptum requirit.

4. *Ex totis viribus*, ut omnia noſtra cogitata, dicta & facta ad unius divini nominis gloriam referamus, quod tota prima decalogi tabula requirit.

Sed quando repertus eſt, aut reperietur, qui hanc legis ἀκρίβειαν aſſequi poſſit, præter unum & ſolum Chriſtum?

II. *Dilectio proximi*, quo nomine intelliguntur omnes homines, qui ope auxilioq; noſtro indigent, cujuscunque ſint ſtatus & conditionis. Hunc diligere debemus tanquam nos ipſos,

1. *Plenè*, non amicum tantùm ſed etiam inimicum, Luc.6.verſ.27. nec tantùm ipſum proximum, ſed & jumenta proximi, juxta legem, Exod.23.v.4.5.

2. *Planè*, hoc eſt ſine ulla odii aut invidiæ ſcintilla, non linguâ tantùm aut perfunctoriè, ſed animo, corde & opere. 1. Joh.3. v.18. ut commoda ejus promoveamus, errata tegamus, ſalutemque ejus quantùm in nobis eſt, quæramus omni tempore proſpero ſcilicet & adverſo. Hæc omnia lex divina requirit ab omni homine, ut qui in uno offendat, reus omnium fiat, Jac.2.v.10. nec mutabit Deus hunc rigorem uſq; ad finem mundi, ut ſcriptum eſt Matth.5.v.18. ſed non poſſumus implere, ut ſupra dictum eſt, proinde ad Chriſtum confugiendum, qui eſt finis & impletio legis ad ſalutem omni credenti, Rom.10. v. 4. & quod legi impoſſibile erat, ipſe præſtitit, Rom.8.v.3.4. unde Jehova juſtitia noſtra Jer.23.v.6.

2. *Evangelica*. Quia enim Legisperitus dicebat, quis eſt proximus meus, quaſi dicat: Ego jamdudum hæc omnia præſtiti, dilexi Deum & proximum, niſi fortè alium mihi proximum velis monſtrare, quam eſt is, cujus dilectio in lege præcipitur: egregiam Chriſtus parabolam ſubjicit de ſamaritano, quâ veræ dilectionis erga proximum naturam & indolem declarat.

Digitized by Google

Perſonæ principales ſunt

I. *Viator*, qui deſcribitur

1. *Ratione propoſiti.* Volebat enim deſcendere ex Jeruſalem in Jericho. Viator iſte, inquit Auguſtinus, eſt totum genus humanum, quod per lapſum protoplaſtorum ab Hieruſalem, deſcendit in Jericho, id eſt, ex Paradiſo, in hanc miſeriarum vallem ſe præcipitavit.

Hieruſalem eſt viſio pacis, quâ ſumma felicitas hominis ante lapſum denotatur, ſi ſpectes

Primò *Loci elegantiam.* In Paradiſo enim degebat, ubi nihil videbat niſi pacem, nil percipiebat niſi lætitiâ & jucunditatem. Non æſtas ibi tollebat vernales pulchritudines, nec autumnus æſtivos colores, nec hyems autumnales fructus faciebat marceſcere, ſed concurrebant veris jucunditates, & hyberna quies. Erant quæ oculos hominis delectabant pulchritudine coloris, erant quæ nares afficerent fragrantiâ odoris, erant quæ guſtum ſatiarent dulcedine ſaporis, erant quæ totum corpus recrearent virtutis excellentiâ. Arboribus hortus ille conſitus erat ſatis multis, quæ cibum homini præbebant, ſed duæ inter illas præcellebant, arbor nimirum vitæ & ſcientiæ. Arbor vitæ creabatur in pharmacum, ut homo ex illa comedens æternùm viveret. Arbor ſcientiæ verò dabatur in cultum, ut quaſi templum eſſet, in quo Deus ab homine coleretur, quam ob rem fructus illius decerpere homini interdictum erat, Gen.3. v.11.22.

Secundò *animæ & corporis elegantiam.* Nam ad imaginem Dei conditus erat homo, Geneſ.1. verſ.27. quæ complectitur ſapientiam & veritatem, Sirac.17. verſ.5. juſtitiam & ſanctitatem, Epheſ.4. verſ.24. ſanitatem & immortalitatem, Sap.2. verſ.23. ſed non permanſit in hac primævâ felicitate, ſed deſcendit in Jericho. Jericho lunam ſignificat, & mundi hujus figuram nobis præbet.

Luna habet *lucem eclypſatam*, quæ ſæpius eclipſin patitur: Sic proſperitas mundi ſæpe eclypſatur in vita, quæ labor & dolor, Pſal.90.v.10. in morte, quæ divitiis non placatur, Luc.12. verſ.20. poſt mortem, dum avarus omnia relinquere cogitur, & nihil ſecum ſumet, Pſal.49. v.18.

Luna habet *lucem maculatam*: ita felicitas hujus mundi multis amaritudinibus reſperſa eſt, Joh.16.v.22.

Luna habet *lucem variatam*, quæ modò plena eſt, modò ſemiplena, modò vacua. Idem in mundanis accidit, modò enim creſcit, modò decreſcit, modò plena, modò ſemiplena eſt mundi proſperitas, Pſalm.37. v.35.36. ô calamitatem, ô miſeriam.

2. *Ratione periculi*, quod in latrones inciderit. Erat enim inter Hieruſalem & Jericho locus frequentibus latrociniis infamis, Adomim dictus à ſanguine, qui ibi multus fundebatur à latronibus, inde deducta eſt alluſio ad iter periculoſum, quod Adam peragravit, dum ex Paradiſo in hujus mundi ſolitudinem ambulavit. Per latrones intelliguntur Diaboli, qui variis utuntur *μεθοδείαις*, Eph.6. v.11. & non aurum & argentum, non etiam corpus tantùm, ſed animam ſimul perimere tentant, quod exercitium ipſorum fuit ab initio, Joh.8.v.44.

Ab his latronibus *tria* miſer hic viator reportat *incommoda*, ut ſunt

1. *Spoliatio*, Nam deſpoliaverunt eum, inquit Salvator; Pulcherrimè veſtitus erat primus homo ipſa Dei imagine, quæ conſiſtebat, ut ſupra diximus, in perfecta juſtitia &

Digitized by Google

tia & ſanctitate, Epheſ. 4. verſ. 24. ſed extraxerunt ipſi hi latrones tunicam juſtitiæ, pileum libertatis, coronam imperii, in aurem obedientiæ, monile immortalitatis, armillas ſpei, calceamenta pudicitiæ, togam ſapientiæ, ut nuditatem noſtram jam amplius tegere non poſſimus, Ezech. 16. v. 6. 10.

2. *Vulneratio.* Vulnera illa vitia atque peccata ſunt. Inflictum enim eſt homini vulnus ignorantiæ, ut veritatem non percipiat: vulnus malitiæ, ut bonum nō appetat: vulnus infirmitatis, ut carnem frenare non poſſit: vulnus concupiſcentiæ, ut ſemper in vetitum nitatur, Geneſ. 6. v. 5. 8. v. 21.

3. *Deſolatio.* Nam ſemi mortuum reliquerunt. Quod non intelligendum eſt ſenſu pontificio, quaſi adhuc vires aliquæ homini poſt lapſum relictæ ſint, quibus ad DEUM ſe convertere & ſalutem operari poſſit. Hæc non eſt mens parabolæ. Teſtatur enim Scriptura, nos in ſpiritualibus eſſe mortuos, Epheſ. 2. v. 1. ut ergò in mortuis nullus eſt motus, nullus ſenſus, ſic in homine corrupto vis vel facultas nulla eſt ad ſui converſionem. Aut igitur hîc cum Chryſoſtomo dicendum: non oportet cuncta in parabolis curioſè ſcrutari. aut cum Hugone Cardinali: ſemivivo relicto, id eſt, vita naturæ tantùm relicta, vitam gratiæ abſtulerunt, & ita cùm priùs viveret duplici vitâ, ſcilicet vita naturæ & gratiæ, nunc unica tantùm vivit. Vel tandem dicendum, ſemivivus relictus fuit homo in naturalibus, totaliter autem mortuus eſt in ſpiritualibus. O calamitatem, ô miſeriam!

3. *Ratione repudii.* Prætéribat enim Sacerdos & Levita. Per Sacerdotem & Levitam intelligimus legem & ſacrificium. Cupiebat Levita hominem corruptum ſervare per legem, optabat eum juſtificare ſacerdos per ſacrificia, ſed tandem uterque arti ſuæ diffiſus præterire cogitur, quod infallibile indicium eſt, nihil hîc vel Sacerdotis victimas vel Levitæ præſcripta valere, quæ monſtrare quidem, non autem ſanare peccatorum vulnera poterant, lex enim fuit pædagogus ad Chriſtum, Gal. 3. v. 24.

Altera perſona in hac parabola eſt *Opitulator*, qui ſcribitur

1. *Ratione appellationis.* Samaritanus enim dicitur. Jam verò Samaritani erant homines proſtitutæ impietatis & levitatis, à Salmanaſſare è Babylonica captivitate in Samariam ad occupandas Iſraelitarum civitates ablegati, 2. Reg. 17. verſ. 24. religionem habebant ex Judaica & Ethnica confuſam, unde etiam ad quemlibet fortunæ ſtatum, modò à partibus Judæorum ſtabant, teſte Joſepho, modò gentilibus ſeſe aggregabant, tantoperè à Judæis exoſi, ut ne cibum cum illis caperent, Johan. 4. v. 9. Sirac. 50. verſ. 28. dum igitur Samaritanum vulneraro ſuccurriſſe Chriſtus aſſerit, hoc legiſperitus ſubindicare vult, quod etiam infenſiſſimi hoſtes ſint proximi noſtri, quibus ſuccurrere teneamur. Hoc fecit Chriſtus verus ille Samaritanus & Schomer Iſraelis, Pſal. 121. verſ. 4. dum animam ſuam poſuit pro nobis, cùm adhuc inimici eſſemus, Rom. 5. v. 10.

2. *Ratione commiſerationis*, quam declarat

1. *Aſpectu.* Nam avertit oculos, cum videt hominem ſuatiatum in ſanguine ſuo jacentem, ſed aſpexit miſerum: Ita nos quoque oculos ab egenis avertere non debemus, Sir. 4. v. 5.

2. *Affectu.* Nam ἐσπλαγχνίσθη in græco eſt, viſcera ejus commota ſunt: Ita nos etiam

etiam miſericordia erga proximum affici debemus, quando crucis malo premitur, ne gaudeamus de miſeria ejus, Pſ. 35. v. 21. & 40. v. 16. afflicto enim non eſt addenda afflictio, Sir. 4. v. 3. ſed miſericordiam & miſerationes faciamus unusquisque cum fratre ſuo, Zach. 7. v. 9. Col. 3. v. 12.

3. *Acceſſu.* Sacerdos & Levita prætereunt, ſed Samaritanus accedit, & neque periculum curat, quod propter latrones eo loco commorantes ſibi accidere poterat, neque negotium, quod in itinere ſuo retardetur: Ita proximum noſtrum in miſeria conſtitutum non deſeramus, ſed viſitemus libenter juxta admonitionem Siracidis c. 7. v. 39. & Jacobi, c. 1. v. 27.

3. *Ratione curationis.* Nam

1. *Medicinam applicat*, quæ duplex. Nam Primò vinum infundit, & deinde oleum. Per vinum concio legis intelligitur, per oleum verò concio Evangelii, qua utraque ſpiritualis noſtra ſanatio perficitur. Vinum acrimoniâ ſuâ mordet & purgat: Oleum lenit & ſanat vulnera: Ita lex facit, ut vulnera ſentiamus & agnoſcamus, Rom. 7. v. 7. purificat enim & ſaniem tollit, ne inflammatio & putrefactio fortaſſis oriatur, daß nicht der kalte Brand der Höllen darzu ſchlage. Evangelium verò eſt inſtar olei, quo dolores leniuntur, & vulnera conſolidantur, Pſ. 19. v. 8. Sap. 16. v. 12.

2. *Vulnera obligat:* Ita Chriſtus cœleſtis noſter Samaritanus merito & obedientia ſua perfectiſſimâ, vulnera, quæ Satanas nobis per lapſum inflixit, obligavit, ne hient in conſpectu Dei, ſed ligentur & complicentur, quò referri poteſt hiſtoria Alexandri Magni, qui Lyſimachi vulnus diademate Regio obligavit, ut fluxus ſanguinis occluderetur.

4. *Ratione deportationis.* Nam jumento miſerum imponit & in diverſorium eum ducit. Diverſorium illud eſt Eccleſia, verum illud noſocomium, in quo ſpiritualis ſanatio perficitur. Paterfamiliâs eſt ipſe Deus, Oeconomi ejus miniſtri Eccleſiæ, quibus cura ægrotorum commiſſa eſt, ut diætam obſervent. Hi porrigunt ipſis cibum ſalutarem verbi divini, & potum ſacramentalem ſanguinis Chriſti, quo reficiuntur ad vitam æternam, Joh. 6. v. 54.

5. *Ratione commendationis.* Nam die poſtero cum abiret Samaritanus, hoſpiti commendat patientem ſuum

1. *Realiter.* Depromebat enim duos denarios, & dabat illos hoſpiti. Per hos denarios intelliguntur verbum & Sacramenta, quibus fides emitur, ſpes cuſtoditur, charitas nutritur, perſeverantia acquiritur, & homo ab inferno liberatur. Hos denarios Chriſtus in cœlum aſcendens, unde prius deſcenderat, hoſpiti dedit, ut interim dum redeat, ægrotus habeat, unde tam alimenta, quàm etiam medicamenta ſibi comparet. Non enim ſolo pane vivit homo, ſed etiam verbo quod ex ore Dei egreditur, Matth. 4. v. 4.

2. *Verbaliter*, dum ait ei: Curam habe ægroti, & quodcunque prætereà inſumpſeris, reddam tibi cum rediero. Pontificii his verbis opera ſupererogationis probare ſatagunt: Sed Theologia allegorica non eſt argumentativa, & patet ex aliis Scripturæ locis, quod opera noſtra ſint debita & imperfecta, quid ergò ſupererogabimus? Imò ſi fecimus omnia, quæ facere debuimus oportet nos dicere: Servi inutiles ſumus, Luc. 17. v. 10. nihil igitur in his verbis aliud continetur, quàm cura Eccleſiaſtica, quam Chriſtus ad cœlum aſcendens Apoſtolis ſuis,

Digitized by Google

ſuis, & omnibus fidelibus eorundem ſucceſſoribus demandavit, ut infirmos portent, ægrotos ſanent, laborantes erigant, & omnes quantum fieri poteſt ad ſalutem perducere ſtudeant, Ezech. 34. v. 16. tunc merces ipſorum in cœlis copioſa erit, Matth. 5. verſ. 12.

Denique 3. *Reſponſio Chriſti eſt idonea vel accommoda.* Ad Legiſperitum enim convertitur, & quid tibi videtur, inquit? quis horum trium proximus fuit illi, qui in latrones incidit, cumque ille reſpondet: qui miſericordiam exercuit: ait Chriſtus: Vade tu & fac ſimiliter. Ubi tacitè iterum jactantiam & hypocriſin Legiſperiti redarguit, & Samaritani exemplum commendat, ut ſequatur illud, ſi proximum verè diligere velit. Samaritanus miſericordia tangitur erga vulneratum, nec attendit capitale odium inter Judæos & Samaritanos: Sic veræ charitatis natura eſt tangi ſenſu calamitatum proximi, & inimicos etiam diligere, Matth. 5. v. 44. Vade tu, inquit Chriſtus ad legiſperitum, & fac ſimiliter.

Samaritanus *deſcendit è jumento, accedit vulneratum, obligat vulnera ejus & infundit oleum, & vinum*: Ita veræ dilectionis natura eſt non tantùm compati, ſed etiam occaſionem quærere ſublevandi, quamvis illud cum facultatum ſuarum fiat diſpendio, 1. Cor. 13. v. 5. Vade tu, inquit Chriſtus iterum ad Legiſperitum & fac ſimiliter.

Samaritanus patientem *jumento imponit, in hoſpitium ducit, & poſtero die duos denarios erogat, promittitq; hoſpiti, ſe perſoluturum, ſi quos præterea ſumptus fecerit*: Sic vera dilectio ſibi detrahit, ut proximo id impendat, adeòque non ſolùm per ſe ſed etiam per alios proximi commodum promovet, 1. Cor. 13. v. 7. Vade tu, inquit Chriſtus iterum ad Legiſperitum, & fac ſimiliter, Vadite & Vos dilecti, & facite ſimiliter, id quod Chriſtus Jeſus per Sp. S. qui eſt Sp. dilectiõis, in cordibus veſtris operetur, Amen.

Dominica XIV. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 17. v. 11. 19.

Levit. 14. v. 1. ſeqq. deſcribitur Lex de mundandis leproſis, quibus nimirum ceremoniis leprâ infectus, & poſtmodum reſtitutus in conſortium populi Dei recipiendus ſit. Is qui mundandus erat, ad Sacerdotem accedebat, qui conſpicatus lepram ſublatam eſſe, jubebat ſibi afferri duas aves mundas, hoc eſt, quæ non erant ex numero earum, quarum eſus in V. T. erat interdictus, juxta Lev. 11. v. 13. ſeqq. earum una mactabatur in vaſe fictili ſuper aquas viventes, hoc eſt, tali vaſe, in quo erat aqua fluvialis pura, in quam ſanguis deſtillabat. Poſteà parabatur faſciculus ex ligno cedrino, cocco & hyſſopo. Per coccum ſive vermiculum intelliguntur fila linita colore purpureo. Ex his tribus conficiebatur aſperſorium, ita ut hyſſopus herba filo coccineo ſeu purpureo ad baculum cedrinum alligaretur. Hoc aſperſorium ũnà cum ave viva intingebatur ſanguini ejus avis mactatæ, vaſe fictili excepto, ex aqua fluviatili commixto, quo ſepties aſpergebatur mundandus, poſteà avis viva dimittebatur libera.

Quâ ceremonia ſignificabatur, ipſum imposterum in populo Dei liberam converſationem habere.

Lex hæc cum ſuis ceremoniis *typus eſt ſpiritualis mundationis à lepra peccati*, quæ fit per ſanguinem Chriſti, Ebr.9.v.14.

Avis mactata præfiguravit *mactationem Chriſti in ara crucis*, cujus ſanguine aſpergimur per fidem, & mundamur ab omni peccato, 1. Joh.1.v.7.

Faſciculus ex Cedro, filis purpureis & hyſſopo confectus *miniſterium notat verbi & Sacramentorum*, in quo Spiritus S. efficax eſt, & ſanguine Chriſti nos aſpergit, 1. Pet. 1. verſ. 2.

Avis autem, quæ viva dimiſſa eſt, *notat animæ liberationem*, quæ per ſanguinem Chriſti purificata viva in cœlum evolat ad caſtra filiorum Dei, & partem accipit ſortis ſanctorum in lumine, ut loquitur Apoſtolus, Col. 1. v.12.

Hujus Leviticæ mundationis meritò recordamur in Exordio hujus concionis, quia de leproſis agendum eſt, quos Chriſtus divinâ virtute mundatos ad Sacerdotes ablegat, ut legi huic conformes ſeſe gererent.

Evangelium conſtat tribus partibus, quas ordine recenſebimus.

I. Eſt leproſorum obviantium multitudo.

II. Chriſti opitulantis promptitudo.

III. Vnius Samaritani gratitudo.

J. J.

EXEGESIS.

SIcut ſol in cœlo nunquam quieſcit, ſed inceſſabili motu non tantùm ab ortu in occaſum fertur, ſed etiam modò verſus ſeptentrionē, modò verſus meridiem, pro diverſitate anni temporum declinat, ut ſic terras & maria luſtret, totique mundo ſuæ lucis & caloris beneficium impertiat: Ita Chriſtus ſol juſtitiæ, Mal. 4. v. 2. in poſtrema ſua Hieroſolymam verſus ſuſcepta peregrinatione morti jam proximus non tantùm rectâ lineâ per Samariam ad illam Judeæ metropolim, in qua pro peccatis humani generis ſeſe paſſurum noverat, contendit, ſed etiam inde digreſſus in Peræam verſus ortum ſeſe contulit, hinc rurſus in Judæam verſus occaſum, ac iterum in Galilæam verſus ſeptentrionem, id quod fecit eo fine, ut generalem quandam viſitationem paulò ante vitæ ſuæ finem inſtitueret, omnes luce Evangelii colluſtraret, ipſiſque beneficia ſua tam corporalia quàm ſpiritualia communicaret. Quò reſpiciunt verba Petri, Act.10.v.38.

Hinc eſt quod Evangeliſta tam diligens eſt in notandis circumſtantiis, quæ circa hanc mundationem leproſorum conſiderandæ veniunt, Deſcribitur enim

1. *Tempus*, quando factum ſit, nimirum inter eundem Hieroſolymam, cùm iter ſuum ſuſciperet ultimum ad paſſionem ibi ſubeundam, non regia via, ſed per mediam Samariam & Galilæam. Quia enim complebantur dies aſſumptionis ejus, ut inquit Lucas. c.9. v. 51. volebat priùs loca omnia peragrare, ubi anteà Evangelium prædicaverat, & oviculas ſuas in doctrina hactenus propoſitâ adhuc ſemel, antequam ad Patrem abiret, confirmare. Hinc in iſto itinere quàm plurima edidit miracula: Decem hos leproſos mundavit, duobus cœcis viſum reſtituit, Matth. 20. v. 34. Luc. 18. v. 35. Zachæum publicanum convertit, Luc. 19. v. 9. ficui maledixit, Matth. 21. v. 19. Lazarum reſuſcitavit, Johan. 11. verſ. 43. 44. per hæc miracula

racula declaravit potentiam ſuam, quod non ſit ψιλὸς ἄνθρωπος, ſed filius Dei vivi, Matt. 16. v. 16. cumprimis autem leproſorum horum emundatione, velut in typo paſſionis ſuæ fructum nobis adumbrare voluit, qui eſt emundatio ſpiritualis à lepra peccati, 1. Joh. 1. v. 7. Ebr. 9. v. 14.

2. *Locus*, qui fuit vicus quidam Samariæ. Erant enim leproſi ex oppidis & aliorum conſortio remoti, ne contagioſo ſuo morbo alios inficerent, hinc ante vicum vel oppidum Chriſto obviaſſe dicuntur.

Ex eo apparet ſumma Chriſti φιλανθρωπία & benignitas. Samaritani erant homines peſſimi, & recuſaverant ipſi hoſpitium, Luc. 9. v. 53. nihilominus in quodam ipſorum vico edit hoc miraculum, & eo ipſo teſtatur, quàm anxiè deſideret ipſorum ſalutem. Magni beneficii loco habetur, quando medicus rogatus & proœmiis invitatus ægrotum viſitat: ſed hîc animarum noſtrarum medicus ſpontè ad nos venit, & beneficia ſua nobis offert. Ego ſto ad oſtium, inquit, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum eo & ipſe mecum, Apoc. 3. v. 20.

3. *Numerus*, quod decem fuerint, unde colligitur, lepram fuiſſe morbum Judæis admodum familiarem & frequentem, quia apud exiguum hunc Vicum decem leproſi habitarunt, imò quod Lev. 13. & 14. dicitur, ipſæ domus & veſtes leprâ infectæ fuerunt. Hoc morbo abominabili Deus peculium ſuum præ gentibus percuſſit, ut eſſet commonefactio de peccato, quod gravius puniri ſolet in Chriſtianis, qui ſunt membra Eccleſiæ, quàm in gentilibus, qui extra Eccleſiam verſantur. Nam à domo Dei judicium plerunque incipit, 1. Pet. 4. v. 17.

4. *Morbus*, qui fuit lepra, morbus contagioſus, ex vitioſo humore & aduſta melancholia proveniens, hinc tali morbo infecti à reliquorum hominum commercio excluſi nudis capitibus, ſciſſis veſtimentis & coopertis labiis eo fine incedere cogebantur, ut à reliquis dignoſci & citius caveri poſſent, Levit. 13. & 14.

Lepra eſt imago peccati, ſi ſpectes

1. *Originationem.* Contrahitur enim vel intemperantiâ, vel contagio, vel etiam propagatione naturali per parentes. Ita peccatum naſcitur ex prava concupiſcentia, Jac. 1. v. 15. ex prava converſatione, 1. Cor. 15. v. 33. & per parentes etiam in filios propagatur, Pſ. 51. v. 7.

2. *Operationem.* Lepra totum corpus occupat, contaminat ſanguinem, pervadit omnes venas, & nihil in homine ſani relinquit: Ita peccatum omnes animæ & corporis vires in homine pervaſit, & ita depravavit, ut à planta pedis usque ad verticem capitis nihil boni in nobis inveniatur, Eſa. 1. verſ. 6.

Lepra ſegregabat infectos à commercio aliorum, Lev. 13. verſ. 46. Ita peccatum nos à Deo ſegregat, Eſa. 59. v. 2.

Lepra pruritum excitat: Ita peccatum varias inordinatas titillationes excitat, à quibus etiam renati non ſunt exempti, Rom. 7. v. 5.

Lepra ubi invaluit, membra adeò ſtupida & quaſi mortua reddit, ut nihil ſentiant, etiamſi acu pungantur, ut videre eſt Num. 12. v. 12. ſic peccatum hominem in rebus ſpiritualibus ſtupidum facit, 1. Cor. 2. v. 14. & mortuum coram Deo, Eph. 2. v. 1. ut licet acu legis pungatur, vel etiam à Deo pœnis temporalibus caſtigetur, non ſentiat, Jer. 5. verſ. 3.

Lepra-

Lepra raucedinem conciliat, & vocem impedit, ut infecti ab ea clarè loqui non poſſint: Ita peccatum impedit orationem, & licet peccatores orent, tamen non exaudiuntur, Joh. 9. v. 31.

Lepra graveolentiam ſpiritus excitat: Ita peccatum hominem fœtere facit coram Deo, Pſ. 14. v. 3.

3. *Diſtinctionem.* Lev. 13. v. 2. ſeqq. deſcribitur duplex lepra, interior in carne hominis, & exterior in domibus & veſtibus: Ita quoque duplex eſt peccatum, interius in corde & cogitationibus, & exterius in verbis & operibus. Lepra exterior in veſtibus & domibus oriebatur ex lepra interiore in carne hominis: Sic peccata actualia originem trahunt ab originali, exteriora ab interioribus, Matth. 15. v. 19.

4. *Curationem.* Lepra omnem medicinam humanam ſuperat, ità ut à nemine niſi à ſolo Deo curari poſſit: Ita peccatum à nullo homine præter ſolum Chriſtum curari poteſt, Matth. 1. v. 21. is verè languores noſtros tulit, & dolores noſtros portavit, Eſa. 53. v. 4. lavit nos à peccatis per ſanguinem ſuum, Apoc. 1. v. 5. purgatione factâ per ſemetipſum, Eb. 1. v. 3.

5. *Conatus*, quem exprimunt

1. *Chriſtum accedendo*; Procul dubio variis medicinis & ſacrificiis uſi fuerunt, ſed fruſtrà, tandem igitur ad Chriſtum properant, cui nullus morbus eſt incurabilis, Pſ. 103. v. 3. ita ſi nulla ſpes humani affulget auxilii, ad Chriſtum properare debemus. Manus ejus non ſunt abbreviatæ, ut ſalvare nequeat, Num. 11. verſ. 23. ſed novit media & vias ex tentatione ſuos eripere, 2. Pet. 2. v. 9.

2. *Miſeriam exponendo*, quod faciunt

1. *Decenter*. Non enim diſſimulant morbum ſuum, ſed ex legis præſcripto ſtant procul, & abſque dubio denudato capite immundiciem ſuam confitentur, ita nos peccata coram DEO abſcondere non debemus, ſed cum publicano è longo ſtemus & dicamus: Propitius eſto Deus miſero mihi peccatori, Luc. 18. verſ. 13. Stant etiam procul, ne aliis halitu ſuo contagioſo damnum aliquod afferant: Ita quoque in morbis contagioſis proximi habenda eſt ratio. Hoc requirit Chriſtiana charitas, 1. Corinth. 13. verſ. 5. proinde Lutherus tales homines, qui alios contagioſis morbis petulanter inficiunt, ſicarios vocat, Meuchelmörder/ & pari cum iisdem pœna dignos exiſtimat. Obſervanda igitur hic regula Chriſti Matth. 7. v. 12.

2. *Ardenter.* Proculdubio audiverant, quod primo miniſterii ſui año leproſum ſolo verbo curaverat, Matth. 8. v. 3. ac poſteà plures, Matth. 11. v. 5. ideò pro Magiſtro ſalvandi ipſum reputant, de quo Eſa. 63. v. 1. & raucam ſuam vocem, quantum poſſunt, elevant, clamantes: JESU, Magiſter bone, miſerere noſtri: ita noſtra quoque oratio cum devotione conjuncta ſit oportet, ne os loquatur, ſed mens uſuras cogitet, poſſeſſionum reditus ſupputet, ſpeciem mulierum conſideret, quæ Chryſoſtomi verba ſunt. Oratio enim ſine devotione eſt mugitus boum, inquit Baſilius, & planè fruſtranea, Matth. 15. v. 9.

3. *Confidenter.* Credunt enim à Chriſto ſibi auxilium præſtari poſſe contra ſpem naturæ in ſpem gratiæ & potentiæ ipſius, Roman. 4. verſ. 18. Non deterret eos legis rigor, quo ab aliorum conſortio ſe remotos eſſe noverant, Lev. 13. v. 46. non morbi diuturnitas, quæ curam omnem reſpuebat, non etiam propria indignitas, quod conſcientia ipſos

ipſos accuſabat, ſe hanc pœnam enormibus peccatis promeruiſſe, ſed hiſce omnibus quaſi ſepoſitis, Chriſti promptitudinem intuentur: Ita nos quoque per fidem omnes dubitationes, quæ fortè ex ſuggeſtionibus diabolicis de gratia Dei nobis ſuboriuntur, ſupprimamus & devincamus. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctibus maris, qui à vento moventur & circumferuntur. Non enim æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino, inquit Jacobus c. 1. v. 6. 7.

De Secundo.

Sequitur *Chriſti promptitudo*, quam declarat

1. *Benevolo aſpectu.* Non avertit oculos, aut nares obſtruit, cum leproſos hoſce ſibi obviantes cernit, ſed rectâ ad illos progreditur, & miſeriam eorum coràm intuetur: Ita non avertamus oculos à proximo, quando vel contagioſo morbo, vel alio aliquo malo afficitur, ut multi faciunt, vel ex ſuperbia, quâ proximum deſpiciunt, ut Phariſæus, Luc. 18. v. 11. vel ex invidia, quâ fortunam ipſius torvis oculis aſpiciunt, Matt. 20. v. 15. vel ex iracundia, ut Haman, Eſth. 5. v. 13. hæc omnia pugnant cum Chriſtiana charitate, 1. Cor. 13. v. 5. 6. Ergò ſequere admonitionem Siracidis c. 4. v. 4.

2. *Blando affatu.* Non denegat ipſis auxilium, ſed ite, inquit, & oſtendite vos Sacerdotibus. Si decem hi leproſi eodem modo fuiſſent affecti, ut Naeman Syrus, 2. Reg. 5. v. 11. 12. reſpondiſſent procul dubio: Quid nobis cum Sacerdotibus? hi ſemel nos judicarunt leproſos, hanc ſuam ſententiam non mutabunt. Hâc ratione ſanitatem nunquam conſecuti fuiſſent, ſed obediunt Chriſto, & præceptum ejus non diſputant. Eodem modo & nos agamus, non præſcribamus Deo tempus aut modum, ſed ipſius arbitrio hæc omnia committamus, qui eſt adjutor in opportunitatibus, Pſ. 9. v. 10.

Hoc obiter notandum, quod verba Chriſti non uno modo explicentur, ſed

1. *Siniſtre à Pontificiis*, qui confeſſionem ſuam auricularem & clanculariam inde aſtruere conantur. Sed fruſtrà, vide Pſal. 19. v. 13.

2. *Dextre, à noſtræ Eccleſiæ Doctoribus*, qui cum Chryſoſtomo miniſterii dignitatem hic à Chriſto indigitatam ſtatuunt. In V. T. Sacerdotibus à Deo injunctum erat, ut lepram cognoſcerent, Lev. 13. & 14. & ſi quis priſtinam ſanitatem recuperaverat, peculiarem hoſtiam tenebatur offerre, de qua certa pars etiam Sacerdotibus pro ſolario deputata erat, Exod. 29. v. 26. hanc ipſis Chriſtus non vult ſubtrahere, ſed ablegat leproſos ad Sacerdotes, ut publicam miniſterii autoritatem divinitus ordinatam approbaret & conſervaret, ipſique ex hoc miraculo cognoſcerent, quod ſit verus Meſſias, de quo talia miracula prædicta erant, Eſ. 35. v. 5. Inde elicitur, quid auditores ſuis debeant Paſtoribus, nimirum

1. *Reverentiam.* Sunt enim miniſtri Chriſti, pro quo legatione funguntur, adeoque qui ipſos audit, Chriſtum ipſum audit, Luc. 10. verſ. 16. huc pertinent dicta Scripturæ, Ebr. 13. verſ. 17. 1. Timoth. 5. verſ. 17.

2. *Beneficentiam*, ut juſta ipſis faciant ſalaria, & certo tempore exſolvant, juxta Scripturam, 1. Corinth. 9. verſ. 7. ſeqq. Gal. 6. verſ. 6.

3. *Ex optatiſſimo effectu.* Nam inter eundum purificantur. Lepra erat morbus incurabilis, ut ſupra diximus, 2. Reg. 5. v. 7. Sed Chriſto nihil eſt impoſſibile, proinde

Digitized by Google

curat hos leproſos abſque ullo medicamento, dum enim ad Sacerdotes abeunt, lepra in corpore ipſorum planè evaneſcit. Confidite ipſi, vos mei, in omnibus neceſſitatibus, nam ſuperabundanter facere poteſt, &c. Epheſ. 3. v. 20. Pſ. 135. v. 6. Judith. 9. verſ. 4.

De Tertio.

Reſtat pars tertia, *de gratitudine Samaritani*, cujus hîc deſcribitur

1. Stimulus. Nam poſtquam vidit ſe ſanatum, ad Chriſtum revertitur. Nos innumera quotidie accipimus beneficia tam ſpiritualia quàm corporalia æquum igitur eſt, ut ad Chriſtum revertamur, & illi nos ſociemus, à quo beneficia accepimus. Non hîc alios moremur, qui nos ad mundi avia vocant, Sap. 2. v. 1. ſeqq. Sed relicto impiorum conſortio Chriſtum ſequamur, & bene ponderemus, quod paralytico dictum eſt, Joh. 5. v. 14. applicetur huc exemplum Naaman, 2. Reg. 5. v. 15.

2. Modus. Declarat enim gratitudinem ſuam dupliciter:

1. Procidendo, & hoc ipſo humilitatem cordis ſui exprimit, quæ ad gratiarum actionem vel maximè requiritur. Proinde canamus cum Davide Pſ. 115. v. 1. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Et cum Daniele c. 9. v. 7. Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei. Nunquam enim ſuperbi Deo placuerunt, ſed humiles inprimis reſpicit, Judith. 9. verſ. 16.

2. Pſallendo. Nam magnâ voce Deum glorificat, & pro recuperatâ ſanitate ipſi gratias agit, quod & nos imitari debemus, ut graviter hortatus pſaltes regius Pſ. 107. v. 17. ſeqq. & Hiskias ſuo exemplo nobis prælucet, Eſa. 38. v. 19. 20. gratitudo enim Deo & hominibus accepta eſt, Sir. 38. v. 1. ſeqq.

Nos plerunque contrarium agimus, morbo preſſi querulamur, & vitæ correctionem promittimus, ſed poſteà, quando ſanitatem priſtinam recepimus, beneficii collati facilè obliviſcimur, & ad priora peccata redimus, ut meritò quis cum Moſe nobis exprobret ingratitudinem noſtram, Deut. 32. v. 6.

3. Uſus, der herrliche Nutz/ den er davon hat/ qui duplex:

1. Deprædicatio. Poſtquam enim Chriſtus unicum hunc Samaritanum redire videt, deprædicat ipſius perſeverantiam, & nonne, inquit, decem mundi facti ſunt, ubi ergò ſunt novem? non ſunt repetti qui redirent, ut darent Deo gloriam, niſi hic alienigena. Quibus verbis Chriſtus novem iſtos, qui non reverſi erant, ingratitudinis accuſat, Samaritanum verò extollit, quod reverſus Deo gloriam dederit: Ita deprædicabit aliquando noſtram perſeverantiam, & coronam vitæ nobis imponet, Apoc. 2. verſ. 10.

2. Confirmatio. Nam ſurge, inquit, & abi, fides tua te ſalvum fecit. Cæteri corporalem tantùm ſanitatem reportarunt: Sed hic Samaritanus, quia grato animo beneficium ſibi exhibitum agnoſcit, ſpiritualem etiam ſanitatem impetrat, & per fidem conſervatur ad ſalutem. Ita qui gratus eſt pro beneficiis acceptis, ad majora Deum invitat, ideò, enim nihil aliud à nobis exigit quam gratias habere pro his quæ nobis facta ſunt, ut pro illa ipſa gratiarum actione ad ampliora danda provocetur, inquit Chryſoſtomus. In omnibus igitur gratias agite, hæc eſt voluntas Dei, 1. Theſſ. 5. verſ. 18.

Pſalm.

Digitized by Google

Pſalm. 50. verſ. 14. Col. 3. verſ. 17. tunc eritis aliquando in numero Deum collaudantium & glorificantium in ſempiterna ſecula, quod concedat nobis SS. Trinitas per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, Amen.

Dominica XV. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 6. v. 24. 34.

GEn. 19. v. 26. de uxore Lothi commemoratur, quod in Sodomæ conflagratione reſpiciens contra mandatum Angeli, in ſalis ſtatuam converſa fuerit.

Hujus hiſtoriæ Chriſtus memores eſſe jubet eos, qui paulò ante mundi finem victuri ſunt, Luc. 17. v. 32. ne præpoſtero terrenorum amore ſe decipi patiantur, ſed obliviſcantur eorum quæ retrò ſunt, & ad ea, quæ priora ſunt, ſeſe extendant, Phil. 3. v. 13. ideò enim Lothi uxor facta eſt ſtatua ſalis, inquit Auguſtinus, ut te condiat, & ad ſapientiam erudiat.

Huc pertinet prælecta pericope, quâ Angelus ille magni conſilii, Chriſtus Jeſus, à ſervitio Mammonæ omnes verè Chriſtianos variis argumentis dehortatur, & regnum Dei ante omnia inquirere jubet, ſpondens fore, ut tunc reliqua omnia nobis adjiciantur.

Evangelium habet duas partes, quas breviter percurremus, ut ſunt:

I. Mammoniſmus.

II. Chriſtianiſmus. JJ.

EXEGESIS.

IN V. T. noluit Dominus unum agrum diverſo ſemine conſeri, noluit in bove & aſino ſub eodem copulatis jugo arari, noluit veſtimenta geſtari, quæ ex lino & lana contexta eſſent, Deut. 22. v. 9. 10. 11. Quid putatis, vos mei, hiſce legibus Deum intendiſſe? certè nihil aliud, quàm id, quod Chriſtus in Exordio Evangelii exſertis verbis aſſerit, quod nemo Deo ſimul & Mammonæ inſervire poſſit. Hoc qui facit, agrum animæ ſuæ diverſo ſemine, nimirum amore Dei & amore mundi ſpargit. Hoc qui facit, bove arat & aſino, id eſt, duos diverſos affectus habet, quibus ad terreſtria ſimul & cœleſtia aſpirare ſatagit. Hoc qui facit, lino ſimul & lanâ ſe veſtit, id eſt, pietatem & avaritiam in uno domicilio conſiſtere poſſe ſibi perſuadet, quod tamen fieri nunquam poteſt, ſi Chriſto, qui ipſiſſima veritas eſt, Joh. 14. v. 6. & ſapientia, Matth. 11. v. 19. credere velimus. Nam nemo, inquit ille, nemo duobus Dominis ſervire poteſt, aut enim hunc habebit odio, & alterum diliget, aut huic adhærebit, & alterum negliget. Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ.

His verbis deſcribitur *Mammoniſmus*

I. *Ratione quidditatis.* Vox Mammonis peregrina eſt, & in lingua Syriaca idem ſignificat quod divitiæ. Quando igitur Chriſtus à mammoniſmo nos dehortatur, non prohibet habere vel poſſidere divitias. Nam divitiæ bonæ ſunt, modò abſit peccatum, Sirach. 13. verſ. 30. Sed ſervire tantùm prohibet, quod omnes illi faciunt, qui cor ſuum divitiis apponunt, Pſ. 62. v. 11. & ſupra Deum & Dei mandata eaſdem extollunt, dum oculos avertunt, &

multis peccatis conſcientiam ſuam vulnerant, Sir. 27. v. 1. hoc fit tripliciter:

1. In acquiſitione, quando quis non contentus eſt illis, quæ Deus per ordinarios officii labores ipſi diſtribuit, ſed per fas & nefas diteſcere vult, etiam contra Dei voluntatem, & lucrum undecunque etiam ex malo acquirit, Sap. 15. v. 12.

2. In poſſeſſione, quando quis abutitur divitiis ad luxum & ſuperbiam, ſicut epulo Luc. 16. v. 1.

3. In diſtributione, quando tantum licentiæ ſibi non ſumit, ut de corraſis pecuniis vel ſibi, vel ſuis, vel etiam pauperibus benefaciat, hæc redditio eſt malitiæ ejus, Sir. 14. v. 6.

II. *Ratione impietatis.* Qui enim ita Mammonæ ſervit, teſte Chriſto, à Deo deficit, & turpiſſimam idololatriam committit, unde Paulus avaros expreſsè idololatras vocat, Eph. 5. v. 5. & avaritiam idololatriam, Col. 3. v. 5. quia huic vitio addicti amorem & fiduciam cordis ſoli Deo debitam transferunt ad pecunias, & dicunt obryzo, fiducia mea es, Job. 31. v. 24. quæ certè maxima impietas eſt, quâ homo Deum omnia habentem & dantem deſerit, & ex auro argentoque idolum ſibi fabricat, Oſ. 8. v. 4. quod tamen à morte neminem liberat, Ez. 7. v. 19.

III. *Ratione vanitatis.* Qui ſervit Mammonæ, de duobus potiſſimùm ſollicitus eſt.

I. *De victu*, v. 25. Hos remittit Chriſtus ad volucres cœli, ut diſcant ab illis

1. Confidentiam. Volucres cœli non ſunt ſolliciti de cibo, ſed manè, quando ſol oritur, Creatori ſuo cantilenam aliquam modulantur, poſteà evolant, & ecce, Deus unicuique ſua granula deputavit, quibus paſcantur & ſatientur: Ita nos quoque peractis illis quæ ad vocationem noſtram pertinent, incrementum Deo committamus, ipſe curam agit pro nobis, 1. Pet. 5. v. 7. & tantum dabit, quantum ad ſuſtentationem noſtram requiritur. Quis enim vidit unquam juſtũ derelictũ? Pſ. 37. v. 25. Sir. 2. v. 12. qui pullis corvorum eſcam ſuam diſtribuit, & implet omne animal benedictione, cibũ tibi, qui homo es, ad imaginẽ ipſius conditus, non denegabit, Pſ. 145. v. 15. 147. v. 9.

2. Patientiam. Volucres ſub dio vivunt, nec proprias habent domunculas quibus tegantur, nemo eſt, qui cibum illis projiciat, aut ulla præſtet ſubſidia, nihilominus fortunam ſuam patienter tolerant: Ita quilibet ſorte ſuâ contentus vivat. Licet enim pauper ſit & egenus, ab aliis tamen ſubſidia habebit, quæ ad vitæ hujus ſuſtentationem requiruntur. Proinde jacta ſuper Dominum curam tuam, ipſe providebit, Pſ. 55. verſ. 23.

3. Sufficientiam. Volucres non ſerunt neque metunt, neque congregant in horrea, ſed contenti ſunt granulis, quæ hinc inde colligunt: Sic nos quoque diſcamus modico & puſillo, quod Deus nobis diſtribuit contenti eſſe. Id melius eſt ſuper divitias impiorum, Pſ. 37. v. 16. nam quæſtus magnus eſt pietas cum animo ſuâ ſorte contento, inquit Paulus 1. Tim. 6. v. 6.

II. *De amictu,* hos remittit ad lilia campi, quæ prædicant

1. Dei ſapientiam. Nam conſiderate, inquit Chriſtus, quomodo creſcant, hoc eſt, quàm pulchrè ornata ſint variis coloribus, ut omnem Salomonis gloriam vincant: Ita pro ſua ſapientia veſtit quoque homines, hunc purpura & byſſo, ut Joſephum, Danielem, & Mardochæum, Geneſ. 41. Dan. 5. verſ. 29. Eſth. 8. verſ. 2. 15. illum melota & pellibus caprinis, Ebr. 11. v. 37. iſtum

pilis

pilis camelorum & zonâ pelliceâ, ut Johannem Baptiſtam, Matth. 3. v. 4. & Eliam, 2. Reg. 1. v. 8. quilibet veſte ſuâ contentus ſit, ut flores campi. Dedit tibi Deus hyacinthum & purpuram, noli ſuperbire, & contemnere illum qui crudo lino operitur, Sir. 40. v. 4. Sufficit ad hanc vitam aqua & panis, & veſtimentum, & domus tegens ea, quorum nos pudet, Sir. 29. v. 28.

2. Dei potentiam. Non laborant, ut viri, neque nent, ut mulieres, nihilominus veſtiuntur à Deo. Manus illa Dei hodie non abbreviata eſt, ſed ipſe dat linum & lanam, ut nuditatem noſtram operire poſſimus, Oſ. 2. v. 9.

Quis veſtivit Protoplaſtos, cum nullus adhuc ſartor in mundo eſſet? Geneſ. 3. v. 21. quis veſtimenta Iſraelitarum in deſerto conſervavit, ut neque vetuſtate deficerent, neque uſu quotidiano attererentur, Deut. 8. v. 4. Quis cuſtodivit Sadrach, Meſach & Abednego, qui cum braccis, tiaris & calceamentis, & veſtibus in fornacem ardentem projiciebantur, ut inviolati egreſſi ſint, Dan. 3. v. 21. 27. Deus ille vivit adhuc, & ſuos veſtire poteſt, etiamſi neque nent, neq; laborant, quod ſæpe facit, dum huic vel illi benefactorem excitat, qui veſtimenta ipſi præter omnem animi expectationem conficit, ut Joſephi exemplum teſtatur, Gen. 41. verſ. 42.

3. Dei munificentiam. Quid ſunt lilia, quid ſunt flores alii? Certè nil niſi gramen, quod hodiè eſt, & cras in clibanum mittitur. Nihilominus tam munificus & liberalis eſt Deus, ut unicuique tunicam ſuam induat. Quod ſericum, quæ Regum purpura floribus comparari poteſt? quid rubet ut roſa? quid candet ut lilium? Si ergò Deus flores ita veſtit & exornat, quàm magis hominibus illud præſtabit, quos ad imaginem ſuam condidit, & per filium pretiosè redemit?

Quoties igitur lilia & flores contemplaris in horto tuo, divinam liberalitatem deprædica, quam omnibus creaturis animatis & inanimatis quotidie commendat, nec dubita, quin Dominus ille, qui flores & herbas quotannis producit & veſtit, tibi etiam vitæ hujus neceſſitatem elargiturus ſit, nam paſcit omne animal, & implet benedictione, Pſ. 145. v. 15. 16.

Videte Dilecti, quàm nervosè Chriſtus à ſollicitudine victus & amictus nos dehortetur. Non prohibet curam officioſæ ſedulitatis, quæ ab omnibus hominibus in choro, toro & foro requiritur, Rom. 12. v. 8. 1. Tim. 5. v. 8. ad laborem enim conditi ſumus, Job. 5. v. 7. Gen. 3. v. 19. quem qui negligit, non manducabit, 2. Theſſ. 3. v. 10. Non prohibet etiam curam affectandæ pietatis, quâ quis de ſalute ſuâ ſollicitus eſt, ſicut David dolet de peccatis ſuis, Pſ. 38. per tot. & Chriſtus jubet nos theſaurizare theſauros in cœlo permanſuros, Matth. 6. v. 20. Sed curam damnoſæ incredulitatis, quæ cum diffidentia conjuncta eſt. Hæc eſt cura quam Chriſtus improbat, quia

1. Fruſtanea. Quis enim veſtrûm, inquit Chriſtus, ad ſtaturam ſuam cubitum unum poteſt adjicere cogitando? Deus eſt qui homines efformat ſecundùm ſapientiam ſuam, Sirac. 33. verſ. 11. alios formoſos, alios deformes, exemplo Rahel & Leæ, Geneſ. 29. verſ. 17. alios ſtaturæ proceræ & robuſtæ veluti gigantes Num. 13. verſ. 34. alios humilis & depreſſæ, ut Zachæum, Luc. 19. verſ. 3. Hac corporis efformatione quilibet acquieſcere debet, neque enim lutum dicit figulo, cur me ſic feciſti?

Digitized by Google

Rom. 9. v. 20. & ſi vel maximè Zachæolus aliquis in angulo ſederet, miris ſe modis excrucians, quomodo vel unum digitulum ſtaturæ ſuæ adjicere poſſet, nihil tamen efficiet: Ita curæ hominum ſunt inanes. Deus enim cuique diſtribuit ſua dona, & talentum dedit, quo negotietur, Matth. 25. v. 15. Ultra hoc ſi plura deſiderat, non contentus his, quæ per ordinarios officii labores Deus ipſi conceſſit, amittet etiam id quod habet, Jac. 4. v. 2.

2. *Supervacanea.* Nam Deus Pater novit, quibus indigeamus. Si igitur ſcit, quia omniſcius eſt, & vult, quia Pater eſt, & poteſt, quia omnipotens eſt, cur anxiâ ſollicitudine corda noſtra gravabimus; An non ſatis eſt, quod Deus Pater curam gerit pro nobis? Filii & ſervi nil curant, ſed faciunt, quæ ſua ſunt, cætera parentibus Dominisque committentes: Nos ſumus filii & ſervi magni Jehovæ, quin igitur curam ſuſtentationis noſtræ ipſi relinquimus? Si enim nos qui mali ſumus, filiis noſtris bona damus, quantò magis Pater cœleſtis dabit, quæ petierimus? Luc. 11. verſ. 13.

3. *Ethnica.* Hæc omnia gentes inquirunt, inquit Chriſtus. Ex Chriſtianis igitur Pagani fiunt, quicunq; divitiis nimium inhiant. Sicut enim gentiles, quia ſpem non habent vitæ alterius, de bonis in hoc ſeculo cumulandis tantùm cogitant, & ſi quid acquiſiverunt, non benedictioni divinæ, ſed ſuæ induſtriæ & prudentiæ acceptum ferunt: Idem faciunt avari, proinde fœdus, quod in baptiſmo cum Deo inierunt, abnegant, & à Deo turpiter deficiunt. Ita nimirum fœnus pecuniæ fit funus animæ, juxta Leonem, & dum lucrum faciunt in arca, damnum reportant in conſcientia, ſicut Auguſtinus loquitur. Vide etiam 1. Tim. 6. v. 9.

De Secundo.

FUit Mammoniſmus, ſequitur *Chriſtianiſmus*, qui deſcribitur 1. *κατὰ θέσιν*, *ubi facienda*, & 2. *κατ' ἄρσιν*, *ubi fugienda* conſideranda veniunt

Facienda quod attinet, complectitur illa Chriſtus brevi aphoriſmo, qui duobus membris abſolvitur, ut ſunt:

I. *Præceptum.* Nam quærite, inquit, quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus.

Duo jubemur quærere. Primò *regnum Dei.* Per regnum Dei intelligitur hoc loco regnum gratiæ & regnum gloriæ. Regnum gratiæ in eo conſiſtit, quod Chriſtus nos vocat ad communionem Eccleſiæ ſuæ, regit nos Spiritu ſuo Sancto, accendit in cordibus noſtris veram Dei agnitionem, confert nobis bona cœleſtia, remiſſionem peccatorum, gratiam Dei, inhabitationem Spiritus Sancti &c. Regnum gloriæ verò eſt promiſſa vitæ æternæ poſſeſſio. Hoc Regnum Dei dicit Chriſtus primùm omnium eſſe quærendum, hoc eſt, de eo ante omnia debemus eſſe ſolliciti, quomodo in hac vita poſſimus Deo reconciliari, & tandem ad Eccleſiam triumphantem in cœlis pervenire, ut ſimus filii Dei, & hæredes vitæ æternæ. Ibi demum erit noſtrum *πολίτευμα*, Philipp. 3. verſ. 20. quando Chriſtus regnum tradet Patri, & pedibus ſuis omnes inimicos ſuos ſubjiciet, ipſe verò erit omnia in omnibus, 1. Cor. 15. verſ. 28. Secundò *juſtitiam Dei* per quam non intelligitur juſtitia ea, quâ Deus in ſe ſuaque eſſentia juſtus eſt, hanc nemini communicat, Eſa. 42. verſ. 8. Sed ut Paulus explicat, Rom. 3. verſ. 22. juſtitiam per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper

ſuper omnes qui credunt in eum. Vocatur hæc juſtitia Dei, Rom. 10. verſ. 3. quia eſt ex Deo, Philipp. 3. v. 9. hoc eſt, à Deo donatur & imputatur credentibus in Chriſtum, Rom. 4. v. 5. Ex illa fidei juſtitia oritur juſtitia operum, quia fides ſi vera ſit, ac viva, efficax eſt per charitatem, Gal. 5. v. 6. & facit, ut omnes illi, qui Chriſto adhærent per fidem, crucifigant carnem cum ſuis affectibus & concupiſcentiis, Gal. 5. verſ. 24. & in hoc ſeculo, ſobriè, juſtè & piè vivant, Tit. 2. verſ. 12. Tandem ſequetur juſtitia, conſummata in vita æterna, ubi Deum agnoſcemus, & diligemus perfectè abſque ulla peccati labe, 2. Petr. 3. verſ. 13.

Vultis igitur conſequi regnum Dei, juſtitiam etiam Dei quæratis oportet, quæ unicum medium eſt, per quod regni Dei conſortes reddi poſſumus, hoc fit

1. *Verbum diligenter audiendo.* Ex auditu enim fides, Rom. 10. v. 17. ex fide juſtitia, Rom. 5. v. 1. ex juſtitia regnum Dei, Roman. 14. v. 17. qui verò boves, agros, uxorem, hoc eſt, terrena præferunt vocationi ad ſpiritualem cœnam verbi & Sacramentorum, cœleſtem etiam cœnam non guſtabunt, Luc. 14. v. 18. 19. 20.

2. *Terrena deſpiciendo*, Col. 3. verſ. 1. 2. Ubi enim theſaurus noſter, ibi Cor, Matth. 6. verſ. 21.

3. *Voluntatem Dei faciendo*, Matth. 7. v. 21. Hæc autem eſt voluntas Dei, ut (1) pœnitentiam agamus, Ezech. 18. v. 23. 33. v. 11. (2) ut in Chriſtum credamus, Joh. 6. v. 40. (3) ut fidem operibus bonis demonſtremus, 1. Theſſ. 4. v. 3. 1. Joh. 4. 21.

II. *Promiſſum*, quod his verbis continetur: Et hæc omnia adjicientur vobis. Omnia videlicet, quæ ad victum & amictum, adeoque ad vitæ hujus ſuſtentationem pertinent. Hæc omnia Deus adjicere vult, quaſi προσθήκην, ut græca vox innuit, als eine Zugab / ſi modò regnum & juſtitiam ejus ante omnia quæramus & indagemus. Æquipollentes promiſſiones vide Lev. 26. v. 3. ſeqq. Deut. 28. v. 1. ſeqq. Eſa. 1. v. 19. 1. Tim. 4. 8.

Licet enim pii in hac vita tantos theſauros plerunque non habent, quantos Mammonæ ſervi poſſident, tamen ſorte ſuâ contenti vivunt, & pacatâ gaudent conſcientiâ, quæ magna pars eſt felicitatis terrenæ in hac vita. Non enim de eo quiſquam vivit, quod bona multa poſſidet, inquit Chriſtus Luc. 12. v. 15. melior eſt buccella ſicca cum pace, quàm domus plena victimis cum jurgio, inquit Salomo, Prov. 17. v. 1.

Hæc facienda ſunt. Videbimus etiam *fugienda*, quæ v. 34. Chriſtus admonitioni ſuæ breviter ſubjungit, ut ſunt

1. *Angor animi*, quando variis cogitationibus & curis aliquis ſe macerat de futuro laborum ſuorum eventu, & Deo diffidit nō expectans in debita patientia benedictionem ſibi & omnibus in pietate perſeverantibus promiſſam. Hæc Cura & ſollicitudo magna animi carnificina eſt. Nam mens occupata terrenis curis, ſemper eſt in anguſtiis, inquit Bernhardus, & quia caput melancholicum ſolet eſſe Diabolorum balneū, teſtatur ſæpe experientia, quid ſollicitudo iſta operetur, nimirum mortem & æternam perditionem. Ergò triſtitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipſum in conſilio tuo, &c. Sir. 30. v. 22. 23. ſeqq.

2. *Cura craſtini.* Nam ſolum præſens in manu noſtra poſitum eſt, non præteritum neque futurum. Illud abiit, hoc an eventurum ſit, incertum eſt. Iſraelitis mandatum

tum erat à Deo, ut manna colligentes tantum colligerent, quantum ſingulis diebus ad alimentum ipſis ſufficiebat. Qui autem de craſtino ſolliciti plus colligebant, nihil proficiebant, computruit enim & vermibus ſcatere cœpit, Exod. 16. v. 16. ſeqq. Ita laboribus vocationis ſuæ quilibet fideliter incumbat, Deus non denegabit incrementum, ſed tantum largietur, ut ſingulis diebus alimentum ipſi ſuppetat. In præſenti igitur cura quæ tua ſunt, & reliqua omnia Deo committe. Qui hodie procuravit, procurabit etiam cras. Nam Jeſus Chriſtus heri & hodie, idem & in ſecula, Ebr. 13. v. 8. unde in oratione Dominica non abundantiam divitiarum, quæ in multos annos ſufficiant, ſed panem quotidianum nos petere jubet, Matth. 6. v. 11.

Orate igitur cum Salomone Prov. 30. v. 8. 9. paupertatem & divitias ne dederis mihi, ſed tribue tantùm victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus, furer, & peccem in nomen Dei mei. Hæc operetur in nobis Chriſtus Jeſus, Amen.

Dominica XVI. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 7. v. 11. 16.

MAgnum miraculum eſt, quod Elias Propheta perpetravit in Sarepta Oppido, dum filium unicum hoſpitæ ſuæ, quæ vidua erat, precibus ſuis à morte ad vitam revocavit. Cujus miraculi fama per omnes mox Sidoniorum fines divagata incolas procul dubio in admirationem & ſtuporem rapuit, 1. Regum 17. v. 17. ſeqq.

Sed longè majus tamen & illuſtrius eſt, quod cœleſtis Elias Chriſtus Jeſus in oppido Nain haud procul à Capernaum ſito perpetravit, ubi viduæ alicujus filium unicum defunctum, & funerali proceſſu jam ad ſepulchrum elatum, verbo omnipotente & vivifico à mortuis ſuſcitavit, ſuſcitatumque matri ſuæ reddidit, ad quod miraculum tota Galilæa cum circum jacentibus regionibus obſtupuit.

Nos abſque ulteriori verborum circuitione miraculum ipſum contemplabimur:

I. Pompam funeris lacrymabilem.

II. Adventum Chriſti exoptabilem.

III. Applauſum populi memorabilem. J. J.

EXEGESIS.

IN fimbriis ſuperhumeralis, quo Pontifex induebatur, dependebant tintinnabula auri, ut quando Pontifex ingrederetur in ſanctuarium, vel ex eo egrederetur, audiretur ſonus ejus, nec moreretur, Exod. 28. v. 33. ſeqq.

Omnes verè pii ſunt ſpirituales coram Deo Sacerdotes, Apoc. 1. v. 6. regale ſacerdotium, 1. Pet. 2. v. 9. quamdiu igitur ingrediuntur & egrediuntur coram Domino, hoc eſt, toto vitæ ſuæ tempore, in ora veſtimenti ſui geſtare debent tintinnabula benè ſonantia, ut de fine vitæ admoneantur, & perpetuò ſonet in auribus & cordibus ipſorum illud Siracidis c. 7. v. 40.

Quicquid agis prudenter agas & reſpice finem.

Quia

Quia verò aures noſtræ ad ſonum illorum tintinnabulorum ferè obſurdeſcunt, & plerique in quotidiana conſideratione mortalitatis ſuæ non multum diligentiæ impendunt, ideò Deus certis funiculis tintinnabula illa impellit, & exempla mortalitatis quotidie nobis ob oculos ponit in aliis, qui nobiſcum heri comederunt & biberunt, hodie verò ad ſepulturam efferuntur, & ex ſepulchro quaſi nobis tacitè occinunt: Hodie mihi, cras tibi, Sir. 10. v. 12.

Tale exemplum proponitur nobis in hodierno Evangelio, ubi pompa funeris Chriſto obviaſſe dicitur, quam lacrymabilem reddit

Notabilis locus. Nam Civitas erat amœniſſima ſita in convallibus Hermon & Thabor, quibus David valde delectatus eſt, Pſ. 42. v. 7. nihilominus mors etiam ibi graſſatur. Videtis ergò vos mei, nullum locum tam pulchrum & firmum eſſe in hoc mundo, ut mors eò non penetret, eſt enim via univerſæ carnis, Joſ. 23. v. 14. & æquo pulſat pede pauperum tabernas regumque turres, imò per feneſtras aſcendit, & ingreditur domus impiorum, Jer. 9. v. 21.

Huc pertinet vocula ecce, quâ attentionem noſtram acuere voluit Evangeliſta, ut mortalitatem noſtram quotidie conſideremus. Nihil enim ſic revocat à peccato, quàm frequens mortis meditatio, inquit Auguſtinus. Inducit illa ad rerum mundanarum contemtum, Geneſ. 25. verſ. 32. & præſentiſſimum remedium eſt ſuperbiæ, Sirac. 10. v. 9. ſeqq. & avaritiæ, 1. Tim. 6. v. 7. & luxuriæ, Luc. 21. v. 34. & invidiæ, Job. 14. v. 21.

2. *Adoleſcens defunctus*, qui deſcribitur à relato, quod fuerit filius unicus matris ſuæ. Unde apparet, quod mors non attendat vel juventutis florem, vel parentum amorem, ſed abſque ullo diſcrimine juvenes & ſenes falce ſuâ demetat. Hoc antiquum teſtamentum eſt, Sirac. 14. v. 12. 18. moritur ſimul parvus & magnus, Job. 3. v. 19. dives & pauper, Pſalm. 49. v. 3. ſtultus & ſapiens, ibid. v. 11. doctus & indoctus, Eccl. 2. v. 16. Rex & Grex, Pſ. 49. v. 3.

Hoc probè notent juvenes & virgines, ne in pulchritudine & juventute ſua nimium confidant, nam omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus ſicut flos graminis, Eſa. 40. v. 6. quod manè viret, & veſperi marceſcit, Pſ. 90. v. 6. memento igitur Creatoris tui in juventute tua, priuſquam venient dies mali, & anni appropinquabunt, de quibus dixeris: non placent mihi, Eccl. 12. v. 1.

3. *Viduæ planctus.* Vidua miſeriarum omnium commune quaſi receptaculum eſt, hinc Scriptura in uſu habet, quando afflictiſſimum Eccleſiæ ſtatum deſcribere inſtituit, ut viduæ eandem conferat, Eſa. 54. v. 11. Thren. 1. v. 1. & 5. v. 3. & David, Pſ. 109. v. 9. mala plurima hoſtibus imprecatus ſubjungit: fiant filii ejus orphani & uxor ejus vidua. Vir enim caput eſt mulieris, Epheſ. 5. verſ. 23 qui quando moritur, caput moritur, & vidua jacet inſtar amputati trunci, à quo ligna quilibet colligere geſtit, & incurva te, inquit, ut tranſeam, Eſ. 51. verſ. 23. patientiâ igitur hîc opus eſt, ut in Deo ſperent, & cum Hanna in precibus & jejuniis perſeverent, Luc. 2. verſ. 37. non laſcivientes, otioſæ, garrulæ, &c. tales enim viventes mortuæ ſunt, 1. Timoth. 5. v. 5. 6. tunc habebunt Deum alimentorem, Deut. 24. verſ. 19. liberatorem, Pſ. 68. v. 6. & 146. v. 9. vindicatorem, Exod. 22. v. 22. ſeqq.

4. *Lugentium Comitatus.* Nam multa Civitatis turba erat cum eâ, inquit Evangeliſta.

Digitized by Google

Laudabile hoc exemplum eſt, quo docemur, quomodo funera defunctorum curanda ſint. Licet enim in caſu neceſſitatis ſub bello & perſecutione facilis ſit jactura ſepulchri, tamen monemur in ſcripturis, ut ſi fieri poſſit, defunctos noſtros honeſtè ſepeliamus, Sir. 38. v. 16. fuerunt enim dum vixêre templa Spir. S. 1. Cor. 3. verſic. 17. participarunt corpus & ſanguinem Chriſti, 1. Cor. 10. v. 16. membra illorum fuerunt arma juſtitiæ, Rom. 6. v. 13. per quæ Deum in corporibus ſuis glorificarunt, 1. Cor. 6. verſ. 20. & tandem in extremo die glorioſo corpori Chriſti *σύμμορφα* erunt, Phil. 3. v. 21. æquum igitur eſt, ut decenter ſepeliantur. Hoc Deo gratum eſt, qui honeſtam ſepulturam premii loco promiſit, Gen. 15. v. 15. 2. Reg. 22. v. 20. & econtra inſtar maximæ pœnæ reputat ſepulturæ defectum, Jer. 22. v. 19. 1. Reg. 22. v. 37. 38. 2. Reg. 9. v. 37.

Ad hanc ſepulturæ honeſtatem pertinet etiam comitatus frequentia, ut funera in ſpectabili pompa deducantur. Exempla vide Gen. 50. verſ. 7. 2. Sam. 3. v. 31. Johan. 11. v. 19. Hoc requirit 1. mandati autoritas, Rom. 12. v. 15. 2. Chriſtiana charitas, 1. Corinth. 13. verſ. 8. 3. Conſequens utilitas, Eccl. 7. v. 3. ſeqq.

De Secundo.

SEquitur pars altera, quâ *adventus Chriſti* deſcribitur, circa quem tria potiſſimùm conſideranda veniunt:

1. *Commiſeratio.* In Græco eſt *ἐσπλαγχνίσθη*, quod intimis miſericordiæ viſceribus ad conſpectum viduæ hujus commotum eſſe indicat. Ne putes igitur Chriſtum ignorare dolores & agones tuos. Videt inviſſibilis, nec videt tantùm, ſed miſeretur etiam, Pſalm. 103. v. 13. Eſa. 49. v. 15. Jer. 31. v. 20. non enim talem habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, ſed tentatum per omnia, ſicut nos, tamen abſque peccato. Accedamus ergò cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & auxilium inveniamus in tempore opportuno. Ebr. 4. v. 15. 16.

2. *Conſolatio*, quia viduam erigit, & dicit: noli flere: Lugendi utiq; ſunt mortui, ſed piè, & moderatè; Sirac. 38. v. 17. ſeqq. non quemadmodum Ethnici ſolent, qui ſpem non habent, 1. Theſſ. 4. v. 13 nam ſpiritus triſtis exſiccat oſſa, Proverb. 17. verſ. 22. & ſumma plaga eſt mœror animi, Sirac. 25. v. 18. adde Proverb. 25. v. 20. Sirac. 38. verſ. 19. ſemper igitur vox illa Chriſti perſonet in auribus noſtris. Quando in cruce verſaris, noli flere, Chriſtus tecum eſt, Pſal. 91. v. 15. moriuntur tibi liberi, parentes, uxor, &c. noli flere, juſtorum animæ ſunt in manu DEI, nec cruciatus illos attingit amplius, Sapient. 3. v. 1. In agone conſtitutus es ipſe: noli flere, tempus beatæ emigrationis imminet, jamjam anima deportabitur ab Angelis in ſinum Abrahæ, Luc. 16. verſ. 22. ubi mœror omnis in gaudium vertetur, Joh. 16. v. 20. & Chriſtus ipſe lacrymas tibi abſterget, Apoc. 7. v. 17.

3. *Reſuſcitatio*, cujus hîc deſcribitur

1. *Modus*, qui conſiſtit

1. *In tactu.* Nam acceſſit, inquit Evangeliſta, & locum tetigit. Hoc ideò fecit, ut omnes corporis ſui partes ſanctas & vivificas eſſe oſtenderet, quoniam enim caro ejus facta eſt propria verbi omnia vivificantis propterea vivificata eſt ipſa, tollitq; mortem & corruptionem, inquit Theophylactus. Eâdem vi tanget olim loculos noſtros in extremo die, & prodibim' vivi, Ezech. 37. v. 12.

2. *In*

Digitized by Google

2. *In affatu.* Nam adoleſcens, ait, dico tibi, ſurge. Quibus verbis demonſtrat ſe eſſe reſurrectionem & vitam, Johan.11.v.25. & claves habere mortis & inferni, Apoc.1. verſ.18. unde Auguſtinus, nemo inquit, tam facilè excitat è lecto, quàm Chriſtus è ſepulchro. Nam mors coram ipſo ſomnus eſt, Matth.9. verſ. 24. ita in noviſſimo die extollet vocem ſuam & dicet: ſurgite mortui, venite ad judicium, ſtatim omnes qui in monumentis ſunt, reſurgent, Joh.5.v.28.29. Dan.12. v. 2.

Negent Epicuræi, Sap.2.v.2. rideant Philoſophi, Actor.17. v.32. impugnent Sadducæi, Actor.4.v.2. nobis fides hæc indubitata eſt, utpote quæ duabus columnis firmiſſimis innititur, potentia ſcilicet Dei, & verbo in Scripturis manifeſtato, Matth.22.v.29. Potentia Dei infinita eſt, quæ vocat ea quæ non ſunt ut ſint, Rom.4. v.17. ex nihilo hominem creavit, quidni ex mortuis reſuſcitaret? facilius enim eſt reparare quàm creare, inquit Auguſtinus. Coram Deo nihil impoſſibile, Luc.1.v.37. Verbum ejus certò certius eſt, 1.Reg.8.v.56. atqui dixit Eſa.26. v.19. dixit Joh.5.v.28.29. dixit Joh.11. v. 25. dixit Joh.6.v.54. Ergò nullum ex his verbis Chriſti in terram cadet, cœlum & terra præteribit, ſed verbum ejus non præteribit, Luc.21.v.33. Hoc fundamento inniχi cum Jobo dicere poſſumus: Scio quod Redemptor meus vivit, &c. Job.19. v.25.

2. *Effectus*, qui triplex, nam mortuus

1. *Seſe erigit*: Ita in noviſſimo die erigent ſe mortui, & de ſepulchris incorruptibiliter prodibunt, cujus rei typum habemus egregium, Ezech.37. per tot.

2. *Loqui incipit*: Ita nos coram throno Dei magnalia divina celebrabimus in ſeculum, Apoc.4. v.11.

3. *Matrem reficit.* Chriſtus enim reſuſcitatum adoleſcentem matri ſuæ reſtituit, inquit Evangeliſta: Ita quoque in die judicii fiet ἀποκατάςασις πάντων, Actorum.3. verſ.21. tunc cum fratre ſoror, nati cum patribus ibunt. Neque enim mors ſeparabit nos à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Roman.8. v.38. 39. Hoc ſolatio utitur David, 2.Sam.12. v.23. & Maccabæa, 2.Macc.7.v.22.23.

De Tertio.

RESTAT *populi applauſus*, qui valde memorabilis eſt:

1. *Ratione ſtuporis.* Nam accepit omnes timor, inquit Evangeliſta. Hoc ipſo docet nos plebecula, quod ſigna & miracula videntes non ſusque deque illa habere, ſed cordi imprimere, & pœnitentiam ex illis meditari debeamus. Qui enim hîc non ſtupet, quando Deus miracula facit in cœlo & in terra, ut iram ſuam nobis oſtendat, ſtupebit olim cum hoſpite illo, qui veſte nuptiali non erat indutus, & in exteriores tenebras conjicietur, Matth.22. v.13.

2. *Ratione tenoris.* Nam glorificabant Deum dicentes: Propheta magnus ſurrexit inter nos, & Deus viſitavit populum ſuum. Quibus verbis depredicant beneficia ſibi exhibita, quod nimirum Deus gratioſa viſitatione populum ſuum dignatus, Prophetam illum magnum excitaverit, de quo Moſes Deut.18. v. 15.

Erat tum temporis ſtatus Judæorum miſerrimus. Nam ſceptrum amiſerant, & à tempore Malachiæ Prophetam nullum habuerant, ſed in cathedra Moſis ſedebant falſi Doctores, qui reſcindebant verbum Dei per traditiones ſuas, Marc.7. v.13. & populus erat ſicut oves nō habentes paſto-

rem, Marc. 6. v. 34. proinde gaudent hîc, tempus adeſſe, quo Deus populum ſuum viſitare, & Prophetam tam diu deſideratum excitare dignatus ſit.

Imitemur hæc veſtigia, dilecti fratres. Deus etiam nos viſitavit mittendo Filium, & adhuc viſitat ſuâ bonitate quotidie, dum non ſolùm annum coronat bonitate ſuâ, Pſ. 65. v. 12. Sed etiam Eccleſiæ dat Apoſtolos, Prophetas, Paſtores & Doctores, Eph. 4. v. 11. agnoſcamus igitur hoc beneficium, & Deum nos viſitantem corde fideli excipiamus. Stat adhuc ad oſtium & pulſat, ſi quis audierit vocem ejus & aperuerit januam, intrabit & coenabit cum illo, Apoc. 3. v. 20.

3. *Ratione rumoris*, qui exiit in omnem Judæam, & univerſam finitimam regionem. Hic enim eſt uſus miraculorum Chriſti, ut non tantùm proſint illis, in quibus perpetrata ſunt, ſed ut fructus eorũ ad alios etiam redundet, & omnes homines certitudinem doctrinæ Chriſtianæ inde perſpiciant, cujus caput eſt, quod Chriſtus ſit verus Meſſias & Dei Filius, qui in plenitudine temporis carnem humanam aſſumere & talia miracula edere debebat, juxta vaticinium Eſa. 35. verſ. 5. confer Matth. 11. v. 5.

Diſcimus hinc, quando Deus nobis aliquod inſigne beneficium exhibet, quod illud non celare, ſed grato animo dilatare & concelebrare debeamus, ut & alii audiant, & ad gratiarum actionem inſtigentur, quò pertinet admonitio Raphaëlis, Tob. 12. v. 7.

Dominica XVII. poſt Trinitatis.

Evangelium Luc. 14. v. 1. 11.

CUm Aaron baculum ſuum projiceret ex Dei mandato, in ſerpentem converſus eſt. Magi fecerunt idem, ſed ſerpens Aaronis devorabat ſerpentes eorum, Exod. 7. v. 10. ſeqq.

Chriſtus ex mandato Patris in hunc mundum venit, ut voluntatem Patris nobis patefaceret, & miraculis etiam doctrinam illam confirmaret. Sed Phariſæi invidebant ipſi hunc honorem, & baculos projiciebant, id eſt, non aperto marte, ſed per inſidias & cuniculos ipſum aggrediebantur, ſpe fore, ut baculi ſerpentes fiant, & famam ipſius læderent, quam ſibi apud omnes bonos conciliaverat: ſed baculus Chriſti devoravit baculos eorum, ita non eſt prudentia, non eſt ſapientia, non eſt conſilium contra Dominum, Proverb. 21. v. 30.

Exemplum habemus in hodierno Evangelio, ubi Phariſæi ex compoſito conſtituerant quendam hydropicum, experturi ſcilicet, an Chriſtus eum ſanare velit, dilemmate hoc inter ſe fabricato, ut ſi ſanare eum recuſaret, immiſericordiæ vel impotentiæ calumniam ipſi affricarent, ſi verò ſanaret, ut ſabbathi violatorem accuſarent. Sed Chriſtus retia ſibi poſita in adverſariorum collum retorquet, & ita defendit curationem hydropici, ut non inveniant, quod reſpondere poſſint. Videbimus

I. Convivium.

II. Mira-

Digitized by Google

II. *Miraculum.*

III. *Colloquium.*

J. J.

EXEGESIS.

ABſolon Davidis filius, quò injuriam ab Ammone fratre ſuo tum ſibi, tum ſorori inprimis illatam ulciſceretur, epulum ſolenne inſtituit, & Ammonem invitavit, ſed ſub ſpecie amoris merum odii & invidiæ venenum ſubdolè occultavit, ut quidem exitus docuit, 2. Sam. 13. v. 27. ſeqq. Tale convivium nobis etiam in prælecta pericope deſcribitur, ubi conſiderandus occurrit

I. *Hoſpes activus*, qui convivium inſtruxit. Deſcribitur ille

1. *Ratione profeſſionis*, quod fuerit unus ex primoribus Phariſæorum. Phariſæus idem eſt quod diviſus vel ſeparatus, quia ſectæ iſtius homines affectata ſanctimonia ſe quaſi ab aliis ſeparabant, & juſtitiæ palmam omnibus aliis præripere volebant, ut patet exemplo Luc. 18. v. 11. ſeqq. deſcripto. Hic die Sabbathi peractis ſacris convivium inſtituit, ut Judæis familiare erat, ſicut videre eſt Nehem. 8. v. 10. & Tob. 2. v. 2. & Chriſtum inter alios etiam invitat, quod planè non culpandum eſt. Convivia enim honeſta inſtituere non eſt prohibitum, modo peragantur omnia in timore Domini, Tob. 9. v. 12. & modus ſervetur in cibo & potu. Sicut hîc ad frangendum panem Chriſtus invitatus eſſe dicitur, & Ahaſverus Rex in ſuo Convivio neminem ad bibendum coëgit, Eſther. 1. verſ. 8.

Hæc convivia habent ſuum uſum, qui triplex:

1. *Honeſta recreatio*, Eccleſ. 2. v. 24.

2. *Amicitiæ plantatio.* Hinc pro ſingulari benedictione Dei æſtimatur, quando vocat amicus amicum ſubter vineam & ficum ſuum, Zach. 3. v. 10.

3. *Impiorum lucratio*, quo fine Chriſtus ad publicanos & peccatores divertit, Matth. 9. v. 10. Luc. 19. v. 7.

2. *ratione intentionis*, quæ bona non eſt. Nam animo obſervandi Chriſtum invitat, ut in convivio, ubi omnia ſolent & dici & agi liberius, aliquid accipere poſſit, quod calumniando depravet, & vel vitæ vel exiſtimationi ejus inſidias ſtruat.

Obſervatores ejuſmodi hodie multos invenias, qui ſub ſpecie ſingularis amicitiæ aliorum dicta & facta expiſcantur, ut calumniandi & condemnandi occaſionem inveniant. De hoc filiorum ſeculi ingenio graviter conqueritur David Pſal. 55. v. 22. exempla vide 1. Sam. 19. verſ. 10. 2. Sam. 13. v. 27. 1. Macc. 16. v. 15. 16.

Fugiamus nos vitium hoc diabolicum. Nam in Chriſto Jeſu veritas, Eph. 4. verſ. 21. contrà viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, Pſ. 55. v. 24. Væ enim qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum & inebrians, ut aſpiciat nuditatem ſuam, Hab. 2. v. 15.

II. *Hoſpes paſſivus*, qui Chriſtus eſt. Hic quamvis conſilia Phariſæorum non ignorat, ſciebat enim quid eſſet in homine, nec opus habebat ut quis teſtimonium perhiberet de homine, Johan. 2. v. 25. non tamen renuit venire, ſed prompto accedit animo, nimirum voluit hâc ratione occaſionem quærere converſandi cum Phariſæis, eoſque lucrifaciendi, ut tanquam Evangelicus Paſtor ubique rete ſuum panderet, cujus proprietas eſt, relinquere 99. oves in deſerto, & vel unicam aberrantem & ægrotantem reducere, Luc. 15. v. 4.

Videmus hic quatenus cum hæreticis & impiis aliis converſari liceat. Certè Paulus talem converſationem improbare videtur, 1. Cor. 5. v. 12. 2. Theſſ. 3. v. 14. itemque Joh. 2. Epiſt. v. 10. nec ſine fundamento. Cum ſancto enim ſanctus eris, & cum perverſo perverteris, inquit David Pſal. 18. v. 26. 27. & Sirach. c. 13. v. 1. qui tangit picem, inquinabitur. Sed tamen ſciendum eſt, quod Chriſtianus quilibet duplicem quaſi vitam agat. Unam Eccleſiaſticam juxta Chriſtianiſmum in doctrina, fide, uſu ſacramentorum, &c. alteram Politicam in quotidiana converſatione cum hominibus, quoad cibum, potum, emtiones, venditiones & alios contractus.

Quod priorem vitam attinet, non debet homo pius & orthodoxus cum impio & idololatra communicare, juxta admonitiones Pauli ſupra citatas, ne ob buccellam panis, ob potiunculam vini, aut ſpecioſi alicujus lucelli veritatem reticere, & adverſariis pulvinaria ſupponere videatur, Ezech. 13. v. 18. Sic Chriſtus cum Phariſæis quidem converſatus, non tamen ipſis adulatus eſt, ut patet, Matth. 12. v. 38. 23. v. 24. 33. ſeqq. Interim ratione ſocietatis externæ cum impiis & à vera religione alienis converſari poſſimus, aliàs è mundo nobis foret exeundum, 1. Cor. 5. verſ. 10.

De Secundo.

Fuit Convivium, ſequitur *miraculum*, ubi conſiderandus eſt

I. *Hydropicus*, qui imaginem peccati & concupiſcentiarum carnalium nobis ob oculos ponit.

Hydrops lethalis ille morbus ex eo oritur, quod per nimiam aquæ ingluviem epar debilitatur, ſanguis corrumpitur, & homo tandem ſuffocatur: Ita peccatum eſt ſpiritualis illa hydropiſis, in qua omnes concepti & nati ſumus, Pſal. 51. v. 7. quam omnes velut aquam imbibimus in utero, Job. 15. verſ. 16. quam intus & in cute noſtra circumferimus, ut nil quicquam boni in carne noſtra habitet, Romanor. 7. v. 18.

Hydrops continuam ſitim conjunctam habet, quam infecti hoc morbo reſtinguere non poſſunt, ſed quò magis bibunt, eò magis ſitiunt: Sic voluptatibus carnalibus ineſcati nunquam iiſdem expleri poſſunt, ſed ab injuſtitia ad injuſtitiam delabuntur Rom. 6. v. 19. præſertim avari, 1. Tim. 6. v. 9.

Hydrops ventrem inflat, & totum corpus turgidum reddit, quod mortis præludium eſt: Ita peccatum & inprimis ſuperbia hominem inflat, Pſ. 73. v. 7. ſed ruina ponè ſequitur, Prov. 14. v. 34. 16. v. 18.

Hydrops quando invaluit, incurabilis eſt, & omnem medicorum opem reſpuit: Ita peccatum humana virtute non deletur, ſed ſolius Chriſti merito. Ego ſum, inquit, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor, Eſai. 43. verſ. 35.

Mortificate igitur vos mei, concupiſcentias veſtras. Nam concupiſcentia quando conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum conſummatum eſt, generat mortem, Jac. 1. v. 15.

II. *Medicus*, qui curam inſtituit. Hic Chriſtus eſt Medicus ille magnus, Exod. 15. v. 26. & magiſter ad ſalvandum, Eſa. 63. v. 1. quam primùm ille hydropicum videt, ſtatim de auxilio cogitat, & ad Legiſperitos & Phariſæos ait: Num licet Sabbatho ſanare? Cumque ipſi tacent, pergit ille & ſanat hydropicum, prolixam ſubjungens apologiam,

Digitized by Google

giam, quâ factum hoc contra Phariſæorum murmurationes defendit.

Fuit igitur Cura Chriſti

I. *Sabbathica*, v.1. & 3. unde colligitur, quod Sabbbathum non prophanetur

1. *Operibus neceſſitatis*, exempli gratiâ, quando incendium oritur, vel, hoſtis irruit die Sabbathi, tunc licitum eſt ignem reſtinguere, & adverſus hoſtes ſe armare, exemplo Maccabæorum, 1.Macc.2.v.41. Licitum etiam eſt tempore meſſis, quando fruges propter continuas pluvias periclitantur, die Solis, ſi forſan ille ſudus eſſet, poſt cultum Deô præſtitum, colligere & in horrea convehere. Ita diſcipuli Chriſti ſpicas colligebant in fame, quos ille contra Phariſæos defendit, Matt.12.v.1.

2. *Operibus charitatis*, quæ in proximi utilitatem ſuſcipiuntur, ut ſunt benefacere, Matth.12.v.12. animam ſalvare, Marc.3.v.4. aſinum aut bovem proximi è puteo liberare, Luc.14.v.5. ægrotos viſitare, viduas & pupillos ſublevare &c. hic cultus eſt immaculatus, Jac.1.v.27.

3. *Operibus pietatis*, quæ ad cultum divinum pertinent, ut ſunt: Verbi divini prædicatio, Sacramentorum adminiſtratio, eleemoſynarum erogatio. Cætera verò opera ſervilia, quæ fiunt lucri cauſâ, & cultum divinum impediunt die Sabbathi omittenda ſunt, Lev.23.v.7.8. aliàs Deus mittet ignem in portas noſtras, qui devorabit domos, Jerem 17. v.27. feſtivitates noſtras in luctum convertet, Amos.8. verſ.10. terram exilio vaſtabit, & captivitate vindicabit, Lev. 26.v.35.ſeqq. quod Iſraelitis evenit, 2.Chron. 36. v.17.ſeqq.

II. *Majeſtatica*, ſi ſpectetur

1. *Miraculoſa ſanatio.* Nam in expectato reſponſo Phariſæorum tangit & ſanat hydropicum, eſt enim Dominus Sabbathi, Marc.2.v.28. & quamvis ſolo verbo & nutu ipſum ſanare potuiſſet, ut paralyticum Centurionis ſervum, Matt.8.v.13.& alios, tamen hîc manum extendit, & tangit patientem, ut oſtenderet miracula ſua eſſe θεανδρικὰς ἐνεργείας, operationes Dei viriles, quas non ſeorſim à carne, ſed in ipſo ſuo corpore faciat, ut Athanaſius loquitur. Non legitur rogaſſe Chriſtum hydropicus, nihilominus ipſum ſanat. Quid faciet igitur à nobis rogatus? Certè pronior eſt ad dandum, quàm nos ad accipiendum, unde Sol juſtitiæ vocatur, Mal.4. v.2. & quemadmodum ſol nō poteſt non lucere: Ita Chriſtus non poteſt non miſericordiæ ſuæ radios ſpargere, ſed ſingulo mane, ſicut ſol oriri ſinit; Thren.3.v.23.

2. *Apologetica defenſatio.* Quia enim perſpiciebat calumnias Phariſæorum, quibus factum illud tacitè damnabant, & tanquā Sabbathi violatorem ipſum accuſabant, apologiā ſtatim ſubnectit, & quis, inquit, veſtrûm eſt, cui aſinus aut bos in puteum cadat & nō continuò extrahat illum die Sabbathi? Si igitur licitum eſt bovem aut aſinum de vita periclitantem ſervare & extrahere die Sabbathi, quidni hominem curare liceat? Cum homo non propter Sabbathum, ſed *S*abbathum propter hominem, Marc.2.v.27.

Nos diſcimus hinc, quod brutis etiam animantibus opera humanitatis exhibenda ſint, ſicut Judæis in lege præceptum erat, ut proximi aſinum aut bovem aberrantem in viam reducant, aut ſub onere jacentem erigant, etiam cum diſpendio proprii commodi, Exod.23. v.4.5.

Quid reſpondebunt igitur mancipia illa Diaboli, qui Satanico livore perciti, oves, boves, ſues, equos, &c. proximi, vel fuſtibus excipiunt, tundunt, pungunt, vulnerant,

Digitized by Google

rant, &c. vel etiam veneficiis perimunt? Certè contra quintum præceptum peccant. Quod enim jumentis proximi damnum intulerunt, ipſi proximo libentius intuliſſent. Homicidarum igitur pœnam reportabunt, Apoc.21. v.8.

3. *Phariſæorum obturatio.* Tantam vim habet apologia Chriſti, ut ne gry quidem contra proferre habeant Phariſæi, ſed planè obmuteſcunt, & ſilentio ſuo ſe convictos eſſe demonſtrant. Unde divina Salvatoris noſtri eluceſcit ſapientia, quâ diſſipat conſilia aſtutorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperant, Job.5.v.12.13.

Trahamus hoc in noſtram Conſolationem, quando ab adverſariis noſtris aſtutiſſima adverſus nos conſilia cudi animadvertimus. Qui in altis habitat, deridet eos, Pſ.2. v.4. nobiſcum eſt Immanuel, Eſa. 8.v.9.10.

De Tertio.

Supereſt, ut *colloquium etiam convivale*, die ſchöne Gaſtpredigt / contemplemur, ubi duo inprimis notanda occurrunt:

1. *Stimulus occaſionis*, ambitio nimirum Phariſæorum & legisperitorum, quâ primos accubitus & loca honoratiora eligebant. Hoc ubi Chriſtus animadvertit, ad humilitatem eos hortatur.

Inſtituit quidem Deus hunc ordinem in vita communi, ut quidam ſint inferiores, quidam verò ſuperiores, eſt enim Deus ordinis, 1.Cor.14.v.33.& vult, ut unus alterum honore præveniat, Rom.12. v.10. Omnibus tamen tam ſuperioribus quàm inferioribus commendata debet eſſe humilitas, ut nil fiat per contentionem aut inanem gloriam, ſed ex modeſtia alium quiſque præſtantiorem ſe exiſtimare debet, Phil.2. verſ.3.

Honorandi utique ſunt, quos Deus vel ratione officii, vel etiam ratione donorum ſupra alios extulit, Rom.13. verſ.7. 1.Tim.5. verſ.17. ſed viciſſim illi, qui officio vel donis ſunt ſuperiores, non abutantur honore illo ad ſuperbiam, ſed cogitent, officium divinum & dona Dei in ipſis honorari, propter quæ nemo ſuperbire debet, Jer.9. verſ.23. 24. multò minus ex ſtulta quadam φιλαυτίᾳ primos accubitus ipſi eligant, ſed expectent, Lev.19. verſ.32.

2. *Regula inſtructionis*, quâ commendat

1. *Vanitatem ambitionis*, verſ.8.9. Qui enim locum occupat ſibi non competentem, poſteà cum ignominia ſurgere & cedere jubetur. Ne igitur magnifices te coram Rege, & in loco Magnatum ne ſteteris. Melius eſt ut dicatur tibi, aſcende huc, quàm ut humiliet te aliquis coram Principe, & videant oculi tui, Prov.25.v.6.7.

2. *Utilitatem humiliationis*, v.10. Qui enim honoratioribus loca ſuperiora capeſſenda relinquit, & inferius occupat, honorem reportabit ab omnibus diſcumbentibus, qui ipſum quoque ad ſuperiora ſubſellia invitabunt, dicentes: Amice, aſcende ſuperius, honor enim honorantis eſt non honorati, hinc Salomo, Prov.29. v.23. ſuperbum ſequitur humilitas, at humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.

3. *Æquitatem retributionis*, verſ.11. Omnis qui ſe extollit, humiliabitur, & qui ſe humiliat, extolletur. Fugiamus igitur ſuperbiam, quæ lapſum præcedit, Prov.16. v. 18. & humilitati ſtudeamus, quæ Dei favorem conciliat, Sir.3.v.20.1.Pet.5.v.5.

DO-

Digitized by Google

Dominica XVIII. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth.22. verſ.34. 46.

IN arca fœderis aſſervabantur duæ tabulæ Moſis, & urna aurea, quæ manna continebat, Ebr.9. v.4.

Præſens Evangelium eſt inſtar arcæ fœderis, quia duo continet præcipua religionis noſtræ capita, quibus totus noſter Chriſtianiſmus & ſalus inde dependens innititur.

1. Doctrina de lege, cujus ſumma eſt, ut diligamus Deum toto corde, totâ animâ, totâ mente, & proximum ſicut nos ipſos. Hæc dilectio eſt impletio legis, Rom. 13. v.10.

2. Doctrina de fide, quæ Chriſtum nobis commendat per manna præfiguratum, Johan.6. v.33. Dominum & Filium Davidis, in quo uno tota nobis ſpes & ſalus recondita eſt, Act.4.v.12. Quod enim impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, præſtitit Deus per Filium, ut juſtitia legis in nobis impleretur, Rom.8.v.3.

De utroque pauca dicemus, conſideraturi

I. Summum legis præceptum.

II. Chriſti perſonam & officium.

J. J.

EXEGESIS.

LEvitis olim præcepit Deus, ut in altari holocauſti ignis perpetuò colluceret, neque unquam deficeret, Levit.6. v.9. Vetus hæc figura nihil aliud notat, quàm inter cætera Legis Evangelicæ præcepta hoc inprimis eminere, quo Deus ſacrum charitatis ignem in ara cordis jugiter ardere & lucere voluit, ut ipſe Chriſtus docet in prima parte prælecti Evangelii, ubi Chriſtus legisperito cuidam ad quæſtionem de maximo legis præcepto reſpondet: Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, hoc eſt primum & maximum præceptum. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis tota lex & Prophetæ pendent.

Habemus in his verbis

I. *Opponentem.* Ubi conſideranda veniunt

1. *Anſa*, verſ.34. quia nimirum audiverant Phariſæi, quod Sadducæis os obturaſſet, ideò ad vindicandam hanc injuriam conveniunt.

Sub hac imagine indefeſſum Diacoli odium erga Chriſtum, & fideles ipſius aſſeclas nobis depingitur. Tentârant Chriſtum, paulò ante Phariſæi quæſtione de cenſu Cæſari tribuendo, Matth.22.v.17. quibus cum pudore relegatis illo ipſo die adeunt, ipſum Sadducæi, proponentes ipſi quæſtionem de reſurrectione mortuorum, ibid. v. 23.ſeqq. ſed horum ora poſtquam ſufficienter obſtruxiſſet, ecce iterum inſurgunt adverſus eum Phariſæi, & arduam de ſummo legis mandato quæſtionem ipſi proponunt, uſque adeò fidelis eſt Satanas in tentandis & exagitandis genuinis Chriſti diſcipulis. Non ergò mirum nobis & inſolens videatur, cum adhuc hodie ſchiſmaticorum hæreticorum falſorumque fratrum agmina pios & fideles Chriſti miniſtros ex utroq; latere dictis, ſcriptis, factis, per gloriam & ignominiam

Digitized by Google

miniam, per convitia & laudes invadere cernimus, 2. Cor. 6. v. 7. 8. non ſumus meliores Apoſtolis, qui adhuc viventes nõ ſine dolore viderunt everſionem Eccleſiarum, quas ipſi plantaverant ſuo miniſterio, ſcribit Lutherus. Manebit tamen Chriſtus & tuebitur Eccleſiam ſuam contra omnes portas inferorum, Matth. 16. v. 18.

2. *Perſona.* Evangeliſta vocat *νομικὸν* legisperitum, qui Marco notante c. 12. v. 28. audierat Chriſtum & Sadducæos ſimul diſputantes, & viderat, quod Chriſtus bene reſpondiſſet. Hunc dubio procul ob inſignem legis ſcientiam adornant, ut quæſtionem temporis valde tritam tanquam pomum contentionis in medium projiceret, de præcipuo legis præcepto, & Chriſtum tentaret, id eſt, in ſermone captaret, & publicè coram omnibus pudefaceret.

Unde apparet veram Chriſti Eccleſiam ab iis potiſſimùm exagitari, qui ſpecioſo Catholicæ Eccleſiæ titulo gloriantur, & multis egregiis donis à Deo exornati ſunt: Phariſæi ſedebant in Cathedra Moſis, Matt. 23. verſ. 2. arrogabant ſibi clavem ſcientiæ, Luc. 11. v. 52. & jactabant ſe cœcorum duces, lumen eorum qui ſunt in tenebris, eruditores inſipientium, magiſtros infantium, habentes informationem cognitionis & veritatis per legem, Roman. 2. v. 19. 20. Primi igitur debebant eſſe, qui doctrinam Chriſti amplecterentur, ſed contrarium docuit experientia. Cave igitur, ut ſcandalum tibi moveat pomposa malignantium Eccleſia. Sponſæ Chriſti decus internum eſt, Pſal. 45. v. 14. non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes, &c. 1. Cor. 1. v. 26. 27.

3. *Materia*, quam ſibi ad hanc diſputationem ſelegit, de ſummo legis præcepto. Erat hoc tum temporis problema vexatiſſimum. Nam Judæi legem in præcepta & interdicta diviſerant. Præcepta numerabant trecenta ſexaginta quinque, tot nempe quot dies in anno ſunt. Interdicta verò ducenta & quadraginta octo. In tanto legum numero difficillimum videbatur præciſè determinare, quodnam eſſet mandatum maximum vel præcipuum. Valde enim diſcrepabant Doctores, partim ad ſacrificia inclinantes, partim etiam traditionibus humanis nimium tribuentes, quod utrumque tamen à Deo rejicitur, Pſ. 50. v. 9. 14. 23. Eſ. 61. v. 8. Oſ. 6. v. 6. Eſ. 29. v. 13. Matt. 15. v. 9. ſperabant igitur Phariſæi, ſe hac quæſtione tale reſponſum elicituros, quod plebi diverſum ſentienti non ſatisfaceret.

Sicut igitur tum temporis varia erant ſchiſmata: Ita non miremur, ſi hodie adhuc ſuper uno vel altero fidei articulo diſſenſiones oriantur, oportet ita eſſe, 1. Cor. 11. v. 19.

II. *Reſpondentem*, Chriſtum ſcilicet, cujus reſponſio eſt

1. *Prompta*, quia enim in illo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi ſunt, Col. 2. v. 3. longa meditatione non indiget, ſed ad propoſitum *ζήτημα* ex tempore reſpondet: Ita nos quoque veritatem non celemus, ſed alacriter proloquamur & defendamus, parati ſemper ad ſatisfactionem poſcenti rationem de ea, quæ in nobis eſt ſpe & fide, 1. Pet. 3. v. 15.

2. *Congrua.* Quia enim quæſtio erat de lege, ad Legislatorem Moſen hunc Phariſæum remittit, & hoc ipſo docet unumquemq; fidei articulum ex ſua propria ſede, quam habet in Scripturis, decidendum eſſe. Hoc non faciunt Calviniani, dum ex cap. 6. Joh. articulum de S. Cœna impugnant.

Sed

Sed infelici marte, quia Concio illa præceſſit inſtitutionem Cœnæ toto anno, & proinde verbis inſtitutionis nihil præjudicare poteſt. Ad ſedem igitur revocandi ſunt adverſarii, verba inſtitutionis ſunt regula, quam qui ſequuntur, pax ſuper illos & miſericordia, Gal.6.v.16.

3. *Plena.* Moſes duas à Deo tabulas accepit, quia duo ſunt objecta primaria, quibus lex occupatur, Deus videlicet & proximus. Chriſtus igitur ſatisfacturus adverſario ſuo, nucleum quaſi ex duabus hiſce tabulis colligit, quo breviter complectitur

I. *Dilectionem Dei*, ex Deut.6. verſ.5. ubi modus ſimul exprimitur, quomodo Deum diligere debeamus, nimirum

1. *Cordialiter*, vel ex toto corde, ne dividatur hoc inter Deum & creaturas, ſed ipſi ſoli adhæreat, ut ſi quid præter ipſum diligamus, id tamen propter ipſum, ſub ipſo, in ipſo, & juxta voluntatem ejus diligamus. Sicut enim vera mater infantem vivum dividi nolebat, 1.Reg.3. v.26. ita Deus cœleſtis Pater nullam cordis noſtri partitionem admittit. Nam impoſſibile eſt duobus Dominis ſervire, Matth.6.v.24.

2. *Finaliter*, vel ex tota anima, quamdiu vivimus, & anima noſtra cum corpore unita eſt. Nec enim ſufficit incepiſſe, ſed perſeverandum eſt in amore uſque ad extremum vitæ halitum, ſi finem fidei noſtræ, æternam ſalutem conſequi velimus, Matth. 10. v.22. Apoc.2.v.10.

3. *Totaliter*, vel ex tota mente & omnibus viribus, ut omnes cogitationes animi in Dei honorem unicè dirigantur, & omnia quæ intra nos ſunt, ſanctiſſimo nomini ejus benedicant, Pſal.103. v.1.

Hoc mandatum de dilectione Dei Chriſtus vocat primum & maximum:

1. *Ratione ordinis*, quia dilectio DEI præcedit dilectionem proximi. Deus enim eſt ſummum bonum, α & ω, principium & finis, Apoc.1. verſ.8. propterea amor noſter in ipſo debet incipere, & in ipſo etiam finiri. Sicut enim avicula quidem interdiu circumvolat, & mox huic, mox illi ramuſculo inſidet, ſed requiem non invenit niſi in nidulo ſuo: Ità amatores Creaturarum ſubinde novum quid offendunt, quo ſe oblectent, ſed quietem tamen ſolidam non inveniunt, niſi per amorem ad Deum ſe convertant, Pſal.84. v.3.4.

2. *Ratione ponderis*, quod certè magnum eſt, ſi ſpectes

1. *Dignitatem.* Nam mandato huic de dilectione Dei omnia reliqua mandata cedunt. Præcepit Deus honorare parentes, obedire Magiſtratui, &c. Sed ſi honor parentum vel obedientia erga Magiſtratum pugnet cum dilectione Dei, tum omninò illi cedere debet, Luc.14. verſ.26. imò quælibet bona opera, ſi Deo placere debent, charitate condiantur oportet. Dare eleemoſynam, eſt bonum opus: ſed ſi non procedat ex charitate, ſed ex ſtudio aucupandæ gloriolæ humanæ, non eſt opus bonum, nec etiam DEO placere poteſt, 1.Corinth.13.v.3. eſt enim ipſe charitas, 1. Johan.4.v.16.

2. *Perpetuitatem.* Fidei in vita æterna ſuccedet viſio, ſpei fruitio, charitas autem manebit & perficietur, 1. Corinth. 13. v.8. ſeqq. quò enim Deus cognoſcitur clarius, eo diligitur ardentius: Jam verò in vita æterna videbimus Deum à facie ad faciem, 1.Cor.13. v.12. ergò etiam perfectiſſimè eum diligemus, ſine modo, ſine tædio, ſine termino, quia gaudium noſtrum perfectum erit, Joh.16. v.24.

Digitized by Google

II. *Dilectionem proximi*, ex Lev. 19. v. 18. hoc præceptum dicitur ſimile priori

1. *Ratione connexionis*, quia charitas Dei ſine charitate proximi eſſe non poteſt, teſte Johanne, 1. c. 4. v. 20.

2. *Ratione obligationis*, quia æquè ac primum omnes homines ad obedientiam obligat. Legiſlator enim utrobique unus eſt, Jac. 4. v. 12.

3. *Ratione executionis*, quia transgreſſores hujus præcepti pari poena digni ſunt ac hi, qui mandatum de dilectione Dei transgrediuntur, Matth. 5. v. 22. 1. Joh. 3. v. 15.

Diligere autem debemus proximum ſicut nos ipſos

1. *Ore*, ut pro ipſo oremus, quod Paulus præcipit 1. Tim. 2. v. 1.

2. *Corde*, ut proſpera quæque ex animi ſententia ipſi apprecemur, congaudeamus & condoleamus pro re nata, juxta monitum Apoſtoli, Roman. 12. v. 15.

3. *Opere*, ut neceſſitatibus ejus ſtrenuè ſuccurramus, quod ſuadet Salomo Prov. 24. v. 11. & Johannes 1. c. 3. v. 17. & Jacobus c. 2. v. 15.

Quamvis autem ad hanc perfectionem in hac vita aſſurgere non poſſimus, carnales enim ſumus, venundati ſub peccatum, Rom. 7. v. 14. tamen in hac vita diligendi initium fieri oportet, ut vera & viva fides per charitatem non ſolùm proximi, ſed Dei cumprimis ſeſe exerat, Gal. 5. v. 6. in vita æterna perfectio ſequetur, 1. Corinth. 13. v. 12. Epheſ. 4. verſ. 13.

De Secundo.

Poſtquam Chriſtus ſufficienter reſponderat ad ζήτημα Scribæ de primo & maximo legis præcepto, ut ipſe calculo ſuo reſponſionem illam approbare coactus fuerit, ut Marcus commemorat c. 12. v. 32. 33. 34. etiam ipſe quæſtionem proponit, non ex legibus Moſaicis, in quibus ſolis ipſi occupati erant, atque interim promiſſiones de Meſſia vel planè negligebant, vel in alium ſenſum detorquebant, ſed ex Evangelio petitam, quod ſemper cum lege conjungendum eſt.

Videbimus nos

I. *Ipſam quæſtionem*, quæ his verbis deſcribitur: Quid videtur vobis de Chriſto? cujus filius eſt? Phariſæi & Scribæ putabant, ſummam in eo conſiſtere ſapientiam, ſi de quæſtionibus legis diſputare poſſint, ſed Chriſtus contra docet, ſummam ſapientiam eſſe ſalutarem ſui notitiam, ſiquidem illa ſuperat omnem ſcientiam, Eph. 3. v. 19. & vitam æternam operatur, Joh. 17. v. 3. hinc Poëta:

Si Chriſtum neſcis, nihil eſt quod cætera diſcis,
Si Chriſtum diſcis, ſatis eſt ſi cætera neſcis.

II. *Mutilam ſolutionem*. Reſpondent Phariſæi: Davidis. Hoc verum quidem eſt juxta vaticinia 2. Sam. 7. v. 12. 13. Pſal. 89. v. 29. 30. Pſal. 132. v. 17. Jerem. 23. v. 5. 33. verſ. 14. 15. Sed non ſufficit, proinde Chriſtus urget, Pſal. 110. v. 1. & ſi Meſſias erit Filius Davidis, inquit, quomodo David eum vocat Dominum ſuum? Non enim moris eſt, ut Pater aliquis, imò Rex, qualis erat David, filium *ſuum Dominum* vocet, ut hoc loco non ſimpliciter Adon, ſed Adoni cum affixo ni reperire eſt. Apparet hinc

I. *Chriſti majeſtas*, quod ſit

1. *Davidis filius*, nimirum juxta carnem, Romanor. 1. verſ. 3. & 9. v. 5. Sicut enim pueri communicarunt Carni & Sanguini: ita Chriſtus etiam participavit iiſdem, &c. Ebr. 2. verſ. 14.

2. Davi-

Digitized by Google

1. *Davidis Dominus*, nimirum juxta Deitatem, quam habet per æternam generationem à patre, unde dicitur Deus benedictus in ſecula, Roman. 9. v. 5.

Sic igitur in Chriſto quidem ſunt duæ diſtinctæ naturæ,& juxta Nazianzenum ἄλλο καὶ ἄλλο, ſed non ἄλλος καὶ ἄλλος. Naturæ enim copulantur in perſona,& unum Chriſtum conſtituunt, quod vere magnum pietatis myſterium eſt, 1. Tim. 3. v. 16.

II. *Officii ſublimitas*, quam probat

1. *Appellatio.* Chriſtus enim dicitur, quod unctum ſignificat, quia unctus eſt à Patre oleo lætitiæ ultra conſortes ſuos, Pſ. 45. verſ. 8.

Primò tanquam *Pontifex*, cujus officium triplex erat, informare, orare & ſacrificare, quô Chriſtus etiam fideliter perfunctus eſt, Johan. 1. v. 18. cap. 17. v. 20. Luc. 23. v. 34. Ebr. 5. v. 7. Epheſ. 5. v. 2.

Secundò tanquam *Rex*, quia hoſtes noſtros proſtravit, à poteſtate tenebrarum nos eripuit, & in regnum lucis tranſtulit, Col. 1. v. 13. imò adhuc defendit Eccleſiam ſuam, ut inferorum portæ adverſus illam non prævalituræ ſint, Matth. 16. v. 18.

2. *Exaltatio*, quia ad dextram Dei ſedere jubetur, quod nulli angelorum dictum eſt unquam, Ebr. 1. v. 13. Paulus exponit per regnare, 1. Cor. 15. v. 25. & per dominium ſuper omnem principatum, poteſtatem, virtutem, Dominatum & ſuper omne nomen, quod in hoc & futuro ſeculo nominari poteſt, Eph. 1. v. 21. non enim eſt corporalis aliqua dextra, quia Deus eſt Spiritus, Johan. 4. v. 24. non definitus aliquis locus in cœlo, cui Chriſtus incluſus ſit, juxta Calvinianos, quo detorquent dictum Petri, Act. 3. v. 21. non etiam creata aliqua potentia, quæ ſit angelica major, & divina minor, ut iterum Calviniani ſomniant, ſed infinita majeſtas & gloria, quam Chriſtus ab æterno habuit, ut Deus, & in tempore accepit ut homo, Joh. 17. v. 5. hinc dicitur dextra Majeſtatis in excelſis, Ebr. 1. v. 3. & dextra virtutis, Matt. 26. v. 64. Sicut enim Dominus eſt per naturam juxta Divinitatem: Ita Dominus factus eſt per gratiam juxta humanitatem, Act. 2 v. 36. ut in nomine Jeſu nunc & in ſeculum flecti oporteat omne genu terreſtrium, cœleſtium & inferorum, teſte Paulo Phil. 2. v. 10.

Eſtote igitur bono animo Vos mei, Chriſtus ſedet in throno ſupracœleſti, & omnia loca ſibi ſubjecta habet, videt omnia, poteſt omnia, dirigit omnia: Non derelinquet vos orphanos, Johan. 14. verſ. 18. ſed tandem aliquando ad ſe trahet, ut videatis gloriam, quam ipſi Pater dedit, juxta promiſſionem ſuam, Johan. 12. verſ. 32. cap. 17. v. 24.

III. *Phariſæorum confuſionem*, verſ. 46. Nam

1. *Obmuteſcunt*, nec quicquam inveniunt, quod ei reſpondeant. Ipſe enim eſt ſapientia Patris, 1. Corinth. 1. verſ. 30. & comprehendit ſapientes in aſtutia ſua, Job. 5. verſ. 13. quia veritas ſibi ſemper conſtat, & manet in perpetuum, Proverbior. 12. verſ. 19.

2. *Erubeſcunt*, & non audent ex illo die poſthac ipſum quicquam interrogare. Hic fructus eſt injuſtitiæ, Roman. 6. verſ. 21. tandem æterna ſequetur confuſio, Dan. 12. verſ. 2. quam à nobis clementer avertat Davidis filius, & Dominus ter benedictus in ſecula,

Amen.

Digitized by Google

Dominica XIX. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 9. verſ. 1. 8.

CUm arca fœderis in Ciriathjarim ſtipantibus triginta hominum millibus in domum Obed-Edom transportaretur, benedixit Dominus univerſæ familiæ ejus, 2.Sam.6.v.11.

Chriſtus eſt vera arca fœderis, novi ſcilicet, quod pepigit nobiſcum per ſanguinem ſuum, Rom.3.v.25. dumque circumivit, in diebus carnis ſuæ Judæam & Galilæam ἐν κύκλῳ quaſi, ut Marcus ait c.6.v.6. benedictionem undiq; largiſſimam proſeminavit, nam veſtigia ejus ſtillant pinguedinem, Pſ.65.v.12. præſertim in Capernaum multa ſigna & miracula edidit, quare beatã ipſam prædicat, Matth.11.v.23. & præ omnibus aliis civitatibus ipſa hoc laudis obtinet, quod Chriſti civitas appellari meruit, ut teſtatur prælecta pericope, quam ſine verborũ ambagibus ad manus ſumemus, & videbimus

I. Paralytici curationem.

II Phariſæorum murmurationem.

III. Populi præſentis deprædicationem.

J.J.

EXEGESIS.

AUdivimus proximè ſummam legis, quod nimirum Deum diligere debeamus, ex toto corde, ſuper omnia, proximum verò ſicut nos ipſos. Sed quia propria conſcientia nos convincit, quod perfectionem illam dilectionis in hac vita attingere non poſſimus, ideò proponitur nobis in hac pericope doctrina de gratuita peccatorum remiſſione, quam Chriſtus paralytico annunciat, curam corporis à cura animæ exorſus, ut fontem obſtrueret, ex quo omnes morbi provenire ſolent. Circa curam illam quinque potiſſimùm conſideranda veniunt.

I. *Temporis notatio.* In capite præcedente octavo commemorat Evangeliſta, quod Chriſtus in finibus Gergeſenorum, duos homines à Diabolo obſeſſos liberaverit, ac Diabolis permiſerit, ut in gregem porcorum irruerent, quem magno impetu in mare vel lacum Genezareth præcipitem dederunt. Hoc ægrè ferunt Gergeſeni, & χοιρόφιλοι magis quàm χριςόφιλοι Chriſtum rogant, ut ex finibus ipſorum diſcedat, quod ipſe ſine mora effectum dat, & navem ingreſſus, trajicit locum Genezareth, & deſerit fines Gergeſenorum, margaritæ enim porcis objiciendæ non ſunt, Matth.7. verſ.6.

Tales χοιροφίλους Epicuri de grege porcos hodie adhuc multos invenias, qui brutis ſuis & carnalibus concupiſcentiis plus deferunt, quàm Chriſto, & ſuum inſtar in volutabro peccatorum tori merguntur, quid igitur mirum, ſi idem ipſis contingat, quod Gergeſenis, ut videlicet Chriſtus ſua gratia, ſuoque verbo ipſos deſerat, ſicut minatus eſt, Matth.21.v.43. Chriſto autem cum verbo ſuo abeunte, abit *vita, quæ vivificat*, Joh.14.v.6. *lux quæ illuminat*, Joh.1.v.9. *veritas quæ ſanctificat*, Joh.14.v.6. *medicus qui ſanat*, Exod.15. verſ.26. *paſtor qui cibat & defendit*, Pſ.23. verſ.1. ſeqq. & impletur illud Oſ.9. verſ.12. Væ illis, ubi ego diſceſſero.

II. *Loci*

II. *Loci ſpecificatio*, ubi Chriſtus perpetraverit hoc miraculum, nimirum in civitate ſua, quæ eſt Capernaum, ut Marcus expreſſe indicat, cap. 2. verſ. 1. Vocatur illa civitas Chriſti non ratione dominii, nihil enim ſe habere proprii, teſtatur ipſe Matt. 8. verſ. 20. ſed.

1. *Ratione domicilii*, quia ibi relictâ Nazareth, ubi educatus erat, poſt traditionem Johannis ferè ſemper habitavit, Matth. 4. v. 12. quam ob cauſam etiam τὸ δίδραχμα ſolvit, Matth. 17. v. 27.

2. *Ratione præconii*, quia multos ſermones ibi inſtituit, Matth. 4. verſ. 13. 17. & plurima miracula edidit, quæ ipſe exaggerat Matth. 17. v. 23.

Ubicunq; igitur adhuc hodie verbum Dei purè docetur, & piè juxta illud vivitur, ibi Chriſti civitas eſt, in qua caminum & ignem habet Eſa. 31. verſ. 9. licet aliàs vel infimum Oppidulum, vel minimus etiam pagus ſit, humilia tamen reſpicit, Pſ. 113. v. 5. 6.

Videamus igitur ut Chriſtum exemplo Capernaitarum libenter ſuſpiciamus. Attollite portas veſtras, ut intret Rex gloriæ, Pſal. 24. v. 8. venit ipſe & pulſat, Apoc. 3. v. 20. ſed niſi aperias, diſcedit, aperi igitur cor tuum, & præpara ipſi hoſpitium, per veram pœnitentiam, ama verbum ejus, utere Sacramentis, &c. hæc ſunt media, quibus Chriſtus invitatur, ut apud nos divertat, ſicut ipſe dicit, Johan. 14. verſicul. 23.

III. *Bajulorum commendatio*. Non præſtolantur Chriſtum egredientem, non morantur turbam confluentem, ſed miſericordiâ moti, Paralyticum humeris ſuis aſportant, & domum conſcendentes per regulas ad pedes ejus demittunt. Unde eluſcit ipſorum

1. *Fides*, quâ agnoſcunt Chriſtum eſſe Magiſtrum ad ſalvandum, cui facilè ſit omnes aliàs incurabiles morbos ſanare, Eſa. 63. v. 1. Pſ. 103. v. 3.

2. *Spes*, quâ confidunt, ipſum non ſolùm poſſe, ſed etiam velle juvare. Nam viſcera ipſius commoventur ſuper miſeria noſtra, ut non poſſit non miſereri, Jer. 31. v. 20.

3. *Charitas*, quam declarant erga Paralyticum, dum nullum laborem ſubterfugiunt, ut Chriſto ipſum offerant. Nam charitas omnia ſuffert, 1. Cor. 13. v. 7.

Noſtrum eſt hos bajulos imitari, & ſimilem in cordibus noſtris concipere 1. fidem, quæ unicum retinaculum eſt, quo Chriſtus detinetur, ne à nobis diſcedere poſſit, nam oculi ejus reſpiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. 2. Spem, ſiquidem illa ſalutis naufragium impedit, tanquam firma anchora animæ, Ebr. 6. v. 19. 3. Charitatem, quæ verum diſcipulorum Chriſti γνώρισμα eſt, Joh. 13. v. 34. 35. imò regina omnium aliarum virtutum, unde lex de dilectione lex regalis dicitur, Jacob. 2. v. 8.

IV. *Patientis conſideratio*. Nam peculiari morbo laborat, qui paralyſis dicitur, & vivam nobis peccati imaginem præbet. *Paralyſis membra quæ occupat, ita reſolvit, ut omni planè motu & ſenſu deſtituantur*: Ita peccatum intimos naturæ noſtræ receſſus penetrans, facit ut in carne noſtra nihil habitet boni, Rom. 7. v. 18. ſed mortui ſumus in peccatis, Eph. 2. v. 1.

Paralyſis oritur teſte Galeno *ex intemperie frigida*, quâ nervi conſtringuntur, & ſpiritus quaſi congelantur, ut inepti fiant ad officium ſuum. Plerique attrahunt ſibi hoc malum frequenti crapulâ, irâ, venere, &c. Sic omnia peccata actualia ex hoc inprimis fonte ſcaturiunt, quod calor nativus dile-

Digitized by Google

dilectionis Dei & proximi in ultimis hiſce temporibus planè refrixt, Matth. 24. v. 12. Unde ſcortatio & commeſſatio mundo ſunt inſtar numinis quod veneratur, 1. Johan. 2. v. 16.

Paralyſis totum corpus depaſcit, & exquiſitiſſimis doloribus ita divexat, ut tali morbo laborantes ſingulis horis & momentis ſibi mortem exoptent: Ita gravis res peccatum eſt, & omni plumbo onerofius, ut Chryſoſtomus ait. Quando enim evigilat, ita torquet conſcientiam, ut homo cum Jobo exclamet: Suſpendium, ſuſpendium, Job. 7. v. 15. & non rarò ex deſperatione ſibi ipſi mortem conſciat, ut Judas, Matt. 27. v. 5.

Paralyſis ex Medicorum præſcripto internè purgationibus idoneis, externè verò oleis & unguentis mollificantibus leniri poteſt: Ita in peccati curatione cor ante omnia per ſeriam pœnitentiam purgandum, & deinde oleo lætitiæ, Pſ. 45. v. 8. & emplaſtro meriti Chriſti mollificandum, ut dolores conſcientiæ tranquillentur, Ebr. 9. v. 14. 1. Johan. 1. verſ. 7.

Paralyſis nullo humano auxilio planè curari poteſt, ſed talis eſt morbus, quem ſibi Deus curandum reſervavit: Ita peccatum eſt morbus deſperatus, qui à nullo alio, niſi à ſolo Chriſto curari poteſt, ipſe enim eſt archipater animæ & corporis, qui delet iniquitates noſtras propter ſe & poteſtatem remittendi peccata ſibi ſoli reſervat, Eſ. 43. 24.

V. *Chriſti opitulatio*, quæ deſcribitur

1. *Ratione cauſa*, quæ eſt fides tàm bajulorum, quàm ipſius Paralitici. Niſi enim Paralyticus propriam fidem habuiſſet, per tectum ſe dimitti nunquam paſſus eſſet.

Docemur hîc quid fides aliena præſtare vel prodeſſe queat. Sane alterius fides non poteſt tibi imputari ad juſtitiam. Juſtus enim ſuâ fide vivet, Hab. 2. v. 4. juſtitia juſti ſuper illum, & impietas impii ſuper illum, Ezech. 18. verſ. 20. interim poteſt fides piorum homini adhuc impio converſionem fidemque propriam impetrare, quâ deinde juſtificetur & ſalvetur. Ita Chriſtus orabat pro Petro, ne fides ipſius deficeret, Luc. 22. v. 23. & pro crucifixioribus ſuis, Luc. 23. v. 34. quibus precibus ſine dubio convertit Centurionem, Matth. 27. v. 54. Stephanus oravit pro lapidantibus, Act. 7. v. 60. & teſte Auguſtino, precibus ſuis Paulum impetravit Eccleſiæ, qui delectabatur morte Stephani, & lapidantibus veſtimenta cuſtodiebat. Actor. 7. v. 58. Quod verò attinet corporalia beneficia, de illis non eſt dubium, quin fideli interceſſione aliorum impetrari poſſint, ut teſtantur exempla Gen. 18. verſ. 32. 19. verſ. 21 Exod. 32. verſ. 11. ſeqq. Actor. 27. v. 24.

Magnifaciamus igitur pios. Propter unum enim mille impii & alimentantur & conſervantur. Non etiam ceſſemus alter pro altero orare. Id Paulus requirit 1. Tim. 2. v. 1. & non caret pondere, Matth. 18. v. 19. Jac. 5. v. 16.

2. *Ratione cura*, quæ eſt

1. *Spiritualis*, quia enim omnes morbi à peccato originem trahunt, Chriſtus fontem accedit, & cauſam ante omnia tollit, ex qua omnes morbi provenire ſolent. Confide, inquit, fili, remiſſa tibi ſunt peccata tua. Docet nos hoc ipſo, quod in morbis & aliis calamitatibus ante omnia de peccatorum remiſſione & reconciliatione cum Deo ſolliciti eſſe debeamus, juxta monitum Siracidis, c. 38. v. 9. 10. 11.

Salutaris hæc & neceſſaria eſt admonitio, quam pauci obſervant. Plerique enim ad Medicum ante omnia properant, de

Deo

Deo parum ſolliciti, niſi in extremis, quod dici ſolet, labiis anima hæreat, ibi demum miniſtrum Eccleſiæ accerſunt, qui quod hactenus ſemper curvum fuit & gibboſum, ex tempore rectificare debet. Sed præpoſterum hoc & ſtolidum eſt. Quid enim proſit medicina abſque Dei benedictione? Exemplum Aſſæ Regis deterreat nos, 2. Chron. 16. v. 12.

2. *Corporalis.* Nam ſurge, inquit, & ambula. Hactenus in lecto decubuerat, tanquam truncus. Jam verò Chriſtus ipſum ſurgere jubet & ambulare. Dictum factum, mox ſurgit Paralyticus & ambulat. Non verò ambulat ut infirmi ſolent, qui ſanitatem ſuam pedetentim recuperant, ſed eo ſtatim momento vires ſuas recipit, ut grabbatum tollere & portare poſſit.

Eluceſcit hinc veritas effati Paulini, Eph. 3. verſ. 20. promptior enim Deus eſt ad dandum, quàm nos ad accipiendum. Petierat Paralyticus corporalem curationem. Sed ecce corporalem & ſpiritualem ſimul impetrat. Ita Abrahamo de Iſmaelis vita ſollicito, & Iſaacum, quem non petierat, promittit, Gen. 17. v. 18. 19. Joſephum non tantùm ex carcere liberat, ſed Pro-Regem Ægypti, quod nunquam ipſi in mentem venerat, conſtituit, Gen. 41. v. 40. Salomo petebat ſapientiam, ſed accepit divitias ſimul & ſapientiam, 1. Reg. 3. verſ. 13. Hiskias non tantùm ſanitatem reſtituebat, ſed & quindecim annos vitæ ejus addebat, 2. Reg. 20. v. 5. 6. Ne ergò trepidemus, habemus Dominum divitem ſuper omnes invocantes ipſum, Rom. 10. v. 12. qui ſolo verbo & nutu efficere poteſt quicquid vult in cœlo & in terra, Pſ. 135. v. 6.

De Secundo.

Sequitur *Phariſæorum murmuratio*. Poſtquam enim Chriſtum huic Paralytico remiſſionem peccatorum annunciare percipiunt, blasphemiæ ipſum accuſant, & quis, inquiunt, peccata remittere poteſt, niſi ſolus Deus?

Murmuratio illa deſcribitur ab Evangeliſtis, quod fuerit

1. *Clandeſtina.* Non enim apertè proferunt, quod in corde fovent, ſed tacitè ſecum muſſitant. Tales clandeſtinæ detrectationes hodie multi pro prudentia venditant, dum coram ſimulant amicitiam, ſed clàm omnem omninò lapidem movent, ut famæ & vitæ tuæ inſidias ſtruant, pejores certè hoſtibus apertis, quos cavere licet, hi verò tacitè vulnus aliquod tibi infligunt, de quo non ſatis conſtat, unde ſuam originem trahat, hinc Sirach. c. 28. v. 15. 16. 19. ſeqq.

Videte Vos mei, ne vitio hoc deformetis vocationem veſtram, ſed apertè converſamini cum proximo, nam in Chriſto Jeſu veritas, Eph. 4. v. 21.

2. *Viperina.* Nam toxicas fovent cogitationes, & blasphemiæ Chriſtum accuſant, quia dixerat ad Paralyticum: Remiſſa tibi ſunt peccata tua. Hinc ita ratiocinantur: Peccata remittere ſolius Dei proprium eſt, Pſ. 32. v. 1. 2. Eſ. 43. v. 25. Hic peccata remittit, adeoque ſibi tribuit, quæ ſunt ſolius Dei propria. Ergò blaſphemat Deum, & per conſequens capitali pœna dignus eſt.

Hoc adhuc omnes Pſeudo-Doctores in more habent poſitum, ut optimè facta & cogitata peſſimè accipiant.

Quando docemus in Eccleſiis noſtris remiſſionem peccatorum in ſolo Chriſto quærendam eſſe per fidem, non in noſtris ſatiſ-

Mm facti-

factionibus & meritis: Clamant Pontificii, doctrinam hanc eſſe hæreticam & blaſphemam, prohibere bona opera, introducere Epicureiſmum, laxare nervos diſciplinæ eccleſiaſticæ, &c. ſed perperam. De tali fide enim loquimur, quæ per charitatem efficax eſt, Gal.5.v.6.

Quando Salvatori noſtro Jeſu Chriſto ſecundùm naturam humanam, divinam & infinitam majeſtatem adſcribimus, quâ poteſt, quicquid vult, & præſens eſt Eccleſiæ ſuæ omnibus diebus ad conſummationem ſeculi, Matth.28. verſ.20. Clamant iterum Jeſuitæ, & ſimili conatu majeſtatem Chriſti impugnant, Calviniani: Hi blaſphemant Deum, ſed perperàm: Nam cum Scriptura loquimur, quæ Chriſto homini per & propter unionem perſonalem omnem poteſtatem aſſignat in cœlo & in terra, Matth. 28. verſ. 18. de quo alibi fuſius actum eſt.

Interim diſcamus nos omnem omninò deteſtari *blaſphemiam ſive in Deum ſive in proximum* directa ſit.

Blaſphemia in Deum in V. T. capitalis fuit, Lev.24.v.14.16. & quod docent exempla, ſeveriter ab ipſo etiam Deo quandoque punita eſt, 1.Reg.20.v.23.ſeqq. 2.Reg. 18.v.30.ſeqq. Eſ.36. verſ.15.ſeqq 2. Macc.15. v.5.ſeqq. non enim habebit Deus inſontem illum, qui nomen ejus aſſumpſit in vanum, Exod 20.v.7.

Blaſphemia in proximum, quæ verius calumnia dicitur, ab eodem ſpiritu proficiſcitur, nempe Diabolo, qui hanc artem probè callet, & inde apud Græcos nomen ſortitus eſt. Eſt enim ſpiritus mendax, 2.Reg. 22.v.22. Ioh.8.v.44. ſi quis igitur ſtudio calumniandi flagrat, & proximi famam mendaciis proſcindit, noverit is, quod ſit organum Diaboli, & regnum Dei nunquam ſit hæreditaturus, 1.Cor.6.v.9.

3. *Inteſtina.* Nam ſibi in perniciem cedit, quod probat

1. *Chriſti omniſcientia*, quâ cogitationes Phariſæorum ſub cordibus adhuc latitantes perſpicit, & hoc ipſo oſtendit, quod ſit verus Deus, de quo ſcriptum extat 1.Reg. 8.verſ 39. tu ſolus noſti corda filiorum hominum. Pari modo Chriſtus Dei filius ſcrutatur corda & renes, Jer.17.verſ.10. ipſius oculis omnia ſunt nuda & aperta, Ebr.4.v. 13. Quod certè. Deitatis ipſius firmum & indubitatum argumentum eſt. Caveamus igitur non ſolùm ab exterioribus peccatis, ſed etiam ab interioribus pravis cogitationibus, & provideamus ſemper Dominum in conſpectu noſtro, Pſ.16. v.8. Mundus quidem opinatur, cogitationes eſſe liberas: ſed Chriſtus corda inſpicit, & ſecundùm hæc de dictis factisque noſtris judicat. O Deus bone, quantam peſſimarum cogitationum colluviem ſanctiſſimi hi & puriſſimi oculi quotidie intuentur! Quidam cogitant iniquitatem, Ezech.11.v.2. quidam ſpurcas habent cogitationes, 2.Pet.2. verſ.14. quidam proximo ſuo malum aliquod machinantur, Pſ.140. v.3. Hæc omnia Chriſtus videt, & tacet. Sed tandem expergiſcetur, & congregabit cogitationes populorum, Eſa.66.v.18. nimirum in extremo die, ubi abſcondita tenebrarum illuminabit, & conſilia cordium manifeſtabit, 1.Cor.4.v.5.

2. *Apologia evidentia*, qua calumniam Phariſæorum refutat

1. *Negativè.* Nam quare, inquit, quare cogitatis mala in cordibus veſtris. Accuſatis me blaſphemiæ, ſed præter omne meritum. Honoro enim Patrem meum, & nõ blaſphemo, ſicut Joh.8.v.49. etiam Judæis objicit.

Docet

Digitized by Google

Docet nos ſuo exemplo; quid faciendum, ſi aliquando maledictis & calumniis, ab adverſariis noſtriis impetamur. Certè malum pro malo non eſt referendum, aut maledictum pro maledicto referre Chriſtianum non eſt, 1.Pet.3.v.9. Interim bonam famam, quæ cum vita pari paſſu ambulat, exemplo Chriſti defendere licet, exemplo Davidis, 1.Samuel.24.v.10.ſeqq. Pauli, Actor. 24. verſ.10. ſeqq. ſi verò innocentiam tuam ſatis demonſtrâſti, & nemo eſt qui attendat, revela Domino viam tuam & ſpera in eo, ipſe faciet, & adducet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum ſicut meridiem, Pſ.37.v.5.6.

2. *Demonſtrativè*, v.5.6. Phariſæi ipſum pro nudo homine aſpiciebant, ſed ille probat ex miraculo, quod propriâ autoritate & poteſtate in Paralytico jam perpetraverat, ſe eſſe verum & unigenitum Dei filium, promiſſum Meſſiam & Salvatorem mundi, qui authenticè poſſit remittere peccata, q. d. ſi potui dicere, ſurge & ambula, quidni poſſim etiam dicere: remiſſa tibi ſunt peccata tua. Utrobique eadem requiritur divina virtus & poteſtas. Habuerunt quidem Prophetæ & Apoſtoli poteſtatem remittendi peccata, & multa ediderunt miracula, ſed non *αὐτοκρατορικῶς*, verùm in Chriſti nomine, mandato & authoritate. Chriſtus autem remittit peccata, & ſanat Paralyticum ex propria authoritate, quâ pollet non tantùm ut Deus, ſed etiã propter hypoſtaticam unionem, quâ caro Domini, ut Damaſcenus loquitur, divinis actionibus locupletata eſt, ut homo, unde ſanguis ejus nos emundare dicitur ab omni peccato, 1.Joh.1. verſ.7.

Hæc doctrina propter Arianos & hodiernos Photinianos probè notanda eſt, qui Deitatem Chriſti impugnant, inſuper etiam conſolatione noſtra inſervit. Si enim Salvator noſter verus Deus eſt, nihil ipſi impoſſibile, Luc.1. v.37.

De Tertio.

Reſtat *populi deprædicatio*, quæ deſcribitur

1. *Ratione formæ.* Eſt enim

1. *Religioſa.* Nam vidimus hodie paradoxa, inquiunt, ut Lucas refert c.5.v.26. & timent Deum. Hodie multa videmus paradoxa in Rom. Imperio, & cum civibus Hieroſolymitanis meritò lamentamur: Nõ putaſſemus hoc nobis eventurum, Thr. 1. v. 9. ſed quis timet? Pergit impius in delictis ſuis, & nõ cùrat judicia Dei, Pſ.10.v.5.6. quid mirum igitur, ſi pergat Deus in exaggeratione pœnarum? verbum ejus non mentitur.

2. *Glorioſa.* Nam glorificant Deum, & laudes ejus, quantum poſſunt, extollunt. Ut nos quoque diſcamus illorum exemplò beneficia Dei, quæ nobis & proximis noſtris quotidie confert, grato animò agnoſcere & deprædicare. Hoc bonum & pretioſum eſt, Pſal.92. v.1.

2. *Ratione materiæ*, quia nimirum Deus talem poteſtatem hominibus conceſſerit. Agnoſcunt quidem Chriſtum pro magno Propheta, ſed divinitatem ejus nondum perſpiciunt. Interim hoc fidei initium eſt, quod Chriſtum non calumniantur ut Phariſæi, ſed honeſtè de ipſo ſentiunt.

Quantò magis nobis convenit Deum glorificare, qui per Dei gratiam ulteriores in fide progreſſus fecimus. Scimus ex verbo, Chriſto datam eſſe omnem poteſtatem in cœlo & in terra, Matt.28.v.18. Scimus ipsũ omnia ſcire, omnia videre, omnia poſſe. Scimus quod miniſterium inſtituerit, & non

Digitized by Google

ſolùm Apoſtolis, ſed omnibus fidelibus eorundem ſucceſſoribus poteſtatem dederit remittendi peccata, Matth. 18. v. 18. Johan. 20. v. 23. exclamemus ergò cum Davide Pſ. 103. v. 1. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & ſanat omnes infirmitates tuas, ipſi laus, honor & gloria in ſeculum, Amen.

Dominica X X. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 22. v. 1. 14.

LEgimus Gen. 25. verſ. 29. ſeqq. quod Jacob aliquando coxerit pulmentum, & cum Eſau ſuperveniret lapſus à venatione, rogabat ipſum, ut ſibi concederet comedendum, ſed Jacob renuit, niſi vendat ſibi jus primogenituræ. Reſpondet Eſau: En morior, quid mihi proderunt primogenita. Jacob requirit juramentum, quod præſtat Eſavus, & vendit ipſi primogenita. Poſtmodum accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit, parvi pendens quod primogenita vendidiſſet.

Hoc ſecuritatis & levitatis indicium fuit, quod Eſau propter unam eſcam jus primogenituræ vendidit, Ebr. 12. v. 16. ſiquidem in V. T. primogenito duæ partes hæreditatis paternæ, nec non prærogativa in regno & ſacerdotio, præ reliquis fratribus debebantur, Gen. 49. v. 3.

Typus eſt hac in parte omnium eorum, qui temporalia æternis præferunt. Chriſtus lavit nos in ſanguine ſuo, & hoc nobis acquiſivit privilegium, ut Reges ſimus & ſacerdotes coram Deo & Patre ejus, Apoc. 1. v. 6. participaturi tandem hæreditatem vitæ æternæ, Rom 8. v. 17. ſed multi reſpuunt hanc gratiam, dum lentis edulium, id eſt, voluptates carnales & terrena deſideria plus amant, quam verbum & ſacramenta, quibus ceu mediis ordinariis gratiam ſuam Chriſtus nobis exhibet & obſignat. Hinc reprobantur à Deo, & qui ratione primogenituræ erant primi, ultimi fiunt, quod teſtatur etiam prælecta pericope, ubi Deus Pater cœleſtis ſub imagine Regis παραβολικῶς à Chriſto introducitur, qui filio ſuo nuptias fecit, & multos invitavit, ſed plerique gratiam illam repudiarunt, unde Rex iraſcitur, & ad viarum compita ſervos ſuos emittit, ut quoscunque invenerint, ad nuptias vocent, & congregarunt bonos & malos.

Per nuptias intelligitur vita æterna. Sponſus Chriſtus eſt, Rex qui convivium apparat, Pater cœleſtis, Præcones verbi ſunt invitatores, nos ingrati hoſpites. Parantur nuptiæ, vocantur hoſpites, expectat Sponſus & Pater, ſed ecce renuunt ingrati & venire nolunt. Alii quamvis veniant, immundi tamen ſunt, & veſte nuptiali carent, ideoque in æternas tenebras præcipitantur.

Videbimus nos

I. ***Nuptiarum præparationem.***
II. ***Hoſpitum invitationem.***
III. ***Regis indignationem.***

J. J.

EXEGESIS.

INter omnes nuptias, quæ jam inde ab orbe

be condito in his terris ad præſentem usque diem celebratæ ſunt, nullæ ſplendidiores fuerunt & honoratiores, quàm quæ deſcribuntur Gen. 2. v. 22. ſeqq. Sponſus in illis nuptiis fuit Adamus, qui Dei filius dicitur, Luc. 3. v. 38. Sponſa ſupremi Regis filia, Eva ſcilicet, ipſius Dei manibus efformata. Ornatus nuptialis imago Dei, in vera juſtitia & ſanctitate conſiſtens, Eph. 4. v. 24. Concionem nuptialem habuit Deus ipſe, qui primos illos conjuges copulavit, & de conjugii legibus ſanctè & inviolatè ſervandis eos admonuit. Dos ſponſi fuit cœli & terræ dominium, Gen. 1. v. 28. unde canit Poëta:

Pro thalamo Paradiſus erat, mundusq́; dabatur
In dotem — — —

Nuptialis apparatus erat ſuaviſſimi Paradiſi fructus. Muſices vicem ſuppleverunt Angelorum jubila. Sed longè nobiliores ac digniores nuptiæ deſcribuntur in hodierno Evangelio, ubi conſideranda nobis venerũt

I. *Regis magnificentia.* Rex eſt Pater cœleſtis, ut ſuprà diximus, Rex Regum & Dominus dominantium, 1. Tim. 6. v. 15. Is eſt

1. *Rex ſapientiſſimus*, qui ſcit quid ſit in homine, Johan. 2. v. 25. & ſapientes hujus mundi confundit, 1. Cor. 1. v. 20. Eſt enim ſcrutator renum & cordium, Jer. 17. v. 10.

2. *Rex potentiſſimus*, qui dominatur à mari ad mare, & à fluminibus ad fines terræ, Zach. 9. v. 10. quod promiſit, poteſt præſtare, Rom. 4. v. 21. ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ, Eph. 3. v. 20. potens ad auxiliandum, Eſa. 50. v. 2. potens ad dandum, Joh. 14. v. 13. potens ad liberandum, nam dextra ejus omnia mutare poteſt, Pſ. 77. v. 11.

3. *Rex juſtiſſimus*, qui nemini injuriam facit, ſed juſtitiam & judicium throni ſui baſin poſuit, Pſ. 89. v. 15. alii Reges interdum ſatis pro imperio, quod libet, faciunt, ut Ahab, 1. Reg 21. v. 16. Sed hic Rex amat juſtitiam, Pſ. 99. v. 4. nec eſt apud ipſum iniquitas, aut perſonarum munerumve acceptatio, 2. Chron. 19. v. 7.

4. *Rex beneficentiſſimus*, qui non aſſervat iram in ſeculum, Jer. 3. v. 12. Sed ſuavis eſt univerſis & miſerationes ſuas ſuper omnia opera ſua extendit, Pſ. 145. v. 9. unde ſolem ſuum oriri ſinit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos, Matth. 5. v. 45.

5. *Rex antiquiſſimus*, qui regnum æternum habet, quod non conteretur, Dan. 2. v. 44. unde antiquus dierum vocatur, Dan. 7. v. 9. itemque primus & noviſſimus, extra quem Deus alius non eſt, Eſ. 44. v. 6.

Confidite vos mei. Habetis *Regem ſapientiſſimum*, qui apprehendet ſapientes in aſtutia ſua, & conſilium, quod adverſus vos inierunt, diſſipabit, Job. 5. v. 12. 13.

Habetis *Regem potentiſſimum*, cujus manus non abbreviata eſt, Eſ. 59. v. 1. dicant nunc impii: non eſt ſalus ipſi in Deo, Pſ. 3. v. 2. eſto bono animo: non relinquet vos orphanos, Joh. 14. v. 18.

Habetis *Regem juſtiſſimum*, qui afflictionem reddet eis qui affligunt vos, vobis autem qui premimini relaxationem, 2. Theſſ. 1. v. 6. non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & laborioſæ charitatis, Ebr. 6. v. 10.

Habetis *Regem beneficentiſſimum*, ex ejus manu abundantiam ſperate, ex ejus copia inopiam veſtram ſublevate, aperit enim manum ſuam & implet omne animal benedictione, Pſ. 145. v. 16.

Habetis *Regem antiquiſſimum*, qui æternum regnum cepit, & ad æternitatem quoque vos olim transferet, juxta promiſſionem ſuam, Joh. 14. v. 3.

II. *Sponſi excellentia.* Sponſus eſt filius Regis, quem Pater Regem quoque conſtituit ſuper Sion montem ſanctum ſuum, Pſ. 2. v. 6. unde videt ipſum Johannes in habitu Regio, cui inſcriptum erat Rex Regum & Dominus dominatium, Apoc. 19. verſ. 16. Huic filio ſuo Pater cœleſtis nuptias paravit

1. *Perſonales*, dum humanam naturam per unionem perſonalem ipſi copulavit, ut ſicut in nuptiis hujus ſeculi maritus & uxor una fiunt caro, Gen. 2. v. 24. Matth. 19. v. 5. Ita per nuptias haſce perſonales ex divina & humana natura factus eſt unus Chriſtus, ut ſit quidem in ipſo ἄλλο καὶ ἄλλο, nõ verò ἄλλος καὶ ἄλλος, ut Nazianzenus loquitur. Hoc vinculũ eſt indiſſolubile, longè arctiùs quàm quo conjuges copulantur. Nam vinculum conjugale per mortem diſſolvitur, ſed hoc vinculum unionis hypoſtaticæ in morte etiam inviolatum permanſit.

Sponſalia celebrata ſunt in V. T. per varias præfigurationes & promiſſiones, quas in plenitudine temporis nuptiæ ſecutæ ſunt, Gal. 4. v. 4.

Sicut igitur ſponſa per nuptias venit in communionem honoris & bonorum Sponſi: Ita per unionem perſonalem aſſumptæ naturæ humanæ dona verè divina & infinita communicata ſunt. Omnipotentia, Matth. 28. v. 18. omniſcientia, Joh. 16. v. 30. Omnipræſentia, Matth. 18. v. 20.

Sicutque 2. per nuptias magnatum diſſidia quandoque componuntur: Ita per has perſonales filii Dei nuptias genus humanum Deo reconciliatum eſt, Col. 1 v. 20.

Sicut. 3. conjugium inſtituitur propter generationem ſobolis: Ita per haſce nuptias Deo per fidem multi ſpirituales liberi generantur, Ioh. 1. v. 12.

Agnoſcamus ergò φιλανθρωπίαν filii Dei ſummam & ineffabilem, quod non Angelos ſed ſemen Abrahæ aſſumpſit, Ebr. 2. v. 16.

2. *Spirituales*, ubi ſponſam ipſi copulat Eccleſiam, hic eſt unus ille vir, cui deſponſati ſumus, 2. Cor. 11. v. 2. Oſ. 2. v. 19.

Hæc quadrat typus Simſonis Nazaræi, Jud. 14. v. 2. Sicut ille ſponſam potuiſſet ſibi quærere in populo ſuo, & tamen non fecit, ſed ex filiabus Philiſtinorum aliquam duxit: Ita Chriſtus verus ille Nazarenus, Matth. 2. v. 23. in cœlis quidem inter Angelos pulcherrimam ſibi ſponſam invenire potuiſſet, ſed noluit, & contra ex genere humano, quod propter peccatum ut Philiſtæi æterno exitio addictum, & in Satanæ captivitatem redactum erat, ſponſam ſibi elegit; quia placuit oculis ſuis, deliciæ ſiquidem ejus cum filiis hominum, Prov. 8. v. 31.

Forſan Pater cœleſtis eodem modo filiũ allocutus eſt, quo Parentes Simſonis filiũ ſui nuptias improbabant: Cur ex genere humano ſponſam tibi eligis? annon angeli propinquiores ſunt? Sed Filius reſpondit: Da mihi hanc quia placuit oculis meis. Pater dixit: ſponſa eſt deformis, Eſa. 1. v. 6. reſpondit Filius: Ego ipſam ornabo veſtibus ſalutis & indumento juſtitiæ, Eſa. 61. v. 10. Pater dixit: Sponſa jacet in ſuo ſanguine, Ezech. 16. v. 6. reſpondit Filius: Ego lavabo eam, Apoc. 1. v. 5. Eph. 5. v. 27. Pater dixit: Sponſa eſt ſtolida & inſipiens, Pſ. 14. v. 1. 2. reſpondit Filius: Ego ero illi ſapientia, 1. Cor. 1 v. 30. Pater dixit: ſponſa multis debitis obſtricta eſt, Matt. 18. v. 24. reſpondit Filius: Ego pro illa ſolvam, Pſ. 69. v. 5. Pater dixit: ægrota eſt, reſpondit Filius: Ego ero illi Medicus, Matth. 9. v. 12. Pater dixit: Sponſa in peccatis mortua eſt: reſpondit Filius: Ego vivificabo illam, Eph. 2. v. 5.

En arctiſſimam dilectionem, quâ nos

ſuam

Digitized by Google

ſuam ſponſam Chriſtus complectitur, ceu Jacob Rahelem, Gen.29. v.20.28. & David Michol Saulis filiam, 1.Sam.18. verſ.27. nam proprio ſanguine redemit illam, Act. 20. verſ. 28.

Notetur hoc in conſolationem. Quod ſi enim Chriſti ſponſa ſumus, utique Deus Pater erit ſocer noſter, qui de neceſſariis omnibus nobis proſpiciet. Deus Filius erit maritus noſter, qui potenter nos defendet: Deus Spiritus S. erit amicus noſter, qui gratioſè nos diriget. Sancti Angeli erunt cuſtodes miniſtri noſtri, qui in manibus ſuis portabunt nos, & adverſus hoſtes noſtros dimicabunt. Gloria ſit in excelſis Deo, miſericordia ejus à progenie in progenies, Lucæ 2. v. 14.

III. *Epuli ſufficientia*, quæ apparet ex Regis inſtructione, qui ſervos ſuos ablegat, ut dicant invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata. Hoc eſt convivium illud pinguium, medullatorum, convivium vini defecati, Eſ. 25. verſ. 6. quo agnus ab origine mundi occiſus apponitur, Apoc 3. verſ. 8. ut carnem ejus edamus, & ſanguinem ejus bibamus in remiſſionem peccatorum, Matth. 26. v. 26. ſeqq. non opus eſt, ut aliquid afferamus de noſtris meritis, omnia enim jam tum parata ſunt, ſiquidem ante jacta mundi fundamenta Deus nos elegit, & prædeſtinavit in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ſeſe, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, Epheſ. 1. v. 4.5. cum nondum nati, nec aliquid vel boni vel mali egiſſemus, Rom.9. v.11.

IV. *Loci congruentiam*, ubi nuptiæ hæ celebrantur, nimirum in regno cœlorum, per quod intelligitur Eccleſia, ubi Deus reſidet tanquam Rex inter ſubditos, Lev.26.v. v.11. & privilegia ſua diſtribuit fidelibus, juſtitiam ſcilicet, pacem & gaudium, Roman.14. v.17.

Quoties igitur viſitas Eccleſiam, toties in eo loco compares ubi Deus regalem menſam apparavit, & gratiâ ſuâ te cibare & ſatiare deſiderat, Exod.20.v.24. Quid tergiverſaris? Regnum Dei intra nos eſt, Luc.17.v. 21. non opus habes aſcendere cœlum, verbū propè eſt in ore & in corde tuo, nempe verbum fidei quod prædicamus, Rom.10. v. 8. Ergò votum Davidis quotidie ingemina: Unicum petii à Domino, &c. Pſ. 2.v.4.

De Secundo.

Vidimus nuptiarum præparationem, ſuccedit *hoſpitum invitatio*, ubi duo potiſſimùm conſideranda occurrunt:

I. *Invitantis bonitas*, quam probat

1. *Servorum miſſio.* Per ſervos intelliguntur Prophetæ,, Apoſtoli & omnes fideles eorundem ſucceſſores, quos adhuc hodie Deus emittit, ut ad nuptias filii ſui nos invitent, & omnibus ubique hominibus annuncient ut agant pœnitentiam, Act. 17. verſ. 30. quia enim non vult ullos perire, ſed omnes ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Tim.2. v. 4. tota die expandit manus ſuas ad populum immorigerum, Eſa. 65. v. 2. & manè ſurgendo nuncios ſuos mittit, ut parcat populo ſuo, 2. Chron. 36. v.15.

2. *Terna vocationis repetitio*, quæ facta

1. *In Adamo*, cui Deus poſt lapſum ſeſe per verbum Evangelii patefecit, ſed Cain ſtatim ab Eccleſia vera per fratricidum ſeparavit ſeipſum, & novos cultus inſtituit, quos ſecuti ſunt quidam ex poſteris Patriarcharum, Geneſ. 6. v. 2.

2. *in Noacho* & filiis ejus poſt diluvium, ex quibus omnes populi originem trahunt.

Ibi

Ibi Deus ſecundâ vice totum mundum vocavit, & voluntatem ſuam Noacho & filiis ejus revelavit, Gen. 9. v. 1. ſeqq. Debuiſſent igitur puritatem illam doctrinæ conſervare, & ad omnes poſteros propagare, ſed ex ſuperbia extruunt turrim Babylonicam & à veritate verbi ad idololatriam Ethnicam ſe convertunt, Gen. 11. v. 4.

3. *Sub exordium N. T.* ubi Chriſtus Apoſtolos ſuos ablegavit ad compita viarum, id eſt, in totum terrarum orbem, Matth. 28. v. 19. & ipſi mandato mandato huic obtemperantes prædicaverunt Evangelium omni creaturæ Marc. 16. v. 15. nam fructificavit Evangelium in toto mundo, Col. 1. verſ. 6. quod verò poſteri ipſorum, quibus Apoſtoli prædicarunt, hanc puritatem verbi amiſerunt, ſibi ipſis & ſuis majoribus imputent, quorum ingratitudinem ex juſto judicio Deus hâc ratione punit, Amos 8. v. 11. 2. Theſſ. 2. v. 10. 11.

3. *Lauta inſtructio.* Nam ſervi in mandatis accipiunt dicere invitatis: Omnia parata ſunt. Ergò nuptiarum harum apparatus eſt ipſa mors & paſſio Chriſti, totumq; ipſius meritum per verbi & Sacramentorum gratiam nobis oblatum. Hinc primi nuncii, hoc eſt, Prophetæ non dixerunt: Tauri & altilia occiſa ſunt & omnia parata, ſed variis duntaxat Prophetiis Judæos ad nuptias invitarunt. At ſecundis, id eſt, Apoſtolis non modò injungitur ad nuptias invitare, ſed invitatis etiam dicere, omnia parata eſſe, Meſſiam ſcilicet, quem expectaverant, jam adveniſſe, crucifixum, mortuum, reſuſcitatum eſſe, omnia denique, quæ ad hominum ſalutem neceſſaria videbantur, eſſe præparata.

Quanto, Deus bone, gaudio Sancti Patres hanc invitationem excepiſſent? Fuerunt quidem invitati, & nondum omnia parata erant. Nam mortui ſunt in fide, non acceptis promiſſionibus, ſed à longè eas adſpicientes, Eb. 11. v. 13. quo nomine Chriſtus præ Regibus & Prophetis V. T. beatos prædicat Apoſtolos ſuos, Luc. 10. v. 23. ſeqq.

II. *Hoſpitum diverſitas.* Non enim ſunt unius generis, ſed

1. *Quidam renuentes*, qui ſimpliciter venire nolunt, & nullam cauſam prætendere poſſunt. Tales ſunt Epicuri de grege porci, qui neq; Deum curant, neq; Diabolum, ſed more pecudis abſq; pœnitentia in diem vivunt, ut antediluviani, Gen. 6. v. 3. Sodomitæ, Gē. 19. v. 9. auditores Eſaiæ, c. 42. v. 20. & Jeremiæ, c. 44. v. 16. & adhuc hodie omnes illi, qui blandas miniſtrorum Eccleſiæ invitationes & admonitiones alto quaſi ſupercilio contemnunt, & charitatem veritatis non accipiunt, ut ſalvi fiant, 2. Theſſ. 2. v. 10. ſed videbunt olim, in quem pupugerunt, Zach. 12. v. 10. juxta ſeveram Dei comminationem, Prov. 1. v. 24.

2. *Quidam negligentes*, v. 5. Per hos denotantur, qui terrena cœleſtibus, curam corporis curæ animæ, creaturas Creatori præferunt, quos Paulus vocat τὰ ἐπίγεια φρονοῦντας, Phil. 3. v. 19. contra ordinem, à Chriſto præſcriptum, Matth. 6. v. 33.

3. *Quidam percutientes.* Summa certè ingratitudo, quæ tamen mundo perquam familiaris eſt, ſiquidem omnes Prophetæ & Apoſtoli hanc ſortem experti ſunt, Ebr. 11. v. 36. ſeq. Cavete dilecti, cavete, ne peccatis veſtris hoc inſuper addatis, ſunt enim Legati Dei, 2. Cor. 5. v. 20 Ergò injuria ipſis illata in Deum, à quo dependet, redundat, Luc. 10. v. 16. & ſi ingemiſcunt in officio ſuo, auditoribus hoc bonum non eſt, Eb. 13. v. 17.

4. *Quidam veſte nuptiali carentes.* Veſtis

Digitized by Google

ſtis illa nihil eſt aliud, quàm fides in Chriſtum, quæ per charitatem ſeſe exerit, Gal.5. v.6. Hac veſte deſtituti ſunt hypocritæ, qui vocati ſe quidẽ ſiſtunt, ſed μόρφωσιν tantùm habent τῆς ἐυσεβείας, 2.Tim.3. v.5. ideoque Deo grati non ſunt, Job.13. v.16.

Caveamus igitur ab hypocriſi, & non labiis tantùm, ſed corde etiam Deo appropinquemus, aliàs totus cultus noſter fruſtraneus erit, Matth.15. v.9.

De Tertio.

SUpereſt *Regis indignatio*, quam concipit ob ſummam hoſpitum invitatorum ingratitudinem, ubi duo potiſſimùm notanda veniunt:

1. *Ira vehementia*, v. 7. quæ inſuſtentabilis eſt, ut inquit Manaſſes in oratione ſua, & ardet uſq; ad inferni noviſſima, Deut.32. v.22. terreni Regis ira eſt prodromus mortis, Prov.16. v.14. quantò magis igitur Rex ille Regum timendus erit, qui corpus & animam poteſt perdere, Matth.10.v.28.

2. *Pœna competentia*. Punit enim contemptores gratiæ ſuæ

1. *Marte*, dum exercitum ſuum emittit, ſub quo omnes Creaturæ militant, Sir. 40.v.33. ſeqq. Pſ.148. v.8. inprimis autem hoc nomine intelliguntur, exercitus bellici, quando vocat ex locis diſſitis, vel Nebucadnezares, Jer.25.v.9. vel præparatos à ſe Medos & Perſas, Eſ.13.v.3. hæc eſt virga ferrea, quâ omnes contemptores verbi & Sacramentorum diſperdet, Pſal.2. v.9.

2. *Morte*. Quia enim ſervos ejus occiderant, jure talionis ipſos gladio mactandos iterum ſubjicit. Nam pretioſus ſanguis eorum coram illo, Pſ.72. v.14. qui tamdiu clamat de terra, dum vindictam impetrat, Apoc.6. v.10.

3. *Igne*, quo civitatem eorum ſuccendit. Hanc pœnã experti ſunt Sodomitæ, Gen.19. v. 24. Cives Hieroſolymitani, Luc.19.v.44. de quo excidio Dominica X. poſt Trinitatis in Eccleſia dici ſolet, & nos ipſi perturbatis hiſce temporibus, ubi multæ populoſæ urbes, pagi & oppida in cineres redacta & cõbuſta ſunt propter contemtum verbi Dei, quem hoc modo etiam Deus punire ſolet. Nam ignis etiam ad vindictam creatus eſt, Sir.40.v.35.

4. *Fune*. Poſtquam enim hoſpites contemplatur, & offendit unum, qui veſtem nuptialem non habebat, præcepit ſervis & miniſtris ſuis: Ligate huic manus & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

Hæc eſt deſcriptio æternæ damnationis, quæ omnes hypocritas manet, ubi ſentient

1. *Vinculorum dolorem*. Quia enim hîc traxerunt iniquitatem in funibus vanitatis, & quaſi funibus plauſtri peccatum, Eſ.5. v. 18. ligabuntur etiam catenis noctis, & detracti in tartarum omnibus diabolis excruciandi tradentur, 2.Pet.2. v.4.

2. *Dentium ſtridorem*. Unde colligitur, quod in inferno non tantùm ſit ignis, ſed etjam frigus intenſiſſimũ, quo damnati alternis vicibus cruciabuntur, imò omnes omninò cruciatus ibi convenient, dolor capitis acerrimus, dolor dentium graviſſimus, dolor ſtomachi, dolor podagræ, &c. hinc infernus dicitur ὄλεθρος καὶ ἀπώλεια, ein Ort/ da alles zu Grund verderbt iſt/ 1.Tim.6. v.9.

3. *Ejulatus clamorem*, non ſolùm activè, quia ipſi ejulabunt, ſed etiam paſſivè, quia audire cogentur ejulatus condemnatorum per infernales plagas latè reboantes, quid profuit nobis ſuperbia, &c. Sap.5. v.8.

Digitized by Google

4. *Tenebrarum ſqualorem*, quæ adeo ſpiſſæ futuræ ſunt, ut lumen non viſuri ſint in æternum, Pſ.49.v.20. idque propter continuum illum fumum, qui ex ignibus illis infernalibus quaſi de ardentiſſima fornace exæſtuabit, Ap.9.verſ.2.

Hæc certè nos permovere debent, ut veſtem nuptialem verâ fide & ſanctâ vitæ converſatione nobis comparemus, juxta admonitionem Pauli 1. Tim.2.v.9.1. Pet.3.v.3. quæ viris etiam dicta eſt, tunc implebuntur in nobis promiſſiones, Apoc.3.v.5.19.v.7.8.& ſuperbiemus aliquando in habitu iſto, quaſi ſponſus decoratus corona, & quaſi ſponſa monilibus ornata, Eſ.61. v.10. Hoc concedat nobis Sacro-ſancta Trinitas, ter benedicta in ſecula ſeculorum. Amen.

Dominica XXI. poſt Trinitatis.

Evangelium Iohan.4.v.47.54.

CUm Abſolon ob fratricidium commiſſum à facie Regis exularet, miſit ad Joab, ut mitteret eum ad Regem, ſed noluit venire, cumque ſecundo miſiſſet, & ille noluiſſet venire, præcepit ſervis ſuis, ut agrum Joabi hordei meſſem habentem igni ſuccenderent: Quod ubi nunciatum eſt Joabo, ſurrexit ſtatim & venit ad Abſolon in domum ejus, 2.Sam.14.v.29.

Chriſtus ipſe prædicavit in Judæa & Galilæa, emiſit etiam diſcipulos ſuos, qui verbo & miraculis incolas ad ſe venire juberent, ſed noluerunt, Matth.23.v.37. proinde aliâ viâ rem aggreditur, & per ignem tribulationis compellit, quos verbo ad ſe pellicere non poterat. Hæc Crucis vis & ἐνέργεια, Oſ.6.v.1.Eſ.26.v.16.

Exemplo poteſt eſſe Regulus in prælecta pericope, qui ſine dubio tantoperè ad Dominum non feſtinaſſet, niſi oeconomica crux, & filii animam agentis conditio eum huc adegiſſet.

Nos ad manum ſumemus Evangelium, cujus duæ ſunt partes:

I. *Reguli ſollicitatio.*

II. *CHRISTI opitulatio.*

J.J.

EXEGESIS.

DAvid æger aliquando nauſeam concepit omnium ciborum, & quod ſolent ægroti, deſiderio flagravit aquæ de ciſterna juxta portam in Bethlehem, quæ jam à Philiſtæis occupata erat. Pertuperunt igitur tres fortes Caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de Ciſterna in Bethlehem, quæ erat juxta portam, & attulerunt Davidi, ut reficerent eum, 2.Sam.23.v.15. ſeqq.

Ita percepimus ex prælecta pericope, filium Reguli in Capernaum decumbentis flagraſſe deſiderio auxilii divini, quo relevaretur in morbo ſuo: Pater ergo properat ad Chriſtum, qui Dux eſt in Bethlehem, ſed multa invenit obſtacula variarum tentationum & tribulationum; quæ omnia perrumpit, ut hauriat aquam vitæ & conſolationum, quâ filium in agone conſtitutum refocillare poſſit.

Deſcribitur nobis trifariam:

I. *Ratione officii*, quod fuerit Regulus, unus nimirum ex Herodis aulicis, qui nomine Re-

Digitized by Google

ne Regis primarium officium publicum ibi adminiſtrabat. Dicitur aliàs in proverbio:

— — — — — *Exeat Aulâ*
Qui volet eſſe pius. — — —

Item:

— — — *Virtus & ſumma poteſtas*
Non coeunt — — —

hoc eſt prout Germani efferunt: **Lang zu Hooff/ lang in der Höllen.** Nam verbi divini & Sacramentorum contemptus, luxus, ſuperbia, comeſſatio, ebrietas, laſcivia, & id genus ſcelera alia primas ibi partes obtinent, ut experientia teſtatur. Interim pios etiam reperias, qui ad exemplũ hujus Reguli Chriſtum quærunt, Deum colunt, verbum ejus audiunt, vitamq; juxta fidei & pietatis regulam inſtituunt, qualis erat Joſephus, Gen. 41. & ſeqq. Sadrach, Meſach, Abednego, Daniel, Dan. 3. v. 16. 17. Naaman, 2. Reg. 5. v. 1. Obadias, 1. Reg. 38. v. 3. Ebedmelech, Jer. 38. v. 9. Eunuchus, Act. 8. v. 27. ſeqq.

His veſtigiis inſiſtant Aulici, ne ob terrenæ felicitatis ſplendorem æternæ beatitatis gloriam amittant. Potentes enim potenter tormenta patientur, Sap. 6. v. 7.

II. *Ratione domicilii*, quod fuit civitas Capernaum, ubi Chriſtus etiã habitavit & multa miracula patravit. Celebris illa Galilææ metropolis ſita in loco amœniſſimo, unde & nomen ſortita eſt: Capernaum enim pulchrum vicum denotat. Sed crux tamen ibi quoq; tentorium ſibi fixit, quod Reguli exemplum comprobat, qui ob adverſam filii ſui valetudinem maximoperè affligitur.

Parem crucis œconimicæ ſortem omnes conjuges adhuc hodie experiuntur. Nam conjugium eſt ſchola crucis, **der Eheſtandt iſt ein Weheſtand/** ubi varia crux pios conjuges obruere ſolet. Quandoq; liberi degenerant, ut Abſolõ, 2. Sam. 18. vel moriuntur, ut filius Davidis à Bethſeba natus, 2. Sam. 12. v. 15. vel malo aliquo diuturno excruciantur, ut filia Cananææ, Matt. 15. v. 22. quandoq; rerum domeſticarũ jacturam faciunt, ut Job c. 1. vel ſeparantur per mortem, ut Jacob & Rahel, Gen. 35. v. 18. vel in perpetuis diſſidiis vitam tranſigunt, &c.

Diſcant ergò, qui conjugium inire volunt, ad crucem perferendam ſe præparare, ne obſtupeſcant, ac ſi peregrinum aliquid eis acciderit, 1. Pet. 4. v. 12. Sed cum B. Jobo paternam DEI voluntatem contemplantes dicant: Si bona ſuſcepimus, mala cur non ſuſcipiamus, Job. 2. v. 10.

III. *Ratione deſiderii*, quod acceſſerit & rogaverit Chriſtum ut aſcenderet, ac ſanaret filium ipſius, ſiquidem volebat mori.

Eluceſcit hinc

1. *Reguli cura*, quâ filii ſalutem anxiè quærit, & non quieſcit donec Medicum inveniat. Hoc ipſo docet parentes, quomodo charitatem ſuam erga liberos declarare debeant

1. *In corporalibus*, quando morbis affliguntur, ibi precibus ad CHRiſtum fuſis exemplo Davidis Deo ipſos fideliter commendent, 2. Sam. 12. v. 16. legitima remedia adhibeant, curando, cibando, potando, geſtando, etiam in mortis uſque agonem in ſinu ſuo foveant exemplo Sunamitidis, 2. Reg. 4. verſ. 20. Hoc requirit jus naturæ, στοργὴ videlicet, quam Deus omnibus etiam animantibus implantavit, ut ſuorum curam habeant: requirit jus gentium, 1. Tim. 5. v. 8. requirit etiam jus divinum, quod docet, liberos eſſe donum Dei, ac proinde ſedulò curandos, Pſal. 127. v. 3.

1. *In ſpiritualibus.* Ubi requiritur educatio pia & honeſta, quæ fiat in diſciplina & correctione Domini, Eph. 6. v. 4. ut diſcant

 liberi

liberi cuſtodire viam Domini & facere judicium & juſtitiam, Gen.18. v. 19. hic eſt optimus theſaurus quem parentes liberis ſuis relinquere poſſunt, Matth. 6.v.20.

2. *Fidei natura.* Non ſtatim perfecta eſt, ſed tenuia habet principia, & quotidie creſcit. Regulus hic in primo congreſſu ex infirmitate Chriſtum urget, ut ſecum deſcendat, antequam moriatur filius. Major erat fides Centurionis Capernaitici, Matth. 8. v. 8. poſteà verò augetur fides hujus Reguli, & fit quaſi lux, quâ omnes ejus domeſtici colluſtrantur. Hoc ipſum ſuppeditat nobis vivificam conſolationem, quod Chriſtus linum fumigans infirmæ fidei nolit ſtatim extinguere, Eſ. 42. v. 3. Ingemiſcamus ergò jugiter cum Apoſtolis: Domine adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. & quemadmodum ſacerdotes in V. T. ex mandato Dei quotidie ligna apponebant, quibus ignis cœlitùs delapſus nutriebatur, Lev. 6. v. 12. Sic, quia ſumus ſpirituales ſacerdotes per fidem in Chriſtum facti, Ap. 1. v. 6. ex ligno vitæ, hoc eſt, ex verbo nutriamus ignem fidei coelitùs delapſum, quod Apoſtolus vocat ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, 2. Tim. 1. verſ. 6.

De Secundo.

VIdimus *Reguli ſollicitationem*, videbimus etiam Chriſti Opitulationem, quæ eſt

I. *Rigoroſa*, propter increpationem, quâ Regulo incredulitatem ſuam exprobrat his verbis: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Unde apparet, fidem veram non ſignis & miraculis ſed verbo ſolùm divinitùs nobis revelato inniti debere. Non e- [illegible] ſignis, ſed ex auditu fides eſt, Rom. 10. v. 17. miracula verò ſigilla tantùm ſunt verbum confirmantia, Marc. 16. v. 20. Hodie igitur non opus eſt miraculis, quia verbum habemus, per miracula Chriſti & Apoſtolorum ſatis ſuperque confirmatum, & ſi quis adhuc prodigia quærit, magnum ipſe prodigium eſt, cum toto mundo credente, non credat, ut Auguſtinus pulchrè loquitur.

II. *Gratioſa.* Non rejicit ipſum propter fidem infirmam, ſed potius fovet, & ad incrementum ſenſim perducit. Quia enim filiali affectu legalem increpationem ſuſcipit, & denuò inſtat: Domine deſcende, priuſquam moriatur filius meus, Evangelicam conſolationem mox ſubjungit Chriſtus, & vade, inquit, filius tuus vivit: Ita nobis ordinem monſtrat, quomodo cum infirmis in fide procedendum ſit, nimirum correctioni ſuccedat conſolatio, ne deſperent in peccatis, ſed in Chriſto petra ſalutis reſurgant, & conſerventur ad vitam æternam. Hi ſunt duo baculi, Zach. 11. v. 7. Monſtrat etiam orationis vim, quæ tanta eſt, ut vincat invincibilem, & neceſſaria cuncta nobis impetret, Pſ. 145. v. 19.

III. *Miraculoſa.* Nam ſolo verbo abſenter curat Reguli filium, & hoc ipſo ſe verum & unicum ſalvandi magiſtrum, imò vitæ & mortis Dominum eſſe, ſatis evidenter demonſtrat. Vox Domini cum virtute, vox Domini in magnificentia, inquit David Pſ. 29. v. 4. omnes creaturæ ipſi parent, Pſ. 148. v. 8. Sir. 40. v. 37. verbum ejus eſt verbum vitæ, Joh. 6. 68. quod tollit omnes morbos, Sap. 16. v. 12. ſalvat animas, Jac. 1. v. 21. & tandem etiam corpora vivificabit, Joh. 5. v. 25. Ergò cum debita reverentia amplectamur: ſonat adhuc in Eccleſia ex ore miniſtrorum, quibus Chriſtus in cœlum aſcendens vices ſuas demandavit, ille verò ἐνέργειαν addit, & inviſibiliter ambulat adhuc in medio candelabro-

Digitized by Google

labrorum, Apoc. 1. v. 13. hinc Luc. 10. v. 16. qui vos audit, inquit, me audit, qui vos contemnit, me contemnit, qui autem me contemnit, contemnit eum qui miſit me.

IV. *Fructuoſa*, ſi ſpectes

1. *Reguli in fide corroborationem.* Nam poſtquam audit verbum promiſſionis: Filius tuus vivit, firmiter ei adhæret, quamvis effectum verbi nondum videbat: Ita noſtrum eſt verbo inniti, & Chriſto dicenti confidere, etiamſi exterius nihil auxilii & nihil etiam mediorum humanorum appareat contra ſpem in ſpem, Rom. 4. v. 18. Hæc eſt fidei proprietas, Ebr. 11. v. 1. tunc Chriſtus incrementa dabit, ut creſcentes in agnitionem Dei omni robore corroboremur ſecundùm glorioſam vim ipſius ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio, Col. 1. v. 10. 11.

2. *Servorum obviationem.* Poſtquam enim deſcendit, ecce ſervi occurrunt ei & filii ſanitatem annunciant. Hoc Chriſtus ita dirigit, ut Regulus ex optatiſſimo ſervorum nuncio in fide ſua magis magisque confirmetur, ſicut adhuc varia media adhibet, & ſervos ſuos ablegat, qui inſtructione ſalutari & conſolatione etiam infirmis ſuccurrunt, ut in fide magis magisque conſolidentur & perficiantur. Eunucho adjungebat Philippum, Act. 8. v. 26. Paulo Ananiam, Actor. 9. v. 11. Ita adhuc ordinat, quosdam Paſtores, quosdam Doctores, ut præparentur Sancti in opus miniſterii ad ædificationem corporis Chriſti, Eph. 4. v. 12.

Sub perſona famulorum horum ſervorum frugi ac fidelium officium nobis depingitur. Quam primùm filius convaleſcit, occurrunt Domino ſuo obviam, nec unus duntaxat ſed plures ſimul. Ex quo intelligitur, quàm ſeriò congaudeant, & hero ſuo gratulentur de recuperata filii ſanitate. Pari modo omnes ſervi erga Dominos ſuos, eorundemque liberos affecti ſint, juxta admonitionem Sp. S. Eph. 6. v. 5. 6. 7. 8. Col. 3. v. 22. 23. 24. 25. talis ſervus fuit Eleaſar, Gen. 24. v. 10. 12. Jacob, Gen. 30. v. 29. 30. Joſeph, Gen. 39. v. 8. horum veſtigia ubi ſequentur ſervi noſtri, largiſſimam olim retributionem reportabunt, Luc. 12. v. 42. ſeqq.

3. *Horæ ſciſcitationem vel explorationem*, v. 52. 53. Hoc iterum ſegmentum eſt, quo Regulus ignem fidei ſuæ confortavit, quia ex relatione ſervorum cognoſcit, quod eâ ipſâ horâ filius convaluit, quâ Chriſtus dixerat: Filius tuus vivit.

Sic quando Chriſtus nos ad fidem vocat, & media offert quibus illa confirmari poteſt, non ſimus tanquam equi & muli capiſtro indigentes, Pſ. 32. v. 9. ſed dociles nos præbeamus, & in ſcripturis diligenter inquiramus, ut Berrhoenſes, Act. 17. v. 11. tunc nobis Dominus cor aperiet, Act. 16. v. 14. & opus bonum, quod cœpit in nobis, perficiet usque in diem Jeſu Chriſti, Phil. 1. v. 6.

4. *Totius familiæ converſionem.* Nam credidit ipſe, & tota domus ejus. Egregium certè ſpeculum diſciplinæ Oeconomicæ, quam omnes Patres & Matresfamiliâs erga domeſticos ſuos exercere debent, ut ipſi non ſolùm pietatis ſtudioſi ſint, ſed totam etiam familiam ſuam in vera Dei agnitione fideliter inſtituant, & ad Chriſtum perducere laborent. Hoc fit, dum bono exemplo domeſticis prælucent, Matth. 5. v. 15. à teneris ipſos Scripturam edocent, 2. Tim. 3. v. 15. verba legis domi frequenter repetunt, Deut. 6. v. 7. ad templum ipſos compellunt, exemplo Cornelii, Act. 10. v. 33. qui ita domum ſuam gubernat, audiet tandem vocem ſua-

Digitized by Google

viſſimâ: Euge ſerve bone, &c. Matth. 25. v. 23.

5. *Gloria Chriſti manifeſtationem*, Addit enim Evangeliſta, hoc ſecundum fuiſſe ſignum à Chriſto editum, poſtquam venerit è Judæa in Galilæam.

Hoc pulcherrimam nobis conſolationem ſuppeditat. Sicut enim Chriſtus in primo ſuo adventu, quo nuptias in Cana Galilææ decoravit, aquam transmutavit in vinum, & in ſecundo adventu ibidem filium Reguli à febri liberavit: Ita nobis in primo adventu ſuo vinum Evangelicæ conſolationis attulit, quo aqua tribulationum in hac vita edulcoratur. In ſecundo autem adventu quando redibit judex univerſalis totius mundi, ab omnibus morbis & calamitatibus, imò ab ipſa morte nos liberabit. Nam mors ibi ultra non erit, nec luctus, nec clamor, nec dolor. Ad hanc incolumitatem ſempiternam nos ex gratia perducat Deus Pater, Filius & Sp. S. cui ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſecula, Amen.

Dominica XXII. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 18. v. 23. 35.

THronus Regius Salomonis ita deſcribitur 1. Reg. 10. verſ. 19. quod duabus hinc inde manibus ſuſtentatus fuerit. Si Regem in hodierno Evangelio bene contemplemur, parem thronum deprehendemus, cui inſidet. Manus ab utroque latere ſunt juſtitia & miſericordia. Dum ſervum citat & ſolutionem exigit, juſtitiam ſuam declarat. Dum verò debitum ipſi remittit, miſericordiam oſtendit, quâ omnes verè pœnitentes peccatores in gratiam recipere paratus eſt. Hæ ſunt duæ baſes & columnæ, quibus thronus ejus innititur, Pſ. 89. v. 15.

Nos ad manus ſumemus Evangelium ipſum, quod tribus conſtat partibus:

I. Exhibet *Regis munificentiam.*

II. Servi truculentiam.

III. Vindictæ inclementiam.

J. J.

EXEGESIS.

PRopheta Gad ad Davidem miſſus tria ipſi flagella propoſuit, atque optionem dedit, ut è tribus unum ſeligeret, vel ſeptennio duraturam famem, vel trimeſtre bellum, vel peſtem triduanam, ibi Rex, coarctor nimis, inquit, ſed melius eſt mihi ut incidam in manus Domini, quoniam multæ ſunt miſericordiæ ejus, 2. Sam. 24. v. 12. ſeqq.

Hoc evidenter probat & confirmat prælecta pericope, ubi Rex ſervo decem talentorum millia ſibi debenti, miſericordia commotus, omnia remitit, ſed ille à facie Regis egreſſus aliquem de conſervis ſuis offendit, qui centum denariorum debito ſibi obſtrictus erat, hunc ſine miſericordia ſtrangulat, & in carcerem conjicit, donec perſolvat debitum. Quis igitur non libentius incideret in manus Domini, quàm in manus hominum? Miſericors Dominus & juſtus, & Deus noſter miſeretur, Pſ. 116 v. 5.

Hæc omnia clarius pateſcent ſi contemplemur

I. *Regis celſitudinem*, qui Deus eſt Deorum, Pſ. 136. v. 2. & Dominus Dominorum, 1. Tim. 6. v. 15. id quod ex eo ſatis apparet,

paret, quod Chriſtus in principio parabolæ aſſerit, ſe non loqui de regno & Rege terreno, ſed de regno cœlorum, ac proinde etiam de Rege cœleſti, cujus nos omnes ſervi ſumus & ſubditi

1. *Jure creationis* Pſ. 100. v. 3.

2. *Jure redemptionis*, quia magno pretio nos emit, 1. Cor. 6. v. 10.

3. *Jure ſanctificationis*, ex quo nos regignit, Joh. 3. v. 6.

Tot igitur modis Deo cum obſtricti ſimus, jus & æquum poſtulat, ut vitam noſtram ad ipſius quoque voluntatem conformemus, & in juſtitia & ſanctitate omnibus diebus vitæ noſtræ ipſi ſerviamus, Luc. 1. verſ. 74.

Joſephus ad rem illicitam ſollicitatus, ſe famulum eſſe recordabatur, & dicebat: Quomodò poſſum tàm magnum malum facere, Gen. 39. v. 9. Ita Vos, dilecti, quando ſollicitamini à carne, mundo & Satana ad exorbitandum, nolite conſentire, ſed reſpondete: Servi Jehovæ ſumus, huic nos adximus: quomodo igitur tàm magnum malum facere, & in Deum peccare poterimus. Prohibet hoc noſtra vocatio, quæ ſanitatem à nobis flagitat, ſicut is ſanctus eſt, qui vocavit nos, 1. Pet. 1. v. 15.

II. *Debiti magnitudinem*, quæ hic exaggeratur.

1. *Ratione Creditoris.* Quicquid habemus, non à nobis ipſis, ſed à Deo habemus, Jac. 1. v. 17. 1. Cor. 4. v. 7. Oeconomi enim ſumus magni iſtius Regis, qui bona ſua multa & varia nobis adminiſtranda concredidit, ſed diſſipavimus illa, & fidelitatem, quæ ab œconomis requiritur, non præſtitimus, 1. Cor. 4. v. 2. hinc facilè conjicere poſſumus, quantum ſit noſtrum debitum, ſiquidem juxta Lutherum, verè tam magnum eſt peccatum, quam magnus eſt is, qui peccato offenditur, eum autem cœlum & terra capere non poſſunt, 1. Reg. 8. v. 27. hinc Sirach c. 5. v. 7. tam citò iraſci poteſt quàm miſereri, & ita illius in peccatores non deſinit.

2. *Ratione valoris.* Nam decem millium talentorum debito ſervus hic Domino ſuo obſtrictus eſſe dicitur, quæ faciunt ſexaginta circiter auri tonnas, quod non egeni alicujus ſervuli, ſed ditiſſimi Domini debitum eſt, & ſignificatur eo ipſo debitum, quod contra decem præcepta decalogi contraximus, ſiquidem nullum eſt ex omnibus, quod non variis modis vel cogitatione, vel verbis, vel operibus transgreſſi fuerimus. Hoc debitum tantum eſt, ut non poſſimus illud perſolvere. Nam ſervi inutiles ſumus, Luc. 17. v. 10. & volentibus bonum facere, ſemper adjacet malum, Rom. 7. v. 21.

Promittit quidem hic ſervus ſolutionem, ſed neſcit præ anguſtia quid dicat, ut Iſraelitæ, Exod. 19. v. 8. Rex ipſe jubet eum venundari, & uxorem, & liberos, & omnia quæ habebat, & fieri ſolutionem, ſed non facit hoc, quaſi debitum contractum eo modo ſolvi potuiſſet, ſed ut eò magis agnoſceret debiti magnitudinem, ſuamque quoad ſolutionem præſtandam inſufficientiam.

Notent hoc Monachi & Moniales in Papatu, qui opera ſuper-erogationis jactitant, & plus ſolvere præſumunt, quàm debent, adeoque venum exponunt quod ipſi non indigent. Certè Scriptura omnes omninò homines ſub peccato cōcludit, Rom. 11. v. 32. & ſancti non ſunt ſine macula, Job. 15. v. 16. ſed imperfectiones ſuas agnoſcunt, Phil. 3. v. 12. & juſtitiæ divinæ rigorem deprecantur, Pſ. 130. v. 3. 143. v. 2.

3. *Ratione rigoris.* Nam Rex non permittit ſervos ſuos pro arbitratu cuncta diſpo-

diſponere, ſed rationem tandem exigit, & ſolutionem urget, quod probè conſiderandum eſt, ut procul à nobis faceſſat epicuræa carnis ſecuritas, cujus ea libido eſt, ut de reddenda ratione vel rarò vel nunquam cogitet. Alii fugiunt cum Adamo, Geneſ.3.v.8. alii foliis ficuum ſe tegunt cum Eva, Gen.3. v.7. alii pallìant ſua peccata fuco devotionis & religioſitatis, ut Saul, 1.Sam.15.v.21. ideò Deus vocat nos ad reddendam rationem

1. *In vita præſente*, vel per conciones legis, ut Davidem vocavit, 2.Sam.12.v.8.ſeqq. & Ninivitas, Jon.3.v.4. itemque mundum antediluvianum, Geneſ.6.v.3. 1.Pet.3.v.20. vel per crucem, Eſa.26.v.16. Oſ.6.v.1. vel per ſtimulos conſcientiæ, quæ licet aliquantum obdormiat, ſuo tempore tamen evigilat, & teſtimonium condemnationis perhibet, Sapient.17.v.11.

2. *In vita ſequente*: Ibi demum ratio exigetur à nobis omnium cogitationum, dictorum & factorum, imò verbum ἀεγὸν, quo proximus licet non ſcandalizatus, tamen etiam non ædificatus eſt, ad examen protrahetur, juxta Chriſti ipſius ſententiam, Matth.12.v.36. Ergò

Quicquid agis prudenter agas & reſpice finem,
Nunquam peccatum, hoc qui facit, ille facit.

III. *Remittendi promptitudinem.* Poſtquam enim ſervus hic coram Rege ſe ſiſtit, in genua procidit, & debiti condonationem petit, mox liberabit, & totum ipſi debitum remittitur. Ita nobis aliud non reſtat perfugium, quàm gratuita Dei miſericordia, ad quam ſub peccatorum mole depreſſi appellare ſemper debemus. Hanc promeruit nobis Chriſtus fidelis ille Dei ſervus, Eſa. 53. v.13. dum noſtri loco ſe ſtitit, & quæ non rapuit, perſolvit, Pſal.69.v.5. Eſa.43.v.24.25. Col.2.v.13.14.

Quoties igitur peccatum nos accuſat, ad miſericordiam Dei confugiamus, & pro decem millibus talentis, quibus Deo obſtricti ſumus, reponamus λύτρον infinitum, quod Chriſtus pro nobis præſtitit, Matt.20. v.28. 1.Tim.2.v.6. pro ſanguinibus peccatorum noſtrorum, Pſalm.51.v.16. Eſa.1.v.15. guttulas ſanguinis Chriſti, quæ ſunt pretioſi aurei, quibus omne debitum noſtrum exſolutum & deletum eſt, 1.Johan.1.v.7. pro transgreſſionibus decalogi numerum denarium meritorum CHriſti, quæ pro nobis præſtitit

1. *In conceptione.* Et ſic perſolvit debitum, quod in conceptione contraximus, Pſal.51.v.7.

2. *In nativitate*, & ſic perſolvit debitum, quod ex utero materno nobiſcum in hunc mundum intulimus, nam quod ex carne natum eſt, caro eſt, Joh.3.v.6.

3. *In paſſione*, & ſic vulneribus ſuis nos ſanavit, Eſa.53.v.5.

4. *In crucifixione*, qua chirographum debitorum noſtrorum è medio ſuſtulit, & cruci affixit, Col.2.v.14.

5. *In morte*, quâ nos à morte liberavit, & vitam reſtituit, 2.Tim.1.v.10.

6. *In ſepultura*, qua peccata noſtra contumulavit, Mich.7.v.19.

7. *In deſcenſione ad inferos*, quâ captivitatem captivavit & infernum deſtruxit, Col.2.v.14.

8. *Per reſurrectionem*, quâ juſtitiam nobis reſtauravit, Roman.4.v.25. & ſepulchra noſtra perrupit, ut nobis etiam perrumpere liceat, Mich.2.v.13.

9. *Per aſcenſionem* ad cœlos, quâ viam ad vitam nobis patefecit, Pſal.16.v.11.

10. *Per*

Digitized by Google

10. *Per ſeſſionem ad dextram Dei*, & ſic interpellat pro nobis, Roman.8.verſ.34. & dominatur in medio inimicorum ſuorum, Pſ.110.v.2. ut Eccleſiam ſuam contra portas inferorum potenter defendat, Matth. 16. verſ.18.

Tandem redibit ad judicium, & ad omnibus peccatorum debitis nos planè abſolutos in perfectam libertatem, gloriam & beatitudinem reſtituet.

Hæc decem Salvatoris noſtri merita, quæ in Symbolo Apoſtolorum eo ordine, quo recenſuimus, comprehenſa ſunt, decem millibus peccatorum noſtrorum talentis ſi opponamus, condonabit nobis Deus & culpam & pœnam, non enim bis exiget, quod Chriſtus perſolvit, ſed acceptabit potius λύτρον, quod ipſe pro ſapientia ſua imperſcrutabili pro ſolutione debitorum noſtrorum ordinavit & conſecravit, ut Paulus teſtatur, Rom.3.v.25.

De Secundo.

Vidimus Regis munificentiam, quam remiſſione decem millium talentorum erga ſervum hunc declaravit. Videbimus etiam σὺν Θεῷ *ſervi truculentiam*, quam exercet

1. *Erga Dominum*, à quo ſtatim egreditur, & beneficium ſibi collatum non amplius attendit. Quæ certè maxima ingratitudo eſt, quâ multi adhuc inter nos ſe polluunt, dum vix templo egreſſi vel ab oratione, vel à percepto corporis & ſanguinis Dominici Sacramento ad ingenium redeunt, denuò implicati inquinamentis mundi, quorum ultima deteriora prioribus, 2. Pet.2. v. 20. Hi omnes gratiam Dei fruſtrà acceperunt, 2.Cor.6. v.1. & quia voluntariè peccant, hoſtiam pro peccatis non inveniunt, ſed terribilis expectatio judicii & ignis æmulationis manebit eos, à quo conſumentur, Ebr.10.v.26.27.

2. *Erga conſervum*, quem duobus modis exagitat, & oſtendit

1. *Duritiam.* Non enim movet ipſum

1. *Debiti exiguitas*, quod centum tantùm denarios concernebat, qui vulgo 16. florenis æſtimantur. Hoc tantillum debitum rigoroſè exigit à conſervo, & dilationem nullam ipſi concedere vult, non revocans ſibi in memoriam decem talentorum millia, quæ Dominus ipſi paulò antè condonaverat.

Tales adhuc multos invenias, qui offenſas proximi valde exaggerant, ſed debitum, quo ipſi Deo obſtricti ſunt, non attendunt, cum tamen inter utrumque debitum nulla planè comparatio poſſit inſtitui, ſiquidem Deus ſummus eſt & infinitus, cujus reſpectu ſumus ut guttula aquæ in relatione ad mare, Eſa.40.v.15. Quid igitur cogitas, ſerve nequam, quod jus tuum adverſus proximum tam ſeverè urges, qui te vel ſemel aut bis offendit, tu verò ſeptuagies ſepties, imò ſeptuagies millies Deum quotidie offendis, & nihilominus Deus tam propitius eſt, ut tibi remittat illud debitum, quando ſupplex ipſi factus te humilias.

Hujus maximæ inæqualitatis conſideratio nos permovere debet ad reconciliationem cum proximo, ut miſericordes ſimus, quemadmodum Pater noſter cœleſtis miſericors eſt, Matth.5.v.45.

2. *Vinculi propinquitas*, quod conſervus eſt. Hoc meritò debebat attendiſſe, ſed non curat. Qualis hodie ſeveritas & immiſericordia paſſim invaleſcit.

Omnes ſumus conſervi, & unum habemus in cœlis Dominum, cui ſoli vindicta

competit. Quare ſimus pacifici, non ulciſcentes noſmet ipſos, ne majeſtatem Dei violemus invadentes opus ipſi proprium, Deut.32. v. 35. potiùs de jure noſtro aliquid cedamus, ut pacem habeamus cum proximo, & Dei filii dici mereamur, Matth. 5. verſ. 45. aliàs pœna non emanebit, Syr. 28. verſ. 3. ſeqq.

3. *Deprecantis humilitas*, quod conſervus ipſum rogat, & dicit: Eſto patiens erga me, & omnia tibi reddam. Sed ille renuit. Caveamus talem rigorem. Qui enim claudit aurē ſuam ad clamorem pauperis, etiam ipſe clamabit, & non exaudietur, Prov.21. v..

2. *Sævitiam*, quæ patet

1. *Ex ſtrangulatione.* Nam ſtatim ubi conſpicit illum, injecta manu ἔπνιγε trücft ihm die Kehl zu/ ſuffocare volens miſerum, niſi è veſtigio ſolvat.

Ecce Vos mei, qualem hic ſervus habeat conſcientiam, quod propter centum denarios ſtrangulare & ſuffocare conſervum non dubitat. Hodie multi ſunt, præſertim inter milites, qui propter unum denarium, quandoque etiam ex mera petulantia non verentur conſervos ſuos in via publica adoriri & trucidare. Sed judicem ſuum aliquando invenient. Qui enim ſanguinem humanum profuderit, ejus ſanguis rurſum profundetur, Gen.9. v.6.

2. *Ex captivatione.* Quamvis enim miſer humiliter deprecatur & ſolutionem promittit, nihil tamen proficit, ſed citra ullum miſericordiæ affectum in carcerem projicitur, donec perſolvat debitum.

Viva imago omnium eorum, qui debitores ſuos quaſi deglubunt, & ad extremas ſæpe anguſtias redigunt, allegantes tritum illud: qui non habet in ære, luat in corpore. Certè Chriſtiana charitas longè aliud requirit, 1.Cor.13. v.4. & ita debemus nos Chriſtiani vitam noſtram inſtituere, ut miſericordia abundet ſupra judicium, Zach.7.v.9. Oſ.6. verſ.1. & quod ipſi volumus, hoc aliis præſtemus, Matth.7,v.12.

De Tertio.

Reſtat *vindictæ inclementia*, quam exaggerat

I. *Servi nequam delatio.* Nam conſervi hæc omnia videntes indoluerunt, inquit Evangeliſta, & Domino ſuo aperuerunt. Per conſervos intelliguntur

1. *Beati Angeli*, qui ſunt adminiſtratorii Spiritus, emiſſi propter eos, qui hæreditare debent vitam æternam, Ebr. 1. v.ult. & conſervi noſtri vocantur, Apoc.22. v.9. Hi accuratè obſervant omnia noſtra dicta & facta, ſi quis deviat à lege, & enormi aliquo delicto conſcientiam ſuam vulnerat, contriſtantur. Si verò ad Deum revertitur peccator & pœnitentiam agit, gaudent & exultant, Luc.15. v.10.

2. *Homines pii*, qui templa ſunt Spir. S. 1.Cor.3. v.16. & ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio civitatis, ingemiſcunt, Ezech.9. v.4. hi gemitus non ſunt irriti, ſed accuſant impios & ad pœnā Deum provocant, Sir.35. v.19.

Caveamus igitur, ne importunitate noſtra aliorum querelas adverſus nos concitemus: Exaudit DEUS clamores pauperis, Job.34.v.28.

II. *Rigoroſa citatio.* Nam accerſivit eum Dominus, inquit Evangeliſta. Hanc citationem nemo hominum effugiet. Si non citaris priùs, citaberis tamen in extremo mortis agone, ibi Diabolus catalogum peccatorum tuorum tibi ob occulos ſuſpendet, & vel minima quæq; in memoriam revocabit,

ut accumulatione peccatorum gratiam divinam extenuare & obnubitare poſſit. Eſt enim fiſcalis infernalis, qui accuſat nos die & nocte, Apoc.12. v.10.

III. *Severa exprobratio*, v.32.33. Hanc audient aliquando omnes, qui jam implacabile odium fovent erga proximum, & reconciliationem nullam admittere volunt. Non ſunt veri Chriſtiani ſed hypocritæ, & ſervi nequam, qui nomen Chriſti habent ad judicium, non ad ſalutem, ut inquit Auguſtinus. Hinc in extremo die non inter oves manſuetas ad dextram, ſed inter hœdos ad ſiniſtram collocati in æternum ignem præcipitabuntur, Matth.25.v.33.41.

IV. *Æterna condemnatio*. Iratus enim Dominus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet, quod debebatur ſibi. His verbis æterna condemnatio deſcribitur, ubi tortura

1. *Ineffabilis*. Nam tortores erunt Diaboli, qui magno cum fremitu, & horribili cum ululatu miſeras animas invadent. Bernhardus dixiſſe memoratur, ſe malle fornacem calidiſſimè ferventem intrare, quàm Diabolum in ſua propria forma videre. Quid verò erit eum tortorem experiri cum ſuis ſociis, quorum brachia ſunt ut capita draconum, quorum oculi ex ſe igneas emittunt ſagittas, quorum dentes ut Elephantis prominent, & ſtimulant ad tormentum ut caudæ ſcorpionum.

2. *Inceſſabilis*, quod indicat particula donec, quâ Chriſtus juxta Chryſoſtomum ſupplicii perpetuitatem denotare voluit. Tamdiu enim punietur, donec reddat, nunquam autem reddet, quod debebat, ſemper ergò punietur, inquit Theophylactus. Non qui torquet fatigabitur, nec quì torquetur aliquando morietur, nulla ibi pax, nulla doloris mitigatio, Eſ.66. verſ.24. Apoc.14. verſ.11.

3. *Innumerabilis*. Nam omnia ſolvere debet, etiam quod antea ipſi condonatum erat, juxta edictum Ezech.18. v.26. Ita damnati graviſſimos dolores ſentient in omnibus membris, quibus contra præcepta divina deliquerunt.

Cor tuum hîc odio flagrat erga proximum, os convitia evomit, oculi ſpirant invidiam, aures obdureſcunt ad deprecationem, manus violentiam intentant, pedes inſidias meditantur, &c. ibi ſingula membra pœnam luent pro debito. Habebis fletum in oculis, ſtridorem in dentibus, fœtorem in naribus, vincula in manibus & pedibus, tormenta in toto corpore. Hoc eſt judicium ſine miſericordia, quod experiuntur omnes illi, qui miſericordiam non fecerunt, Jac.2. v.13.

V. *Chriſti applicatio*, v.35. quæ meritò fulmen & malleus eſſe debet, quo ferrea & ſaxea corda noſtra conterantur & ad reconciliationem impellantur, ſiquidem expreſsè audimus ex ore Chriſti nullam apud Deum ſperandam eſſe peccatorũ remiſſionem, niſi etiam proximo condonemus. Nam remiſſio peccatorum obtinenda eſt per fidem. Jam fides exerit ſe per charitatem, Gal.5. v.6. charitas per fraternam condonationem. Ubi igitur nulla condonatio, ibi nulla charitas, ubi nulla charitas, ibi nulla fides; ubi nulla fides, ibi remiſſio peccatorum etjam locum habere non poteſt. Huc pertinet etiam connexio immediata inter dilectionem Dei & dilectionem proximi, Numer.5. v.6. 1. Joh.4. v.20.21.

Si quis hoc non attendit, ſed pergit in odio quod concepit adverſus proximum, orationem dominicam contra ſeipſum recitat,

tat, quoties recitat, & in quinta petitione debiti, quo Deo obſtrictus eſt, retentionem quotidie ſibi imprecatur. Faxit Chriſtus Jeſus, ut agnoſcamus hoc, & juxta normam à ſe præſcriptam vitam noſtram inſtituamus, Amen.

Dominica XXIII. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 22. verſ. 15. 22.

LEgimus Jud. 15. v. 4. 5. de Simſone, quod ceperit trecentos vulpes, caudasque earum junxerit ad caudas, & faces ligaverit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit in ſegetes Philiſtinorum, & concrematæ ſunt.

Ejusmodi vulpinam ligam cernimus etjam in hodierno Evangelio, quam Phariſæi & Herodiani inter ſe cudunt adverſus Chriſtum. Caudis quidem colligati ſunt, & conſilia ad unum ſcopum, nempe ad Chriſtum, ejusdemque cœleſtem doctrinam exterminandam comportant, ſed capita diſcordant, hoc eſt, in fidei & vitæ profeſſione, totis quod dicitur caſtris diſſident, & vatiniano ſe invicem odio proſequuntur.

Quemadmodum autem vulpes Simſonis eodem igne, quo Philiſtinorum ſegetes incendebant, ſibi ipſis incendium concitabant: Idem accidit Phariſæis & Herodianis in prælecta pericope, quod ipſi in foveam cadunt, in quam Chriſtum præcipitare volebant, & ita confunduntur in aſtutia ſua, ut ipſo omiſſo tacitè ſecedant, & nihil reſpondere poſſint.

Videbimus hiſtoriam ipſam, quæ duabus partibus abſolvitur, ut ſunt:

I. *Captioſa quæſtio.*

II. *Ingenioſa reſponſio.*

J. J.

EXEGESIS.

NOn ſine cauſa Diabolus Eſa. 27. v. 1. appellatur ſerpens directus & tortuoſus, quia quod agit, non tantùm apertâ vi agit, ſed quandoque in angelum lucis ſe transformat, 2. Cor. 11. v. 14. & ungues lupinos ſub ovina pelle occultat, per tortuoſas vias falſæ doctrinæ & perverſæ vitæ ſaluti hominum inſidias ſtruens, quod in Paradiſo cœpit, in ipſo Chriſto exercuit, & adhuc hodie continuâ praxi exercet.

Exemplum habemus in prælecta pericope, ubi ex inſtinctu Diaboli Phariſæi coeunt & deliberant, quâ arte & aſtutia Chriſtum in ſermone capere velint, ubi tria potiſſimùm conſideranda veniunt:

I. *Deliberatio*, cujus hîc deſcribitur

1. *Auſpicium*. Nam *Tότε*, inquit Evangeliſta, tunc abeuntes Phariſæi conſilium cœperunt, quo reſpicit ad præcedentia, ubi Chriſtus ex paterno planè affectu, debito tamen zelo ingratitudinem Phariſaicæ cohortis redarguerat, recitata parabolâ de nuptiis regiis & ſumma malitia invitatorum hoſpitum. Animadvertebant Phariſæi, ſibi hoc dictum eſſe, ideoque irâ infrementes, id quod ſalutis ipſorum cauſa prolatum erat, malitioſis conſiliis retundere conatur.

Videmus hîc quaſi in ſpeculo miram humanarum mentium perverſitatem. Quando Deus per ordinarium miniſterium caſtigat notoria

notoria ſcelera, ſæpe fit, ut quibus hæc caſtigatio ſalutaris medicina eſſe debebat, illâ deteriores fiant. Ita verbum Evangelii, quod per ſe eſt potentia ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. fit multis odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2. v. 16.

2. *Artificium.* Callidè enim rem aggrediuntur, & ſicut aucupes retia ſua occultare ſolent, ut aves eò citius advolent: Ita quoque Chriſto retia tendunt, & fuco hypocriſeos colorant; ut ſcopum ſuum eò facilius aſſequantur, quod vocabulo παγιδεύειν Evangeliſtæ ſatis innuunt.

Hoc eſt ingenium omnium hoſtium Eccleſiæ, ut quò non poſſunt pertingere leonina, ibi vulpinam aſſumant, ut vox ſit Jacobi, manus verò Eſavi, Gen. 27. v. 22. Requiritur ergò à noſtra parte prudentia Chriſtiana, Matth. 10. v. 16. ne fidamus ipſis exemplo Chriſti, Joh. 2. v. 24. ſed Deum ſeriò oremus, ut conſilium Ahitophelis infatuet, 2. Sam. 15. v. 31.

3. *Collegium*, homines nimirũ, qui conveniunt ad capiendum hoc conſilium. Iſti ſunt Phariſæi, ut Evangeliſta in principio textus ſtatim indicat, qui clavẽ ſcientiæ & palmam ſanctitatis ſibi præ aliis arrogabant, hi convocant concilium, non ſecus ac de religione vehementer eſſent ſolliciti, ſed interim conſpirant in necem Chriſti, & retia texunt, quibus innocentem illaqueent, qualia concilia hactenus ſæpe congerunt Pontificii, quibus Auguſtanã confeſſionem, pacem religionis, & pacificationem Paſſavienſem explodere & enervare conati ſunt, ut fundamenta deſtruerent, & juſtum poſteà eò meliùs opprimere poſſent, Pſ. 11. v. 3. Sed Chriſtus diſſipavit iſta conciliabula, ut quadret in illos quod David canit Pſ. 21. v. 12. Conſilia fecerunt, quæ non potuerunt in effectum producere.

II. *Legatio.* Nam emiſerunt ad illum, inquit Evangeliſta,

1. *Diſcipulos ſuos*, qui ob juvenilem ætatem audacia & impudentia magiſtris ſuis ſuperiores erant, ut ſi res malè ſuccederet, obvertere poſſent ſuo conſilio hæc non eſſe geſta, ſin verò ex animi ſententia cederet, glorioſior eſſet Victoria à tanto magiſtro per diſcipulos reportata.

Eluceſcit hinc veritas Adagii: κακῦ κόρακος κακὸν ὠὸν qualis Rex, talis grex, qualis Præceptor, talis etiam diſcipulus. Phariſæi erant hoſtes Chriſti ἄσπονδοι, & doctrinam cœleſtem voce & manu impugnabant, tales etjam ſunt diſcipuli eorum. Videant igitur parentes, ut pios, & ſinceræ religioni addictos Præceptores ſuis liberis eligant, qui cum lacte materno pietatem ante omnia ipſis inſtillent, & non Calvinianis aut Jeſuitis informandos tradant. Hoc eſt filios ſuos Molocho immolare, quod Judæi ab ethnicis didicerant.

2. *Herodianos.* Hoc partim officii nomen eſt, deſignans Herodis aulico tributa colligentes: partim ſchismatis eorum, qui novam quandam cum Herode religionem ex Judaiſmo & Paganiſmo conflarant, ut meminit Epiphanius & Tertullianus. Hæc duo genera hominum aliàs hoſtes erant infenſiſſimi, & non ſolùm in religione, verùm etiam in vita & moribus toto cœlo diſcrepabant, ſed hîc ubi contra Chriſtum actio eſt, unanimi conſenſu conſpirant.

Hic mos eſt hujus ſeculi, ab origine mundi ſemper obſervatus. Ita Pilatus & Herodes amici fiunt, cum Chriſtus interficiendus eſt, Luc. 23. v. 12. Adhuc hodie conſpirant Jeſuitæ & Calviniani, qui toto alioquin cœlo & zelo, ut quidam præ ſe ferunt, diſſident, quando majeſtatem CHRISTO homi-

Digitized by Google

ni communicatam impugnare ſatagunt.

Noſtrum eſt vinculum pacis & fidei inviolatum ſervare,& conjunctis precibus hoſtium conatus infringere. Nam conſenſus veræ doctrinæ & interitus Satanæ, inquit Athanaſius, & vis precum unita non caret pondere, ſed magnam habet efficaciam, Jacob.5.v.16. Matth.18.v.19.

III. *Compellatio*, quæ habet

1. *Exordium* plauſibile,v.16. Tribuunt enim Chriſto

1. *Laudem ſcientiæ*, didaſcalum appellãdo, ex mera tamen hypocriſi, nam diſcipuli ejus eſſe nolebãt, ut ait Chryſoſtomus, interim coram populo, qui Chriſto adhærebat, titulum hunc ipſi tribuunt, ut fucum faciant ſimplicioribus, quaſi de Chriſto & ejus doctrina ipſi quoque dextrè ſentirent. Viva imago omnium Pſeudo-Doctorum, qui ad decipiendos & infatuandos ſimpliciores orthodoxos etiam Patres aliosq; ſinceros Doctores ſuos Magiſtros & Præceptores ſalutant, & conſenſum cum Luthero & Auguſtana confeſſione plenis buccis deprædicãt, quod jam temporeApoſtolorũ fieri ſolebat, ut apparet ex 2.Theſſ.2. v.2. & 2.Cor.11. v.13.

2. *Laudem veriloquentiæ*. Scimus, inquiunt, quod ſis verax, & viam Dei in veritate doces. Hanc confeſſionem propria ipſis dictavit conſcientia, quâ convicti erant, id quod exſertis verbis Nicodemus Chriſto in aurem fatetur, Joh.3.v.2. nimirum veritas claudi & largiri poteſt, vinci non poteſt, ſed ex ſingulari diſpoſitione Dei, hi interdum, qui veritatis inimici ſunt, confeſſores evadunt, & ſuâ linguâ eam deprædicant, ut Chryſoſtomus alicubi ſcribit.

Diſcant igitur Paſtores Eccleſiæ, ut ad exemplum Archi-Epiſcopi ſui veraces ſint, nec adulterent verbum Dei, ſed maneant in ſimplicitate verbi, & cum Chriſto orent: O Pater ſanctifica nos in veritate, ſermo tuus veritas eſt, Joh.17.v.17. ita viam Dei in veritate docebunt, & ſalvum facient non tantùm ſe, verum etiam omnes qui audiunt ipſos, 1. Tim.4.v.16.

3. *Laudem confidentiæ*. Nam perſonas, inquiunt, non reſpicis, καὶ ȣ̓ μέλει σοὶ περὶ ȣ̓δενὸς, & non curas quenquam. Talis παῤῥησία ab omnibus Eccleſiæ miniſtris requiritur, ut animo præſente & corde imperterrito officium ſuum adminiſtrent, nec verbum ad nutum & placitum hominum inflectant, ſed dicant quod dicendum eſt, magnis & parvis abſque ullo reſpectu perſonarum. Qui enim mundo placere ſtudet, ſervus Chriſti eſſe non poteſt, Gal.1.v.10.

Id fecit Elias, 1. Reg. 18. v. 18. Nathan, 2.Sam.12.v.7.ſeqq. Joh. Baptiſta, Matth.14. v.4. quorum veſtigia omnes pi & fideles ſervi Chriſti adhuc hodie premere debent. Fremat mundus quantum poteſt, & vel exilio, vel marte, vel morte παῤῥησίαν hanc reprimere conetur, non tamen cedat pius miniſter vel latum unguem. Oportet enim Deo magis obedire quàm hominib⁹, Act.5.v.29.

II. *Dilemma fallibile*. Nam quid tibi videtur, inquiunt, liceatnè cenſum Cæſari dare aut non? Quæſtio hæc erat in populo Judaico tum temporis maximè controverſa. Præceperat Deus in lege ſua Exod.30.v.13. ut quilibet in populo Iſraelitico, ſi ad annum ætatis vigeſimum perveniſſet, dimidium ſicli argentei in templum afferret, quæ pecunia reponebatur in gazophylacium, & impendebatur ad ædificationem templi & conſervationem cultus divini. Sed ubi Romanus Imperator Judæam haberet tributariam, inter alia onera complura Judæis hoc etiam impoſuit, ut ſiclum illum, qui erat quadrans thaleri,

leti, non amplius in Templi gazophylacium, ut hactenus ſolebant, ſed in ærarium Cæſaris reponerent. Hoc valde mordebat Judæos, volebant enim eſſe populus liber, ſicut gloriantur Joh.8.v.33. & ſæpe conati ſunt motis ſeditionibus jugum Romanũ excutere, ſed fruſtra. Menſura iniquitatis ipſorum impleta erat propter præcedentia peccata, hinc ex juſto Dei judicio ſiclus ſanctuarii Romano Imperatori ceſſit, ut propriâ ipſorum pecuniâ milites præſidiarios aleret, quibus libertas Judæorum, quam ſemper adhuc ſomniabant, infringeretur.

Quanquam autem vi externâ contra Romanos nihil valebant, tamen illam quæſtionem in converſatione cum Cæſarianis ſemper urgebant & ventilabant, & conſultum ducunt, hanc ipſam Chriſto etiam proponere in forma ſyllogiſmi, qui cornutus in Scholis dici ſolet, quia ex utraque parte ferit, hoc modo: Aut dandus eſt Cæſari cenſus, aut non dandus. Si reſpondiſſet Chriſtus, dandum eſſe, præſentes erant Phariſæorum diſcipuli, qui cum populo contrarium ſentiebant & ſine dubio contra ipſum tanquam proditorem patriæ libertatis ſeditionem moviſſent. Si verò reſpondiſſet non dandum eſſe, præſentes erant Herodiani, qui correptum ſtatim tanquam reum criminis læſæ majeſtatis ad Herodem ipſum deduxiſſent. Sin autem tacuiſſet, hypocriſeos ipſum inſimulaſſent, qui propter metum hominum veritatem proloqui non auderet. Hæc ſunt retia, quibus Phariſæi Chriſtum illaqueare confidebant.

Nos eandem cum Judæis hoc tempore pœnam experimur. Nemo fuit tempore pacis, qui ſiclum ſanctuarii ad cultus divini conſervationem, templorum & ſcholarum reparationem, pauperum item & miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem expendere voluit. Hinc jam cedit fiſco, quod non dedimus Chriſto, ſiquidem milites noſtrâ pecunia ſcribuntur & ſuſtentantur, qui minis & verberibus nos perſequuntur, ſcilicet hæ gratiæ ſunt, quas pro ſolutione ſtipendii nobis perſolvunt. Juſtus eſt Deus nolite irridere, Gal.6.v.7. quid faciamus? rebellemur cum Judæis? minimè. Prometiti ſumus pœnam hanc peccatis noſtris. Ergo portate, Vos mei, portate iram Domini, judicabit ipſe cauſam noſtram, Mich. 7.v.9. & non dabit in æternum fluctuationem juſto, Pſ. 55.v.23.

De Secundo.

FUit captioſa Phariſæorum quæſtio, ſuccedit *ingenioſa Chriſti reſponſio*, quæ tribus membris abſolvitur, ut ſunt:

1. *Dura increpatio.* Quia enim malitiam Phariſæorum ſibi ſatis cognitam & perſpectam habebat, blanditias verborum nihil curat, ſed quod corde ſentit, in conſpectu totius populi profatur, & hypocritæ, inquit, quid me tentatis? ut ipſo facto demonſtret, ſe non curare quenquam, quo ipſum elogio modò ipſorum diſcipuli exornaverant, & verum eſſe καρδιογνώστην, qui intima cordis penetralia exploret, & ſciat quid ſit in homine, Joh.2.v.25.

2. *Denarii perluſtratio.* Poſtulat enim numiſma, quod tum temporis apud Judæos in uſu erat, & imaginem impreſſam ipſis oſtendens, cujus eſt hæc imago, inquit, & inſcriptio?

Habebat aliàs ſiclus ſanctuarii peculiarem ſuam imaginem & inſcriptionem, cum adhuc avitâ libertate fruerentur Judæi. In uno latere expreſſa erat virga Aaronis cum inſcriptione: Jeruſalem ſancta: In altero verò caliculus cum thuribulo in memoriam ſacri-

ſacrificiorum & Sacerdotii Levitici, cum inſcriptione: Siclus Iſraelis. Hanc monetam abrogaverant Romani, & jam ipſi cudebant pecuniam, quæ ſuorum Imperatorum imagines præ ſe ferebat, in teſtimonium plenariæ poteſtatis quam obtinebant in univerſa Judæa. Proinde Chriſtus ad imaginem perluſtrandam Judæos compellit, ut agnoſcant inde, quod jura ſua amiſerint, & tempus Meſſię appropinquaſſe luculenter ſatis perſpiciunt, ſed illi negligũt hæc omnia, & de Politica libertate tantùm cogitant.

Idem accidit quoque ultimis hiſce temporibus. Augentur preſſuræ, audiuntur ubique bella & bellorum rumores, ſigna noviſſimi diei quotidie conſpiciuntur, & tamen pauci cogitant de adventu Chriſti, ſed pergunt in peccatis, & in corradendis divitiis omnem operam collocant, contra admonitiones Chriſti, Luc.21.v.34.

3. *Nervoſa confutatio.* Poſtquam enim reſpondent, imaginem Cæſaris eſſe, propria confeſſione ipſos jugulat, & date, inquit, Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, Deo autem, quæ ſunt Dei, q.d. quia utimini moneta, Cæſaris imaginem & inſcriptionem habente, ideò ſubjectos ei vos agnoſcite, ſubjectio illa Dei ſervitium non impedit, ſed nihilominus Deo dare poteſtis, quod Deo debetur. Hoc reſponſo ita confunduntur, ut admirati ſapientiam Chriſti, cum alto ſilentio recedant, & quod Lucas addit c.20. v.26. non potuerunt verbum ejus reprehendere coram populo.

Apparet hinc quodnam ſit officium noſtrum

I. *Erga majeſtatem terreſtrem*, cui debetur

1. *Tributum amoris*, ut bene affecti ſimus erga ſuperiores noſtros, & damnum ſi quod ipſis impendet, quantum in nobis eſt, ſtudioſè præcaveamus, præſertim orationi noſtræ eos ſemper includamus, quod fieri jubet Apoſtolus 1.Tim.2.v.1.2.

2. *Tributum honoris*, ut agnoſcamus Magiſtratum eſſe ſanctam & auguſtam Dei ordinationem, Rom.13. verſ.1. Unde Dii appellantur, Pſal.82.v.6. Huc pertinet cenſus & vectigal, quod ad autoritatem Magiſtratus conſervandã & ſtabiliendam Deus ſubditis perſolvendum injunxit, Rom.13. v.7. Cui legi ſe Chriſtus ipſemet ſubjecit, Luc.2.v.4.5. Matth.17. v.27. quæ ἀταξία foret, ſi Magiſtratum non haberemus, ideam vide Jud.21.v.25. Perſæ quod memorant hiſtoriæ, Rege mortuo per dies quinq; electionem diſtulerunt, & interim unicuiq; licentiam quidvis agendi dederunt, ut ex illa confuſione intelligeretur, quantum bonum ſit magiſtratus. Ergò honoremus magiſtratũ, ſub cujus umbra placidam & tranquillam vitã ducere poſſumus, 1.Tim.2.v.2.

3. *Tributum timoris*, quo ſubjectio denotatur, Rom.13. v.1. 1.Pet.2.verſ.13.14. hanc debemus Magiſtratui, ſed non niſi ad aras. Nam quando Magiſtratus aliquid præcipit, quod pugnat contra legem Dei, dicendum eſt cum Auguſtino: Da veniam Imperator, tu carcerem, Deus gehennam minatur. Huc quadrat admonitio Chriſti: nolite timere eos, qui corpus occidunt, & animam occidere non poſſunt. Timete autem eum, qui corpus & animam in infernum detrudere poteſt, Matth.10.v.28.

II. *Erga majeſtatem cæleſtem.* Huic debemus

1. *Cenſum membrorum.* Cordis, Deut. 6.v.5. linguæ, Pſ.34. v.2. Pſ.50. v.14.91. v.15. Oſ.14. v.3. Ebr.13. v.15. aurium, Joh.10. v.27. oculorum, Pſal.121. v.1.

2. Con-

2. *Cenſum bonorum.* Quid enim poſſidemus, quod ab ipſo non habemus? 1. Cor. 4. v. 7. dicamus igitur cum Davide 1. Chr. 30. v. 11. 12. Tua Domine ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dabimus tibi. Hoc fit, quando aliquid conferimus de ſubſtantia bonorum temporalium ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, ſcholarum, pauperum, exulum, &c. Hoc æquè neceſſarium tributum eſt, ac illud, quod magiſtratui politico exſolvere teneris, juxta expreſſa Scripturæ dicta, Gal. 6. v. 6. 1. Cor. 9. v. 11. 13. 14. & alibi paſſim.

3. *Cenſum laborum.* Sex dies homini conceſſit Deus, quibus opera vocationis ſuæ perficere poteſt, & ſeptimum conſecravit tanquam cenſum ſibi perſolvendum, ut quieſcat homo in die illo ab operibus externis, & Deo cultum ſuum præſtet. Qui facit, benedictionem divinam experietur, Lev. 26. v. 2. ſeqq. qui non facit, vindictam divinam non evitabit. Jer. 17. v. 27. Amos 8. v. 5. 8. 10. 11. hiſce abrumpimus. Faxit Deus T. O. M. ut juxta normam hujus concionis vitam noſtram inſtituamus, & dirigamus per Chriſtum Salvatorem noſtrum, Amen.

Dominica XXIV. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 9. verſ. 18. 26.

IN V. T. mulier fluxu ſanguinis laborans immunda pronunciatur, omnis qui tetigerat eam, immundus erat usque ad veſperam, & quicquid erat, & ſuper quo dormierat vel ſederat, diebus ſeparationis ſuæ polluebatur, Lev. 15. v. 19. 20. 21. parem legem habebant Judæi de mortuis, Num. 5. verſ. 2.

Sed Chriſtus in hodierna pericope tangi ſe patitur à muliere hæmorrhouſa, qui & ipſe tangit defunctam Jairi filiam, ut oſtenderet ſe eſſe Dominum Legis, Marc. 2. v. 28. in quo unicum contra ſpiritualem immunditiem remedium nobis reperire liceat, ſiquidem purgationem peccatorum noſtrorum fecit per ſeipſum, Ebr. 1. v. 3. & non ſolùm in baptiſmo, ſed cumprimis etiam in cœnæ Sacramento nobis ſanguinem ſuum communicat, quo conſcientiæ noſtræ emundantur ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi, Ebr. 9. v. 14.

Partes Evangelii duæ ſunt:

I. Puellæ reſuſcitatio.

II. Hemorrhouſæ ſanatio. J. J.

EXEGESIS.

DE pinguibus quosdam adducam, dixit Dominus Pſ. 68. v. 23. hoc impleri cœpit tempore Chriſti. Gloriabantur quidem Phariſæi, Joh. 7. v. 48. nunquid ex Principibus aliquis in eum credit, præter turbam hanc, quæ non novit legem & maledicta eſt. Sed contrarium apparet ex tota Evangelica hiſtoria, ex qua ſine cumulatione exemplorum aliorum deprehendimus, quod in una civitate Capernaum tres inſignes Patronos per Evangelii prædicationem ſibi conciliaverit. Primum ex regia familia Herodis, Joh. 4. v. 47. Secundum ex Cæſareanis, Matth. 8. v. 5. Tertium ex Judæis, hunc ipſum nimirum Archi-Synagogum, qui per mortem filiolæ ſuæ ad eum compellitur, & reſuſcitationem anxiè ſollicitat. Duo igitur potiſſimùm hîc conſideranda occurrunt:

Digitized by Google

I. *Patris querela.*
II. *Chriſti medela.*

Querelam Patris quod attinet, eſt illa

I. *Memorabilis*, & quidem bifariam,

1. *Ratione deferentis*, qui fuit ἄρχων τῆς συναγωγῆς, ut Lucas Matthæum explicat c. 8. v. 41. Quanquam enim Judæi unicum duntaxat templum habebant, nimirum Hieroſolymitanum, in quo preces, ſacrificia & oblationes ſuas Domino offerebant, Deut. 12. v. 5. 6. in præcipuis tamen oppidis habuerunt etiam ſuas Synagogas, in quibus ſingulis Sabbathis prælegebantur Moſis & Prophetarum Scripta, Act. 15. v. 21. qui verò Synagogis his præerant, Principes Synagogæ dicebantur, quibus hoc ratione officii incumbebat, ut diligenter attenderent, quo omnia in cultu divino decenter & ordine peragerentur. Talis etiam fuit hic ἄρχων, quem Marcus & Lucas Jairum appellant, quod ſi interpreteris, illuminatum ſignificat.

Evangeliſtæ incipiunt hanc hiſtoriam vocula Ecce, quaſi admirabundi, quia ut ſupra etiam tetigimus, tales Archi-Synagogi in ſchola Chriſti raræ aves fuerunt, & qui convertebantur, ex ſingulari providentia & bonitate divina adducti ſunt.

Unde fluit hoc doctrinale, quod Deus ex omni hominum genere ac ordine ſibi colligat eccleſiam, etiam ex medio, inter quos dominatur, inimicorum, Pſ. 110. v. 1. apud Deum enim non eſt reſpectus perſonarum, Act. 10. v. 34. Gal. 3. v. 28.

2. *Ratione mali incumbentis*, quod eſt mors unicæ ipſius filiolæ, quæ annos duodecim nata, adeoque in ipſo ætatis flore conſtituta erat. Marcus dicit, quod fuerit in extremis, c. 5. v. 23. Lucas ἀπέθνησκεν moriebatur, c. 8. v. 42. nulla tamen hîc contrarietas. Jairo domo exeunte & ad Chriſtum contendente filia in agone fuit, ſed interim dum viam illam ſuſcipit & perficit, moritur, propterea Marcus & Lucas recenſent, quod domeſtici ejus venerint ipſi obviam, dicentes: Noli amplius moleſtus eſſe Magiſtro, filia tua jam mortua eſt.

Eluceſcit hinc

1. *Summa crucis utilitas*, quam non immeritò Nazianzenus pharmacum ſalutis appellat, quia nos ad Chriſtum deducit. Chriſtus jam ultra annum Capernaum docuerat, & multa inſignia miracula ibi patraverat, ſed Jairus noluit venire, & fortè nunquam veniſſet ad Chriſtum, niſi morbi ſævitia, quo filia laborabat, ipſum coegiſſet, & domo quaſi expuliſſet: Nimirum facit Deus quandoque opus alienum, ut faciat proprium, Eſa. 28. v. 21. nam vexatio dat intellectum, Eſa. 28. v. 19. & quando caſtigamur, tunc in anguſtia Dominum requirimus, Eſ. 26. v. 16.

2. *Vitæ humanæ fugacitas*, quam puella hæc duodecim annorum ſuo exemplo comprobat. Ecce enim moritur in ipſo flore, quod probè notent puellæ omnes, præſertim eæ, quæ alamodico veſtium ornatu delectantur, & extento gutture ambulant, tripudiantes inter eundum, & ſtrepitum crepitaculorum excitantes, Eſa. 3. v. 16. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos campi, Eſa. 40. v. 6. mors non attendit juveniles annos, aut pretioſas veſtes, quibus exornata es, ſed rapit ſine diſcrimine, tam qui utuntur hyacintho & coronam portant, quam infimum quemque, ſi vel lino crudo operiatur, Sir. 41. v. 4. vide igitur ut pietate & modeſtia cumprimis te exornes, 1. Tim. 2. v. 9. 1. Pet. 3. v. 3. 4. Tunc concupiſcet aliquando Rex cœleſtis decorem tuum, Pſ. 45. v. 12. & in cubiculum ſuum æternæ beatitudinis te introducet, Cant. 1. verſ. 4.

II. *Imitabilis*, ſi ſpectes

1. *Paternam charitatem*, quâ filiam ſuam complectitur, ut ipſe per pedes ad Chriſtum properet, & ſtatum ſuum afflictiſſimum ipſi exponat. Tales στοργὰς implantavit Deus Parentibus, ut labores & moleſtias, quas educatio liberorum requirit, eò libentius ſuſciperent, & nos etiam ex illis cognoſceremus, quanta ſit Dei erga nos dilectio, juxta dicta, Pſ.103.v.13. Eſa.49.v.15. Jer.31.v.20.

Hoc tamen obſervarunt veteres, quod multa quidem in ſacris occurrant exempla parentum, qui pro liberis intercesſerunt, nulla autem liberorum pro parentum incolumitate ſollicitorum. Sed teſtatur potius experientia, liberos ut plurimùm parentes ſenio confectos negligere, & mortem ipſorum avidè deſiderare, ut bonis tandem potiantur, eademque pro lubitu dilapidare poſſint. Hoc non eſt ἀντιπελαργεῖν, quod Paulus requirit, 1. Tim. 5. v. 4. & pugnat contra 4. præceptum, quod Sirach egregiè explicat, & pœnam appendit, qua tales liberos manere ſolet, c.3. v.3. ſeqq.

2. *Inſignem humilitatem*. Nam procidit ad pedes Chriſti, ut Marcus habet, & adoravit eum, qui mos apud Sanctos V. T. fuit uſitatiſſimus, ut precantes vel proni in faciem ceciderint, exemplo Moſis & Aaronis, Num. 16. v. 4. 22. vel ſuper terram jacuerint exemplo Davidis, 2. Sam. 12. v. 16. vel etiam in genua proſtrati, & manibus in cœlum levatis preces ſuas fuderint, ut Salomo, 1. Reg. 8. v. 22. & Daniel, c. 6. v. 10. Geſtus ejusmodi pii ſunt & laudabiles, quos adhuc hodie inter Chriſtianos obſervari decorum eſt. Quoties enim genua flectimus & rurſum erigimus, reipsâ oſtendimus, quod propter peccatum in terram delapſi, & propter benignitatem ejus, qui condidit nos, ad cœlum revocati ſumus, inquit Baſilius. Humilitas ea Deo placet, & ad miſericordiam ipſum permovet, Judith. 9. v. 13.

3. *Auxilii veritatem*. Nam ad Chriſtum properat, non ad Magos, Pythones, Aruſpices & alios id generis Satanæ complices, ut Saul, 1. Sam. 28. v. 7. & Ahaſia, 2. Reg. 1. v. 2. in Chriſto enim depoſuit Pater omnem plenitudinem, ut nos acciperemus gratiam pro gratia, Joh. 1. v. 16. Ergò in omnibus neceſſitatibus rectà ad illum properemus, dicentes cum Joſaphato 2. Chron. 20. v. 12. Domine, quum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros ad te dirigamus. Tu Medicus noſter, Exod. 15. v. 26. verbum tuum omnia ſanat, Sap. 16. v. 12. qui verò aliũ ſectantur, multiplicant dolores ſuos, Pſ. 16. v. 4.

Hæc de Patris querela, ſequitur nunc Chriſti medela, quæ eſt

1. Promptiſſima. Statim enim ſurgit & ſequitur eum cum diſcipulis ſuis. Non exprobrat eis hoſtiles collegarum animos, ſed reipſa oſtendit, hunc eſſe cibum ſuum, id eſt, tàm gratum ſibi eſſe, ac cibus eſt homini famelico, ut faciat voluntatem patris ſui, Joh. 4. v. 34. & neminem ad ſe venientem vellé foràs ejicere, Joh. 6. v. 37.

Affectum hunc ad dextram Dei exaltatus non depoſuit, ſed æquè paratus eſt adhuc hodiè ad ferendum nobis auxilium, Ebr. 4. v. 15. 16. non opus eſt ſanctorum patrocinio, ut Chriſtum demereamur. Ipſe animam ſuam pro nobis poſuit, Joh. 10. v. 12. & λύτρον dedit, Matth. 20. v. 28. 1. Tim. 2. v. 6. tantum nullus ſanctorum in nos impendit, Ergò etiam majori dilectione quàm ullus Sanctorum nos proſequitur, Joh. 15. v. 13. imò ad dextram Patris eſt, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

Digitized by Google

Noſtrum erit hanc juvandi promptitudinem imitari, & omnes, qui noſtrâ ope indigent, eâdem facilitate ſublevare, nam fides per charitatem efficax eſt; Gal. 5. v. 6. charitas autem nō defatigatur, 1. Cor. 13. v. 8.

2. *Suaviſſima.* Poſtquam enim venit in ædes Jairi, & videt tibicines, qui pro more gentis Judaicæ carmina lugubria decantabant, nec non turbam flendo & plangendo θορυβόμενον tumultuantem quaſi, & confuſo clamore latè omnia complentem, ſecedite, ait, puella non eſt mortua, ſed dormit. Puella quidem verè erat mortua, ſed in conſolationem parentum mortem Chriſtus ſomnum appellat, ut credant, ſibi tam facilè eſſe reſuſcitare mortuos, quàm facilè nobis eſt è ſomno excitare dormientem, quæ appellatio in Scripturis non eſt infrequens. Confer 2. Sam. 7. v. 11. Eſ. 26. v. 19. Dan. 12. v. 2. Joh. 11. v. 11. 1. Theſſ. 4. v. 13.

Comparatur autem mors ſomno

1. *Propter originis paritatem.* Somnus oritur ex vaporibus ventriculi ad cerebrum elevatis, qui nervos occupant, & ſenſuum operationes impediunt: Ita poſtquam primi parentes de fructu vetitæ arboris comederunt, venenatus quidam vapor omnia non ſolum ipſorum, ſed etiam poſterorum membra occupavit, ut omnes cogantur in morte obdormiſcere, Rom. 5. v. 12.

2. *Propter oppreſſionis communitatem.* Quando dies inclinat & nox ingruit, cubitum itur, & nemo eſt ſub ſole, qui ſomnum effugere, eoque carere poſſit; ita omnibus decretum eſt ſemel mori, Ebr. 9. v. 27.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas

Regumq; turres, inquit Horatius, hinc domus conſtituta dicitur omni viventi, Job. 30. v. 23.

3. *Propter indiviſam celeritatem.* Somnus præter cogitationem homini ſubrepit, etiam tum, quando ſibi vigilare firmiter proponit: ita mors homines diuturnam ſibi vitam pollicentes, invadit, Luc. 12. v. 20.

Mors certa eſt, incerta dies, hora agnita nulli.

Sicut piſces capiuntur hamo, & aves laqueo, ita mors quoque homines obruit, nil quicquam tale cogitantes, Eccl. 9. v. 12. hoc agnovit patriarcha Iſaac, Gen. 27. v. 2. & nos etiam debemus agnoſcere, ut quotidie ingeminemus cum Davide, Pſ. 39. v. 6.

4. *Propter recreationis ſuavitatem.* Somnus vires recreat, membraque feſſa levat, ita ut qui ſuaviter dormit, nec cœli tonitrua, nec hominū tumultuantium clamores exaudiat: Eodem planè modo, qui in Domino moriuntur requieſcunt ab omnibus hujus vitæ miſeriis & moleſtiis, Ap. 14. v. 13. & in pace degunt, Sap. 3. v. 3. Eſa. 57. v. 2. propterea abſcondit ipſos Deus in cubilibus ſuis, donec pertranſeat indignatio, Eſa. 26. v. 20. tunc prodibunt iterū, & Deo ſervient alacriter in templo ſuo, Ap. 7. v. 15. Sicut hi, qui conſumptis ſtomachi vaporibus manè vegetiores ad munia ſua peragenda ſurgunt, Pſ. 104. v. 22. 23. adde 1. Cor. 15. v. 42. ſeqq.

5. *Propter excitationis facilitatem:* Somnus non extinguit hominem, ſed corpus tantùm ad tempus in quiete detinet, hinc vel voce vel tactu facilè ſuſcitari poteſt: Ita mors hominem non planè abolet, ſed corpus tantùm necat, anima verò immortalis eſt, proinde Chriſto facilimum erit in extremo die corpora noſtra ſuſcitare, quando dicet: ſurgite mortui, venite ad judicium, omnes ſtatim procedent, Job. 5. v. 28. & rurſus circumdabuntur pelle ſua, Job. 19. v. 26. Hinc Auguſtinus: Nemo, inquit, tàm facilè

ſuſcitat

Digitized by Google

ſuſcitat jacentem in lecto, quàm Chriſtus mortuum ex ſepulchro. Ipſe enim eſt reſurrectio & vita, Joh. 11. v. 25. hoc eſt; non ſolùm ipſe reſurrexit, ſed etiam nos ipſius virtute reſurgemus, Joh. 14. v. 19.

Reſultat ex hac comparatione

I. *Exhortatio.* Quia enim rarò de morte cogitamus, ideò perpetuum aliquod memoriale in ſomno Deus nobis proponere voluit, ut quoties veſperi cubitum imus, veſtes deponimus, lectum conſcendimus, oculos claudimus, &c. cogitemus, quod in his omnibus mors nobis præfiguretur, ubi veſtimentum corporis deponimus, 2. Cor. 5. v. 1. ſepulchris inferemur, quæ cubilia appellantur, Eſ. 57. v. 2. oculos claudemus, & omnium membrorum, uſum quaſi abdicabimus. Hoc qui facit, benè aliquando beateq; mori poteſt cum Simeone, Luc. 2. v. 29.

II. *Conſolatio*, ne ſuper obitu noſtrorum lugeamus, quemadmodum Ethnici. Non enim mortui ſunt, ſed cum hac puella dormiunt, & ab omni miſeria, curis & moleſtiis mundanis ſuaviter quieſcunt. Spiritus interim in manu Dei eſt, ubi tormentum non ſentit, Sap. 3. v. 1. Quis invideret ipſis hanc quietem? O poſſidete animas veſtras in patientiâ, optimi parentes, liberis veſtris benè eſt. Non revertuntur ad vos in hanc vitam, hoc tamen agite, ut ad illos tandem aliquando transferamini, 2. Sam. 12. v. 23.

III. *Dehortatio.* Non omnibus ſuavis obtingit ſomnus, qui enim macerant ſe curis, gravantur laboribus, vel etiam premuntur onere malæ conſcientiæ, illi inquietè dormiunt: ita quoque hominibus impiis mors non eſt ſuavis ſomnus, ſed potius æternæ mortis præludium. Abibunt enim ad progeniem patrum ſuorum, & uſque in æternum lumen non videbunt, Pſ. 49. v. 20.

3. *Abjectiſſima.* Deridetur enim à populo, quod etiam Paulo accidit, cum articulum de reſurrectione mortuorum Athenienſibus proponeret, Act. 17. v. 32. tales empactæ adhuc inveniuntur; etiam in gremio Eccleſiæ; qui articulum hunc ſincerè non credunt, ſed cachinnis excipiunt conciones quæ inſtituuntur de reſurrectione, de judicio extremo, de inferno, de vita æterna, &c. Sed expellentur tandem cum his deriſoribus ex domo Jairi, id eſt, ex cœleſti tabernaculo, & cum æterna confuſione & ignominia in lacum infernalem detrudentur, ubi Chriſtus iterum deridebit eos, Pſ. 2. v. 4. Prov. 1. v. 26.

4. *Certiſſima.* Mox enim ubi turba ejecta eſt, aſſumpto Petro, Jacobo, & Johanne, puellæ itemque parentibus, miraculum aggreditur

1. *Manu tangente*, dum apprehendit puellam manu. Oſſa Eliſæi demortua attactu ſuo virum defunctum ita vivificarunt, ut propriis ſtatim pedibus inſiſtere potuerit, 2. Reg. 13. v. 20. 21. Potuerunt hoc oſſa Eliſæi demortua, quid non valebit caro Chriſti vivifica, Joh. 6. v. 54.

2. *Verbo omnipotente*, dum ait ad puellam Syriaco idiomate, Talitha cumi, quod eſt, ſi interpreteris: puella ſurge. Hoc verbum Chriſti eo ipſo momento efficaciam ſuam comprobat. Nam reverſus eſt Spiritus puellæ, & ambulavit confeſtim, & comedit, quæ indubitata vitæ reſtitutæ ſigna & argumenta ſunt, Matth. 5. v. 42. 43. Luc. 8. v. 55. Si potuit hoc in diebus carnis ſuæ, quidni poſſit ad dextram Dei exaltatus? Eph. 1. v. 20. Certè vox ejus cum divina virtute conjuncta eſt, Pſalm. 29. verſ. 4. & quando ſonabit olim in extremo die, penetrabit ſepulchra noſtra, & vivificabit omnes

qui in pulvere terræ jam dormiunt, Joh. 5. v. 28.

3. *Glorioſiſſima.* Nam rumor hujus miraculi emanavit in totam illam regionem. Interdixit quidem Chriſtus parentibus, ne vulgarent, quod geſtum erat, ut Lucas teſtatur c. 8. v. 56. ſed hoc ideò fecit, quia teſtimonium parentum in propria cauſa ſuſpectum erat, ipſique ex hoc miraculo quondam familiæ ſuæ gloriam videri poterant affectare. Interim puellæ reſuſcitatæ converſatio inter cives veritatem prodigii ſatis teſtatam reddebat, unde factum eſt, ut mox in tota regione fama ejus percrebreſceret, quin etiam ad nos pervenit, ut ex hoc aliisq; miraculis Chriſtum agnoſcere, & per agnitionem illam vitam æternam conſequi tandem poſſimus, Joh. 17. v. 3.

De Secundo.

TEmpus eſt, ut alteram Evangelii partem breviter quoque percurramus, quæ *ſanationem hæmorrhouſæ* tribus membris includit, ut ſunt:

I. *Malum*, quod eſt fluxio ſanguinis, videlicet menſtrui, non tamen menſtrua, quæ ſecundùm conſuetum naturæ curſum ſexui muliebri aliàs competit, ſed continua, unde deſcribitur hic morbus ab Evangeliſtis

1. *Ratione gravitatis*, quam probat

1. *Singularis appellatio*, vocatur enim μάςιξ, Marc. 5. v. 29. μάςιξ autem flagellum ſignificat, quo ſexum muliebrem Deus caſtigare decrevit propter transgreſſionem Evæ, 1. Tim. 2. v. 14. & inclinationem naturalem ad faſtum, ſuperbiam, laſciviam, &c. ut quotidianum σκόλοπα haberent, quo in officio continerentur, 2. Cor. 12. v. 7.

2. *Impoſſibilis curatio.* Dicitur enim, quod multa perpeſſa fuerit à Medicis, & omnem ſubſtantiam ſuam in hos ſumptus impenderit, nec tamen quicquam adjumenti ſenſerit, ſed potius in deterius ſemper habere cœperit.

Videmus ergò hîc, quod infructuoſa ſit omnis medicina, niſi divina acceſſerit benedictio. Eſt quidem illa præclarum Dei donum ab altiſſimo promanans, Sir. 38. v. 4. ſed per ſe nihil efficit, niſi Deus ſuam gratiam largiatur, ſicut absque ejus auxilio neq; res domeſtica augetur Pſ. 127. v. 1. neque agricultura incrementum ſumit, 1. Cor. 3. v. 7. Si quis igitur Medicos conſulere, & eorum vult uti opera, Siracidis conſilium hac in parte ſequatur, Sir. 38. v. 1. ſeqq. eventum autem & incrementum Deo humiliter committat, ac in paterna ejusdem voluntate acquieſcat; tunc ſi vult, ipſum cum leproſo mundabit, Matth. 8. v. 2. aut ſi conducibilius videtur in cruce relinquet, ne una cum mundo damnetur, 1. Cor. 11. v. 32.

2. *Ratione diuturnitatis.* Laboraverat enim profluvio hoc duodecim annos, & nihil planè humani auxilii reliquum videbat. Solare te hoc exemplo, quando crux tua etiam durat longo tempore, & tu tibi imaginaris, non eſſe hominem ſub dio infeliciorem. Aſpice hanc mulierculam, quæ fœdo hoc morbo continuè laboravit per totos 12. annos. Revoca tibi in mentem Tobiam, qui cæcus fuit quadriennio, conſidera miſerum illum paralyticum, qui 38. annis decubuerat ſuper lecto, Joh. 5. v. 5. Non ſolus es mi Chriſtiane, plures habes fratres & ſorores, qui in eodem ergaſtulo hærent. Sed ubi deſinit auxilium humanum, ibi incipit divinum. Chriſtus adjutor eſt in opportunitate, Pſ. 9. v. 10. & ita juvat, quando juvat, ut quilibet dicere cogatur, hoc Deus fecit, Pſ. 64. v. 10.

II. *Deſ-*

II. *Deſiderium*, quod hîc deſcribitur

1. *Ratione conceptus*, dum tacitè apud ſe-ipſum dixiſſe fertur: ſi modò veſtimentum ejus attigero, ſalva ero. Quod certè votum non niſi ex firma cordis fiducia proficiſcitur, & ſupinæ humilitatis indicium eſt. Fides illa Chriſtum quaſi conſtrictum tenet, ut non poſſit non benedictionem ſuam nobis communicare, Gen. 32. v. 26.

2. *Ratione effectus.* Nam quod mente concipit, poſt luctam carnis & ſpiritus etiam in actum producit, & à tergo accedens fimbriam veſtimenti Chriſti tangit. Pontificii ex hoc loco cultum reliquiarum probare, iisdemque divinam quandam ἐνέργειαν adſcribere ſatagunt, ſed fruſtrà, quia Chriſtus expreſsè dicit, virtutem ex ſe, non ex veſtimento exiviſſe, Luc. 8. v. 46. Nos fimbriam Chriſti adhuc hodiè attingere poſſumus in verbo & Sacramentis, quibus ſe involvit, ſi verâ fide media illa ſalutis nobis applicemus. Multi tunc ſine dubio Chriſtum tetigerunt, ſicut diſcipuli teſtantur, quando reſpondent Chriſto quærenti: quis me tetigit? vides turbam te comprimere, & dicis, quis me tetigit? Sed ad nullum tamen eorum virtus exiit, ratio eſt, quia non tangebant eum fide. Sola hæmorrhouſa ſanitatem à Chriſto impetrat, quia fide ipſum acceſſit & tetigit: ſic multi audiunt verbum, & Sacramentis utuntur, ſed fluxus peccatorum non ſiſtitur, quia fides deficit, quâ beneficia Chriſti in verbo & Sacramentis oblata fidelis anima ſibi applicat. Fidem igitur vobis comparate dilecti per ſedulum auditum verbi divini, hæc præſtat omnibus reliquiis ſanctorum, ſiquidem Chriſtum reſpicit, extra quem non ſalus, Act. 4. v. 12.

III. *Auxilium*, quo Chriſtus miſeram illam mulierculam

1. *Reſpicit*, verſ. 22. Non dedignatur illam aſpectu, aut duris verbis increpat, quia remoram injiciebat itineri, quod ſuſceperat, ſed convertit faciem ſuam, & aſpicit illam, quæ certè egregia conſolatio eſt pro omnibus afflictis. Noli abjicere animum, quisquis es, Chriſtus videt miſeriam tuam, Pſalm. 10. v. 14. ipſe ſcit, quid facias, & ubi habites, Apoc. 2. v. 13. imò gemitus tui ipſum non latent, Pſal. 38. verſ. 10. non ſinit te ultra vires tentari, ſed dabit ἔκβασιν, 1. Cor. 10. v. 13.

2. *Reficit*

1. *Spiritualiter*, quia enim trepidabat miſera propter inopinatam revelationem morbi ſui, quem præ muliebri pudore occultare ſatagebat, conſolatur eam Chriſtus, & confide, inquit, filia, fides tua te ſalvam fecit. Non igitur fimbria Chriſti, ſed fides cauſa eſt, quod hæmorrhouſa ſanitatem priſtinam recuperavit, nam absque fide impoſſibile eſt Deo placere, Ebr. 11. v. 6.

2. *Corporaliter.* Nam ſalva facta eſt ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης, ab illa ipſa hora, inquiunt Evangeliſtæ. Unde divina Chriſti virtus & majeſtas iterum elucet, ſiquidem morbos tales deſperatos ἐν τῷ νῦν curare, divinæ virtutis eſt, quam à Chriſto exiviſſe ſæpius audivimus, à Chriſto nimirum θεανθρώπῳ, ita ut caro ejus in miraculis non planè credatur ἀεργός, quia plenitudo Deitatis in illa habitat, Coloſſ. 2. verſ. 9. quod contra Calvinianos notandum eſt, qui majeſtatem Chriſto homini communicatam indefeſſo ſtudio impugnant, ſed neſciunt miſeri quanti æſtimatus ſit, Eſa. 2. verſ. 22. Huic ſit laus & honor in ſecula ſeculorum Amen.

Domi-

Dominica XXV. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 24. verſ. 15. 28.

MEmoratur 2. Macc. 2. v. 5. de arca fœderis, quod Propheta Jeremias tempore captivitatis Babylonicæ abſconderit illam in ſpelunca quadam & obſtruxerit oſtium, ſed nemo poſteà locum illum invenire potuit. Hoc Deus ita diſpoſuit, quia aliud templum à Zorobabele extruendum erat, in quo non amplius arca typica, ſed Chriſtus ipſe mediator novi fœderis, quem Deus Pater nobis *ἱλαςήριον* propoſuit, Rom. 3. v. 25. comparere, & illud ſuo adventu illuſtrius reddere debuit, quàm prius erat, juxta vaticinium, Hagg. 2. verſ. 10. Sed paulò poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos ſecundum illud templum non minus quàm primum deſtructum fuit, quia tempus aderat, quo non magis in templo Hieroſolymitano, ſed ubivis locorum in ſpiritu & veritate Deum adorare licebat, Joh. 4. v. 23. Siquidem in carne ſe manifeſtaverat, & habitabat in illa *σωματικῶς*, Col. 2. v. 9. tanquam in proprio ſuo templo, Joh. 2. v. 19. hoc prædictum eſt per Danielem c. 9. v. 26.

Judæi confidebant in verbis mendacii, perpetuò ingeminantes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, Jer. 7. v. 4. nimirum fieri poſſe nō putabant, ut templum hoc deſtrueretur, quicquid tandem agerent, ſed eventus triſtiſſimus docuit, vanam & inanem fuiſſe hanc perſuaſionem, quia enim Chriſtum repudiarunt, qui verum noſtrum templum & altare eſt, Ebr. 13. verſ. 10. & regnum Dei admittere noluerunt, Actor. 13 v. 46. domus ipſorum deſerta relicta eſt, juxta verbum Chriſti, Matth. 23. v. 37. 38.

Hanc deſolationem Chriſtus in prælecta pericope diſcipulis ſuis graphicè depingit, & ex hinc anſam capit finale totius mundi excidium quaſi in ſpeculo nobis ob oculos ponere, cujus illa typus fuit.

Nos vacivas Chriſto aures exhibebimus, conſiderantes

I. Excidium urbis.

II. Excidium orbis.

I. I.

EXEGESIS.

MAgnę bonitatis & clementiæ indicium eſt, quod Deus electis ſuis non tantùm imminentia pericula prædicit, ſed & elabendi modum & media commonſtrat, Amos 3. v. 7. exemplum habemus in hodierno Evangelio, ubi Chriſtus Urbi Hieroſolymæ non ſolùm imminentem interitum prænunciat, ſed & medium oſtendit, quomodo rebus ſuis conſulere, & malum inſtans declinare poſſint. Tria enim circa 1. partem conſideranda veniunt:

I. *Signi evidentia*, quod eſt *βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως*, abominatio deſolationis, ſive quod phraſis Hebræa importat, abominanda deſolatio per Danielem prædicta cap. 9. v. 26. ſeqq.

Per hanc abominationem deſolationis proximè imminentis indicem intelligitur vel effigies Tiberii Imperatoris Romani, quam Pilatus ad legis Judaicæ contumeliam ipſum Sanctum Sanctorum intulit, teſte Joſepho: vel Exercitus Romanus Hieroſolymam obſidens qui vocatur abominatio,

quia

quia conſtabat ex Ethnicis idola Judæis abominanda colentibus. Additur vox deſolationis, quia Exercitus ille tandem cepit, & deſolatus eſt urbem & templum. Hæc eſt ſententia Auguſtini, & confirmatur teſtimonio S. Lucæ c. 21. v. 20.

Talem abominationem deſolationis expertum eſt Romanum Imperium, & experitur adhuc ſub jugo bellico, quod 25. annos continuè portat. Sicut enim Judæi per abominationes peccatorum, abominationem illam deſolationis ſibi attraxerunt: Ita non poſſumus negare, quod ἐρήμωσιν illam, in qua totum Romanum Imperium adhuc jacet, peccatis noſtris promeriti ſimus. Non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra, ſed maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundaverunt, &c. propter hoc luget terra, &c. Oſ. 4. verſ. 1. ſeqq. domus ſuper domum cadit, Luc. 11. verſ. 17. terra quæ ante bellum hoc fuit quaſi hortus voluptatis, mera ſolitudo deſerti facta eſt, Joel. 2. v. 3. & quod hinc inde ſupereſt, eſt inſtar tugerii, qualia ſunt in vineis, & inſtar tugurioli, in quo pernoctant in hortis cucumerariis, Eſ. 1. v. 8. 9. removeamus igitur ab oculis Dei abominationem deſolationis, Jer. 18. v. 7. 8.

II. *Perſecutionis truculentia*, quæ exaggeratur

1. *Ratione locorum*, nam neq; in Judæa, neque in tecto, neque in agro tutò quis deliteſcere poterit præ gladio hoſtili, Jer. 6. v. 25. Quomodo hoc impletum ſit Judæis, facilè intelliges, ſi hiſtorias Egeſippi & Joſephi de excidio Hieroſolymitano pervolveris: Nobis haud incognitum eſt qui valeat gladius hoſtilis. Omnis qui inventus fuerit, occidetur, & qui inventus fuerit, cadet in gladio, infantes alliduntur in oculis parentum, diripiuntur domus, & uxores violantur, Eſ. 13. v. 15. 16. multis digiti præciduntur, ſicut Adonibeſeck tractabat 70. Reges, Judic. 1. v. 7. multis aures & nares reſecantur, Ezech. 23. v. 25. multis oculi effodiuntur, ut Zedekiæ Regi, Jerem. 39. v. 7. multi in diuturnam captivitatem rediguntur, ut Judæi 70. annos in captivitate Babylonica detinebantur, confer Joel. 3. v. 3. Ezech. 23. 25. Eſ. 20. v. 4. hinc in ſylvas & dumeta confugiunt homines, imò in cavernas terræ ſe abſcondunt, ut furorem gladii hoſtilis declinare poſſint, Jerem. 4. verſ. 29. Non immeritò igitur Rex David, cum electio ipſi daretur inter famem, peſtem & bellum, peſtem elegit, hâc additâ ratione quod conducibilius eſſe ducat in manus Dei incidere, quàm in manus hominum, quia miſericordia ejus magna ſit, 2. Sam. 24. v. 13. 14.

2. *Ratione ſubjectorum*. Nam prægnantes etiam & lactentes ab hoc malo immunes non erunt, hinc Chriſtus, væ prægnantibus, inquit, & lactentibus in tempore illo, ratio eſt, quia illæ vel uterum ferunt, vel infantes ab uteribus dependentes habent, & ità fugâ ſibi eâ celeritate, quâ opus eſt, conſulere non poſſunt. Non igitur damnat hîc Chriſtus conjugium, quod per ſe ſanctum & benedictum eſt, ſed pro ſubjecta materia væ illud explicandum eſt, de miſeria nimirum & moleſtia, cui lactentes & prægnantes tempore perſecutionis ſubjectæ ſunt. Parcunt quidem aliàs jura gentium in expugnatione urbium prægnantibus, lactentibus, infantibus, &c. Sed hoc quoque Judæis denegatum eſt privilegium. Nulla planè apud hoſtes commiſeratio, nulla pudoris reverentia fuit, ſicut triſtiſſimus eventus & complementum hujus vaticinii docuit, quod ne quidem matres, nedum hoſtes

Digitized by Google

ſtes tenellis infantibus pepercerint. Ita quidem Conjugium ſuas habet utilitates atque jucunditates, ſed variis moleſtiis & difficultatibus permixtas, præſertim tempore perſecutionis, 1. Corinth. 7. v. 28. non deſunt tamen efficaciſſimæ conſolationes, quibus piæ conjuges in tali caſu ſe erigere debent. Vivunt enim in ſtatu Deo placente, quem ante lapſum inſtituit, cum nullum adhuc peccatum in mundo eſſet, & Chriſtum habent propitium, qui precibus invitatus aquam tribulationis in vinum lætitiæ transmutabit, Johan. 2. verſ. 9. ſalvatur enim mulier per filiorum generationem, ſi manſerit in fide, &c. 1. Tim. 2. v. 15.

3. *Ratione incommodorum*, quæ parit

1. *Temporis inclementia*, ſi vel hyeme vel ſabbatho fuga contingat. Utrumque tempus ſuas difficultates habet. Hyeme fuga difficilis eſt tum propter frigus, nives, & ventos, tum etiam propter brevitatem dierum: Sabbatho autem propter religionem, eò quod Judæis ultra mille paſſus peregrè die Sabbathi abire licitum non erat, ut Lyra teſtatur, & colligi etiam poteſt ex Act. 1. v. 12.

Multi tempore hyemis vel unius horulæ frigus in templo ſuſtinere nolunt, ſed domi manent poſt fornacem, & conciones negligunt, ſed vindicta divina recto pede inſequitur, ut ab hoſtibus in exilium pulſi nives, frigus & ventos non curent, modò vitam hoc modo conſervare poſſint.

Multi Sabbatho quieſcere nolunt, ſed profana tractant, & cultum divinum negligunt. Poſtea puniuntur à DEO, ut nec Sabbatho, nec diebus aliis profeſtis tranquillè agant, ſed ab hoſtibus exagitati inter Judæos, quibus hoc tempore pax domeſtica præ Chriſtianis ſarta tecta relinquitur, vel alios quoscunque peregrinos latibulum aliquod ſibi emendicare cogantur, ubi ſine mente quaſi inſtar brutorum commorantur, & experiuntur, quid ſit, quando prophetia ceſſat, Pſ. 74. v. 9.

2. *Multorum deficientia*, v. 22. Tanta erit tribulatio, inquit Chriſtus, tantus hoſtium furor, ut totus Judaicus populus funditus deletus fuiſſet, niſi Deus frenum quaſi hominibus injeciſſet, & ad commiſerationem corda eorum inflexiſſet, ſed propter electos, qui vel jam tum credebant, vel poſteà credituri, vel ex credentibus naſcituri erant, decurtabuntur dies iſti. Non enim ſinit eos ſupra vires tentari, ſed dat eventum, ut ſufferre poſſint, 1. Corinth. 10. verſ. 13. nemo Chriſto oves ſuas eripiet, Johan. 10. verſ. 29. reſervabit ſibi ſemper aliquos, qui genua non flectunt coram Baal, 1. Reg. 19. verſ. 18. quia liber monumenti coram eo ſcriptus eſt timentibus eum, Malach. 3. verſ. 16. Videte igitur Vos mei, ne ſub perſecutionibus deficiatis à fide, ſed perſeverate firmiter. Deus non relinquet vos orphanos, Joh. 14. verſ. 18. ſed decurtabit aliquando dies tribulationis, & gaudio vos perfundet inenarrabili, 1. Pet. 1. verſ. 8. Roman. 8. verſ. 18. 2. Cor. 4. v. 17.

III. *Conſilii prudentia*, quo CHriſtus diſcipulos ſuos inſtruit adverſus prædictas haſce calamitates, & tribus membris abſolvitur, ut ſunt

1. *Scripturæ Sacræ meditatio.* Qui legit, inquit, intelligit, & his verbis ad vaticinia prophetica, præſertim Danielem diſcipulos ſuos remittit, qui politiæ Judaicæ deſtructionem poſt Chriſtum occiſum ſecuturum longè ante prædixit, cap. 9. v. 26. ſeq. Hunc locum jubet ipſos legere, & ita legere, ut intelligant, quod nobis etiam dictum putemus.

Scri-

Sciptura eſt *Epiſtola DEI* genus humanum, quæ regulam continet rectè credendi, & piè vivendi, proinde diligenter & cum maxima attentione ſæpius perlegenda eſt, Joh.5.v.39.

Eſt *cibus* qui nos paſcit, Ezech.3. verſ. 3. *dolabra* quæ polit, Oſ.6. v. 5. *medicina* quæ ſanat, Sapient.16.v.12. *lucerna*, quæ dirigit, 2.Pet.1. v. 19. *theſaurus optimus* ſuper millia auri & argenti, Pſalm.119.v.72. magni ergò faciamus hunc ſacro-ſanctum codicem, & ut verum legendo intellectum quoque aſſequamur, cum Davide oremus: Da mihi Domine intellectum, & ſcrutabor legem, Pſ.119. v.34. ita aperiuntur nobis ſcripturæ, ut quæ legimus intelligamus, & per Spir. S. operation em ad vitam æternam erudiamur, quod exemplum diſcipulorum Emaunticorum comprobat, Luc.24. v.32.

2. *Fugæ maturatio.* Nam tunc, inquit Salvator, tunc qui eſt in Judæa, fugiat in montes. Hæc verba dupliciter ad uſum noſtrum applicare poſſumus:

1. *Literaliter.* Quia enim Chriſtus Judæos fugere jubet in montes, cum propter exercitium Romanum in civitatibus & oppidis tuti non eſſent, apparet hinc, quod tempore perſecutionis, famis, peſtis, &c. ad loca tutiora ſe recipere non ſit prohibitum. Fecit ipſe quod hîc jubet Dominus, Matth.12. verſ.15. Luc. 4. v.30. Joh.6. v.15. 8. v.59. Fugit Jacob, Geneſ.27.verſ.43. fugit Moſes, Exod.2. v.15. fugit Joſeph cum Maria, Matth.2. verſ.14. fugit Paulus, Actor.9. v.25. 14.v.6. 17.verſ.14. qui enim periculum amat peribit in eo, Sir.3.verſ.27. fiat tamen citra læſionem honoris Dei & propriæ conſcientię, citra deſertionem officii & charitatis erga proximum. Qui extra hos reſpectus fugit, dum vult ſervare vitam ſuam, amittet illam, Matth.10. v.30. & Deo non effugiet, Amos.2. v.15.

2. *Spiritualiter.* Ut enim tempore obſidionis Hieroſolymitanæ nullum erat convenientius medium, quàm in montes ſecuritatis causâ ſe conferre: Ita priusquam veniat πανωλεθρία, ad certos montes quaſi fugiendum eſt, quorum tres Scriptura præ cæteris illuſtres commendat, Sina, Sion, & Tabor. Sina legem denotat, quæ agnitionem peccati operatur, Roman.7. verſ.7. Sion Evangelii figura eſt, quæ fidem accendit. Thabor vitam æternam ſignificat, in illo ſiquidem CHRISTUS clarificatus eſt. Qui vult tandem aſcendere montem Tabor, hîc primùm ad montem Sina per contritionem, & deinde ad montem Sion per fiducialem Chriſti apprehenſionem confugiat neceſſe eſt. Hæ ſunt quaſi duæ alæ, quarum beneficio de terra elevamur, & ea quærere incipimus, quæ in cœlo ſunt, Col.3.v.1.

3. *Devota oratio.* Nam orate, inquit porrò CHRISTUS, ne fuga veſtra fiat in hyeme, vel Sabbatho. Hoc optimum eſt remedium, quo calamitates avertere, & ſi non planè avertere, mitigationem tamen earundem impetrare poſſumus, ut dicat Deus angelo diſperdenti: Sufficit nunc, quieſcere fac manum tuam, 2.Sam.24.v.16.

Oratio facit miracula in cœlo, Johan. 10.verſ.13. miracula in igne, Dan.3.verſ.27. miracula in aqua, Exod.14. verſ.16. miracula in aëre, 1.Sam.7. verſ.10. Nunquam igitur intermittamus preces & deprecationes, quæ ſunt Eccleſiæ armatura, & murus in confractione, Ezech.22. verſ.30. tunc habebimus Deum propitium, qui

Digitized by Google

facit voluntatem timentium ſe, & depræcationes eorum exaudit, Pſ. 145. v. 19.

De Secundo.

SEquitur excidium orbis, cujus hîc à Chriſto ponitur

I. *Nota*, quæ duplex:

1. *Pſeudo-prophetarum varietas*. Nam ſurgent, inquit Salvator, nimirum è medio Eccleſiæ cœtu, Pſeudo-Chriſti, qui ſumpto ſibi Meſſiæ nomine, multos ſeducent, ut fecit Magus quidam Ægyptius, cujus Luc. meminit, Act. 21. v. 38. & alius ſub Hadriano Imperatore, nomine Bencochab, de quibus Joſephus, Niceph & Euſebius legi poſſunt. Surgent etiam Pſeudo-Prophetæ, per quos hæretici quivis & falſi doctores intelliguntur, qui aliam extra Chriſtum conſequendæ ſalutis viam excogitant, & non acquieſcunt ſanis ſermonibus Dn. noſtri Jeſu Chriſti, 1. Tim. 6. v. 3.

Tales Pſeudo-Chriſti ſunt Monachi variorum ordinum, qui ſuis jejuniis, precibus, paupertati ſpontaneæ, & mirificæ caſtitati, aliisque opellis, juxta hominum conſtitutiones factis, æternæ ſalutis meritum adſcribunt, ita quidem, ut operibus illis, tam ſibi quàm aliis Dei favorem demereri, & vitæ æternæ beatitudinē ſe impetrare poſſe, jactitent, quod verè eſt officium Chriſti Salv. invadere, ejusq; partes per antichriſtianam pietatem ſibi vendicare. Tales falſi Chriſti ſunt etiam Rom. Pontifices, qui plenitudinem gratiæ divinæq; benedictionis & remiſſionis peccatorum penes ſe reſiſtere impudentiſſimè glor antur, & cœleſtia hæc beneficia pro pecuniis vendunt, quæ non corruptibili auro & argento, ſed ſanguine agni immaculati Jeſu Chr. nobis acquiſita ſunt, 1. Pet. 1. v. 18. 19.

Horum Pſeudo Chriſtorum & Pſeudo-prophetarum circa finem mundi magnus erit numerus. Sicut enim ſenex varias patitur phantaſias: Ita mundus ſeneſcens phantaſias falſæ doctrinæ ſentiet innumerabiles, quod Chriſtus innuit, quando Pſeudoprophetarum porrò taxat

1. *Oracula*, quod dicturi ſint, ecce hic, ecce illic Chriſtus eſt. Non manebunt apud verbum Dei ſcriptum, in quo Chriſtus invenitur, Joh. 5. v. 39. ſed ad traditiones, concilia, decreta Pontificum, &c. ſimplices deducent, ut relicto fonte vivo è ciſternis bibere cogātur, Jer. 2. v. 13. Hoc facit Antichriſtus Romanus, cujus oracula mera ſunt abominatio, & nihiloninus ea toti mundo obtrudere ſatagit. Laicos arcet à ſectione Bibliorum, furatur ipſis calicem, dominatur conſcientiis, & ſi mille animas ſecum ad inferos ducat, expreſsè ſcribunt ipſius paraſiti, quod nemini teneatur rationem reddere. Hoc eſt extollere ſe ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, 2. Theſſ. 2. v. 4.

2. *Miracula*, quæ multa & magna edituri ſunt, ut impiæ ſuæ doctrinæ fucum & fidem faciant. Sed illa cavere jubet Dominus ipſe, Deuter. 13. v. 1. ſeqq. ſiquidem adventus Antichriſti erit juxta operationem Satanæ in omni virtute & ſignis, 2. Theſſ. 2. verſ. 9.

3. *Receptacula*. Si dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire, ecce in penetralibus eſt, nolite credere. Quibus verbis Eremitæ, Monachi & moniales in Papatu reprehendi manifeſtum eſt, qui quod Chriſtus obedientiâ ſua promeritus eſt, ſuis operibus aſſcribunt, totamque Chriſti gratiam foris extra mundum, in deſertis, in monaſteriis & horum penetralibus plus quam alibi vigere garriunt. Ecce hîc, inquiunt, ecce illîc ſiunt

Digitized by Google

fiunt ingentia miracula, ibi conſequeris plenariam indulgentiam, ibi Chriſtum invenies, ſed perperam. Nullibi dixit Chriſtus, quod in locis deſertis vel etiam in clauſtris habitare velit, ſed Iohannes videt eum ambulare in medio candelabrorum, Apoc. 1. v. 13. nemo enim accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt; ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem cœleſtem, Matth. 5. v. 15. 16.

2. *Credentium paucitas.* Tanta enim circa mundi finem Eccleſiæ deſolatio erit, tantus Pſeudo-chriſtorum & Pſeudo-prophetarum numerus, ut ſi fieri poſſit, etiam electi in errorem inducantur, & Chriſtus affirmare auſit, ſub adventum ſuum in terris vix reliquam fore fidem, Luc. 18. v. 8. reſervabit tamen reliquos ſibi Deus electos, ut tempore Eliæ, 1. Reg. 19. v. 18. qui licet ſeducantur aliquando in errores, ſicut Aaron, Exod. 32. v. 5. ſeqq. David, 2. Sam. 11. v. 4. Petrus, Matth. 26. v. 70. ſeqq. non tamen perſeverabunt in peccatis finaliter, ſed in viam veritatis redibunt, & conſervabuntur ad vitam æternam. Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & do eis vitam æternam, nemo eripiet eas de manu mea, &c. Ioh. 10. v. 27.

Videte dilecti, ut ſitis inter paucos. Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpecioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per illam. Sed anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci invenerunt eam, Matth. 7. v. 13.

II. *Cauſa*, quæ eſt Chriſti adventus, ſub cujus apparitionem cœli magno fragore tranſibunt, elementa calore ſolventur, terraque & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur, 2. Pet. 3. v. 10.

Deſcribitur autem adventus ille, quod futurus ſit

1. *Inopinatus, inſtar fulguris*, v. 27. ea hora qua non putamus, v. 50 quemadmodum igitur ſervi expectantes adventum Domini quovis momento in procinctu ſtant, Domino in occurſum prodire parati: Ita nobis incumbit accingere lumbos & lucernas ardentes in manibus habere, ut Dominum adventantem dignè excipiamus, Luc. 12. v. 35. ideò enim latet unus dies, ut obſerventur omnes, inquit Auguſtinus, quod non fieret, ſi tempus adventus Chriſti nobis revelatum eſſet, Luc. 12. v. 45.

2. *Indubitatus.* Licet enim tempus nobis ſit abſconditum, quando adventurus ſit Chriſtus, tamen de adventu non eſt dubitandum, veniens veniet, & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Sicut enim fulguris tempus quidem ignoramus, ſed de certitudine nemo dubitat: Ita tempus quidem & horam judicii ſibi reſervavit pater, Marc. 13. v. 32. interim veritas ejuſdem in ſcripturis nobis manifeſtata eſt, prophetavit de hoc ante diluvium Enoch ſeptimus ab Adam, Epiſt. Iudæ v. 14. 15. David, Pſal. 98. v. 10. Eſa. 66. v. 15. 16. 18. Mal. 4. v. 1. ſeqq. Paulus, Act. 17. verſ. 30. 31. 2. Cor. 5. verſ. 10. Rom. 14. verſ. 10. 11. &c.

Eant nunc empæctæ, atque dicant: Ubi eſt promiſſio adventus ejus 2. Pet. 3. verſ. 3. ſeqq. Deus manifeſtè veniet & non ſilebit, ignis in conſpectu ejus exardeſcet, & in circuitu ejus tempeſtas valida, advocabit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum, Pſ. 50. v. 3. 4. 5. hactenus quidem ſiluit, ſed non ſemper ſilebit, arguet te, & ſtatuet contra faciem tuam, Pſal. 50. verſ. 21.

Digitized by Google

quia enim divitias patientiæ & longanimitatis divinæ contemnis, hoc ipſo theſaurizas tibi iram in die vitæ & revelationis juſti judicii Dei, Rom. 2. v. 4. 5.

3. *Exoptatus.* Hoc Chriſtus explicat per adagium: Ubicunque erit cadaver, ibi congregabuntur aquilæ, ex Job. 39. v. 33. Cadaver Chriſtus eſt, non quidem propriè, ut Beza imprudenter aſſerit, ſed in ſenſu allegorico, quia mactatus eſt in ara crucis tanquam agnus immaculatus pro peccatis totius mundi, & tam fortem ſpirat odorem, qui in totum mundum ſe diffundit. Aquilæ ſunt omnes pii & fideles; ſicut enim aquila cadaveribus tantum vivit, tantumque ſagacitatis habet, ut ex longinquo illa olfaciat, & ſtupendâ celeritate advolet: Ita pii hîc per CHRISTUM vivunt, & tandem ad ipſum congregabuntur in æterno gaudio juxta promiſſionem ejus, Johan. 12. v. 26. 14. verſ. 3. quod concedat nobis glorioſa & ter benedicta Trinitas, Amen.

Dominica XXVI. poſt Trinitatis.

Evangelium Matth. 25. verſ. 31. 46.

VIdit Iohannes in Apoc. c. 19. v. 11. angelum fortem deſcendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ſicut ſol. & pedes ejus tanquam columna ignis, & habebat in manu ſua librum apertum; Oculi ejus ſicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen ſcriptū, quod non novit niſi ipſe. Et veſtis ejus aſperſa ſanguine, & vocatur nomen ejus verbum Dei, & exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo. Et ex ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut ipſe percutiat gentes.

Angelus hic eſt ipſe filius Dei, qui in nube lucida judex olim generalis totius orbis de cœlo deſcendet. Iris in capite divinitatem ejus indicat, facies lucida claritatem & ſplendorem ejus, pedes ejus tanquam columna ignis fortitudinem & robur deſignant, liber in manu judicandi dexteritatem importat, oculi flammei notant omniſcientiam judicis, diademata regiam majeſtatem & gloriam, veſtis purpurea paſſionis exanthlatæ judicium eſt, & vindictam tunc ab hoſtibus repoſcet, agmina ſtolata in equis candidis ſunt angeli & beati comitantes Chriſtum ad judicium, gladius δίςομος ſententiam geminam notat, unam quæ bonis præmia, alteram quæ malis pœnam dictabit. Hæc omnia evidenter comprobabit prælecta pericope, in qua deſcribitur nobis ab ipſo Chriſto

I. Proceſſus judicialis.

II. Sententia finalis.

III. Executio pœnalis.

J. J.

EX-

Digitized by Google

EXEGESIS.

DAvid Saulem cum toto Exercitu in caſtris dormientem reperiebat, nullo planè excubias agente, 1. Sam. 26. v. 7. quod figura eſt ultimæ ſecuritatis, in qua mundus jacebit tempore adventus Chriſti, proinde ſancta mater Eccleſia tubam judicii hodie inflat, ut dormientes excitet, & ad vigilantiam hortetur. Operæ pretium igitur eſt, ut attentis auribus & animis percipiamus, quæ in hodierno Evangelio nobis proponuntur. Tria enim potiſſimum occurrunt, quæ ſomnum meritò nobis excutere debent:

I. *Judicis majeſtas*, qui erit filius hominis. Nam filius hominis, inquit ipſe, veniet in majeſtate ſua. Hic eſt ille vir, in quo conſtituit Deus judicare orbem in æquitate, Act. 17. v. 31. vocatur autem filius hominis, non quod ſit φιλὸς ἄνθρωπος, cum in perſonæ unitate ſit etiam verus Dei filius, ſed quia in aſſumpta natura humana viſibiliter hoc judicium exercebit, hinc Joh. 5 v. 27. dicitur, quod Pater cœleſtis dederit ei poteſtatem judicium faciendi, quia filius hominis eſt.

Hic aſpectus Chriſti piis erit conſolabilis, quia fratrem judicem habebunt, qui non rejiciet eos, ſed in æterna tabernacula recipiet, ubi per mortem & reſurrectionem ſuam manſionem ipſis præparavit, Joh. 14. v. 3. impiis autem formidabilis, quia videbunt quem pupugerunt, Apoc. 1. verſ. 7. Veniet autem non ut antea in forma ſervili, ſed in gloria ſua, quæ eſt gloria verè divina & infinita, unde gloria Patris vocatur, Matth. 16. v. 27.

Probat hoc

1. *Comitatus.* Nam omnes angeli venient cum eo, partim ut deductores, ipſe enim eſt quem Angeli adorant, Ebr. 1. v. 6. & ſicut ipſum comitati ſunt in aſcenſione, Pſ. 68. v. 18. ita comitabuntur eum quoque in reditu ad judicium, Act. 1. v. 10. Ep. Jud. v. 14. partim ut buccinatores. Sicut enim principes ſuos præcones habent ac tubicines, qui adventum ipſorum denunciant: Ita Chriſtus etiam deſcendet cum voce Archangeli & tuba Dei, 1. Theſſ. 4. verſ. 16. vox archangeli erit: Surgite mortui, venite ad judicium. A voce tubæ huius montes contremiſcent, rupes diſrumpentur, ſepulchra patebunt, & totus mundus fatali excidio corruet, ſicut ad ſonum tubarum ſacerdotalium muri Hierichuntis, Joſ. 6. v. 20. partim ut executores, Matth. 24. verſ. 13. Matth. 13. v. 30.

Videte igitur vos mei, ut amicitiam angelorum concilietis vobis per veram pœnitentiam, Luc. 15. v. 10. tunc habebitis, illos hîc cuſtodes, Pſ. 91. v. 11. & illîc deductores ad æternam beatitudinem, Luc. 16. verſ. 22.

2. *Apparatus.* Sedebit enim ἐπὶ θρόνου τῆς δόξης, ſuper ſedem majeſtatis ſuæ. Id Matth. 26. v. 64. ita exponitur, ſedebit à dextris virtutis DEI. Ergo thronus ille, ſuper quo CHRISTUS ſedebit in extremo judicio, inviſibilis, eſt dextra Dei, viſibilis autem nubes cœli, in quibus alibi venturus eſſe dicitur, Matth. 26. v. 64. Luc. 21. v. 27.

Altus hic thronus eſt, è quo cernet omnia, nec quicquam coram ipſo occultari poterit, ſive bonum ſive malum, Eccl. 12. v. 14. nullus malus impunitus abibit, ſed protrahetur ad judicium, in quocunque terræ angulo ſepultus lateat. Nullus etiam bonus indotatus relinquetur, novit

enim

enim qui ſunt ſui, 2. Tim. 2. v. 19. & rependet unicuique ſicut promeritus eſt, Sirac. 16. verſ. 14.

II. *Judicandorum univerſalitas.* Omnes enim omninò homines coram hoc tribunali comparere cogentur qui vixerunt ab origine mundi in Aſia, Africa, Europa & America, adhuc vivunt, & deinceps ad finem usque ſeculi victuri ſunt boni & mali, viri & mulieres, pueri & ſenes, divites & pauperes, magni & parvi. Sicut enim omnibus ſtatutum eſt ſemel mori: Ita quoque omnibus poſt mortem paratum eſt coram tribunali judiciario comparere, Ebr. 9. v. 27.

Recolligite vos miſeri, qui in hoc mundo judicium ſæpe iniuſtum ſuſtinetis ut Naboth, 1. Reg. 21. v. 13. & ſub pedibus impiorum conculcamini, Eſa. 51. v. 23. reſtat aliud adhuc judicium, ubi protrahetur etiam adverſarii veſtri, & rectum erit reddere afflictionem his qui affligunt vos, 2. Theſſ. 1. v. 6. ibi ſtabitis in magna conſtantia adverſus eos, qui anguſtiaverunt vos &c. Sap. 5. verſ. 1.

Exhorreſcite verò impii & increduli, qui ſecurè in peccatis veſtris pergitis, dicentes cum Epicuræis: Dominus non videt, Deus Iac. non attendit, Pſalm. 94. v. 7. adeoque pro ludibrio habetis, quicquid de judicio extremo in ſcripturis dicitur, omnes comparebimus, nihil quicquam manebit inultum, nil latebit occultum, nihil valebunt ficus folia, quibus Protoplaſti ſe tegebant, Geneſ. 3. v. 7. nihil Pontificis ſubligacula, quibus nuditatem obvelabat, Exod. 28. v. 42.

III. *Judicii ſeveritas*, quæ apparet

1. *Ex ſeparatione.* Hic mali ſunt admixti bonis, hœdi inter oves inveniuntur, zizania creſcunt inter triticum, uvæ bonæ & labruſcæ in una vinea colliguntur. Habet hic pius Abel ſuum Cain, bonus Iſaac ſuum Iſmael, benedictus Iacob ſuum maledictum Eſavum. In una Iacobi domo, inter 12. filios vix unus eſt frugi, inter 12. Chriſti diſcipulos unus eſt proditor, nec ullum Eccleſiæ corpus tàm purum eſt, quod non habeat, membra aliqua putrida. At in illo die ſeparatio inſtituetur, ſeparabuntur tunc hœdi ab ovibus, triticum à zizaniis, mali à bonis, tunc hœdi cornibus ſuis oviculis non amplius moleſti erunt, ſed omnibus patebit, quid ſit inter juſtum & impium, & inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei, Mal. 3. verſ. 18.

2. *Ex collocatione.* Nam oves à dextris, hœdi verò à ſiniſtris conſtituentur. Per oves denotantur pii & fideles, qui vocem Chriſti paſtoris ſui audiunt, & ſicut oves manſuetæ, patientes, & frugiferæ ſunt in bonis operibus, Ioh. 10. v. 27. Per hœdos verò intelliguntur impii, qui fœtent in peccatis, oviculas à paſcuis depellunt, & bona temporalia ad ſe ſolos rapiunt. Hos à ſiniſtris, illos verò à dextris Chriſtus collocabit. O admirabilem ordinem, qui ibi conſpicietur!

Poſtquam Ioſeph filios ſuos Manaſſen & Ephraim ad Patrem Jacobum adduxiſſet, ut benediceret pueris, poſuit Ephraim ad ſiniſtram Iſrael, & Manaſſem ad dextram ejus, ille verò extendens manum dextram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, ſiniſtram verò ſuper caput Manaſſe, qui major natu erat, commutans manus, quod Ephraim præ Manaſſe multiplicandum prævideret, uti legimus Geneſ. 48. verſ. 13. ſeqq.

Simile quiddam hîc continget. Multi enim qui jam divitiis & honoribus præcellentes, ſeſſionem à dextris ſibi vendicant, ibi commutata ſorte ad ſiniſtram conſtituentur. Quantum verò dedecus, quanta confuſio erit, cum dives epulo ad ſiniſtram conſtitutus Lazarum mendicum à dextris poſitum videbit, cum ſuperbus Haman deſpectum & neglectum Mardochæum ſibi præferri ſentiet, cum impius Herodes Baptiſtæ caput decollatum honore & gloria coronatum conſpiciet? Hanc confuſionem nihil ſequetur niſi planctus & ejulatio, Sapient.5. v.2. ſeqq.

De Secundo.

PRoximè ſuccedit *Sententia finalis*, quæ erit

I. *Piis lætifica*, tribus potiſſimùm de cauſis,

1. *Propter ſuaviſſimam compellationem.* Nam venite, inquit Chriſtus, venite benedicti Patris mei. Venite pauperes Lazari, venite exules, venite omnes cruceri, qui hactenus pro nomine meo tot preſſuras ſuſtinuiſtis, venite ut reficiam vos, mundus vobis ſat diu maledixit, tempus eſt, ut benedictionem promiſſam hereditetis.

Hoc maximum eſt ſolatium, quo ſe omnes afflicti in hac miſeriarum valle erigere debent. Sunt quidem in mundo lampas contemta, Job.12. v.5. grex puſillus, Luc.12. v.32. περιφήματα καὶ καθάρματα, 1.Cor.4. v.13. ſed in extremo die alio titulo Chriſtus ipſos honorabit, & venite, inquiet, benedicti Patris mei, benedicti, qui in ſemen benedictum credidiſtis, benedicti, qui benedictionem à Domino conſecuti, & omni benedictione ſpirituali cumulati eſtis, Eph.1.v.3. benedicti etiam, qui curſum veſtrum feliciter abſolviſtis, jam accepturi βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ, Phil.3.v.14.

2. *Propter largiſſimam remunerationem.* Nam poſſidete regnum, dicet Dominus, quod vobis ab origine mundi paratum eſt, hæreditatem capeſſite, ex cujus poſſeſſione nullus vos hoſtis exturbare poterit. Potentiſſimus Rex Ahaſverus eximiâ Eſtheris pulchritudine captus dimidium regni ei pollicetur, modo cupitis ejus amplexibus frui poſſet, Eſth.5. v.6.7. v.2. At major erit amor CHRISTI erga electos, quibus ille non regni partem, ſed poſſeſſionem integram elargietur. Sic ab æterno decrevit, ut ubi ipſe eſt, ibi ſit etiam miniſter ejus, Johan.12. verſ.26. Sic diſpoſuit ſuis fidelibus regnum, ut edant & bibant ſuper menſam ſuam in regno ejus, Luc.22. verſ.30. nam juſti in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud altiſſimum, ideò accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei à manu Domini, Sapient.5. verſ.16.17. hoc Chriſto acceptum ferunt, qui lavit eos ſanguine ſuo, & Reges fecit & Sacerdotes Deo & Patri ſuo, Apoc.1. verſ.6.

Veniamus igitur, dum nos hîc vocat ad regnum gratiæ, ut aliquando intromittamur etiam ad regnum gloriæ, ſuſcipiamus hæreditatem crucis, ut conſequamur etiam hæreditatem lucis, ſimus filii Dei in fide & adoptione, ut ſimus aliquando tales in viſione, & conſummatione. Hîc vita aut acquiritur aut amittitur. Qui hîc negligit dulciſſimam Chriſti invitationem, quando extentis manibus clamat, venite omnes, qui laboratis & onerati eſtis, &c. Matth.11. verſ.28. triſtiſſimam aliquando increpationem audire

cogetur: Item maledicti, juxta comminationem divinam, Proverb. 1. verſ. 24.

3. *Propter operum charitatis deprædicationem.* Licet enim regnum, quod Chriſtus aliquando electis poſſidendum tradet, meum ſit *χάρισμα*, & gratuita hæreditas, ut ex vocabulo *κληρονομήσατε* ſatis evidenter patet, quæ non datur propter opera, ſed ex gratia propter Chriſtum credentibus in ipſum, Rom. 11. v. 6. nihilominus tamen, quia in publico angelorum & hominum conſenſu judicium hoc exercebitur, teſtimonia operum Chriſtus producit, ut confirmet, electos verè eſſe tales, videlicet per fidem benedictos & dilectos Dei filios, ſicut ipſos jam appellaverat. Vera enim fides exerit ſe per charitatem, Gal. 5. v. 6. Charitas autem per opera miſericordiæ, quorum præcipua ſunt eſurientes cibare, ſitientes potare, peregrinos hoſpitio excipere, nudos veſtire, ægrotos viſitare, incarceratos conſolari. Quicquid horum pauperibus & exulibus Chriſti membris præſtamus, Chriſtus ſibi factum reputabit, quia ipſe caput eſt, Eph. 5. v. 23.

Noſtrum eſt ſectari opera charitatis & miſericordiæ. Quanquam enim propter illa hæreditas vitæ æternæ nobis haud datur, fidem tamen comitantur, quæ ſine operibus mortua eſt, Jac. 2. v. 26. & hæreditatem cœleſtem non conſequitur. Sumus enim creatura Dei, creati in Chriſto Jeſu ad bona opera, ut in illis ambulemus, Eph. 2. v. 10. abſq; hac ſanctimonia nemo videbit Deum, Ebr. 12. v. 14.

O quàm glorioſum erit nobis, cum Judex ſupremus Chriſtus Jeſus omnia panis fruſtula, quibus eſurientes pavimus, omnia pocula, quæ ſitientibus miniſtravimus, omnia veſtimentorum lacinia, quibus nudos operivimus, omnes greſſus, quos captivorum & ægrotorum gratiâ fecimus, coram Deo Patre in conſpectu omniũ angelorũ & electorum, tanquam ſibi factum ſit, deprædicabit, & non tantùm deprædicabit, ſed etiam largiſſimè compenſabit. Pro pane mendicis erogato, dabit nobis manna abſconditum Ap. 2. v. 17. pro aquæ potu, aquam vitæ ſplendidã tanquam Chriſtallum procedentem de ſede Dei & Agni, Ap. 22. v. 1. pro hoſpitio exulibus conceſſo æternum tabernaculum, Luc. 16. v. 9. Pro veſtimentorum laciniis induet nos veſtimentis ſalutis & indumento juſtitiæ, Eſ. 61. v. 10. Pro eò, quod ægrotos & captivos viſitavimus, angelorum choros nobis aſſociabit, qui nos excipere & in æternum gaudium introducere debent, Luc. 16. v. 22. ô copioſam retributionem! quæ omnia noſtra opera præponderat. Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera firmam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non labemini, ſed miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, 2. Pet. 1. verſ. 10. 11.

II. *Impiis terrifica.*

1. *Propter æternam relegationem.* Nam diſcedite, inquiet Judex, confeſtim ab oculis meis vos proripite, non dignabor vos, ultra aſpectu vel alloquio. O repudium amarum! ô triſte exiliũ! Dum enim à Chriſto diſcedent, diſcedent ſimul à vita, Joh. 14. v. 6. & æternum morientur Pſ. 40. v. 15. Ap. 9. v. 6. diſcedent à luce, Joh. 8. v. 12. & in æternas tenebras præcipitabuntur, Matth. 22. v. 13. diſcedent à fonte viventis aquæ, Joh. 4. v. 14. & non poterunt impetrare guttulam, qua ſitim reſtinguãt in inferno, Luc. 16. v. 24.

Gentium Doctor Paulus cum Mileſiis

vale-

Digitized by Google

valedicturus Romam ſecederet, & adderet, nunquam amplius illos faciem ſuam viſuros, lachrymantes collo ejus incubuêre, & ſuſpirantes oſculabantur eum , dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam faciem ejus non amplius eſſent viſuri, Act. 20. verſ.32. ſeqq. Si tantum Mileſii in diſceſſu unius ſancti viri commoti ſunt, ut lachrymarentur & gemerunt ad unum omnes: quænam obſecro damnatorum erit afflictio, cùm in æternum ſe divinæ eſſentiæ fruitione & conſpectu privandos conſiderabunt. Væ illis, ubi ego diſceſſero, inquit Jehova, Oſ. 9. v. 12.

2. *Propter duram increpationem.* Nam maledictos appellat, quo nomine tam malum culpæ quàm malum pœnæ complectitur. Utroque enim damnati prementur onere. Catalogum maledictionum ejusmodi, quæ transgreſſionem legis ſequuntur, vide Deut. 28. v.15. ſeqq.

Quis audivit unquã maleficum ad mortem condemnatum conviciis impeti? annon ſatis amaritudinis ipſa mortis ſententia continet? cur afflicto addatur afflictio? ſed attendite vos mei, latet hic myſterium. Scilicet Noachum videtis, qui amore noſtri, longanimitateq; nimia inebriatus, cum aliquot millenis jam annis miſericordiæ ſomno oppreſſus jacuerit, evigilantem, & impios Chamos, qui nuditatem & ignomiam, paupertatem & humilitatem, crucem & paſſionem illius toties irriſêre, maledictione acerbiſſimâ ferientem, & non immeritò: nam maledictus eſt omnis, qui non permanet in omnibus quæ ſcripta ſunt in lege, Deut.27. v.26.

Meminimus olim Chriſti maledictione ficum confeſtim exaruiſſe, Matt.21. verſ.19. quid de impiis futurum exiſtimatis, quando horrendum illud maledictionis fulmen experientur? certè præ metu extabeſcent, & præ formidine examinabuntur, nam ira Dei manet ſuper ipſos, Joh 3.v.36.

3. *Propter ſupplicii deſignationem*, quod duplex:

1. *Gehennæ incendium.* Ita enim Judex inquit ad damnatos: Diſcedite à me in ignem æternum. O rigor! ô dolor! cœleſti nimirum patria exulare, & ad ignem damnari. Ignem cujus reſpectu omnes ignes, omnesque mundi pœnæ quaſi ignis pictus, & quaſi ludus videntur, ignem qui non prius extinguetur, quàm Deus, qui principii ſimul & finis expers eſt, eſſe deſinat, ignem qui corpora ſimul & animas cruciabit tantùm & non devorabit, ſed in æternas ſemper pœnas reſervabit, Judith.6. v.21.

O cavete vos mei, ne experiamini hujus ignis vehementiam, fovete ignem fidei, dilectionis, devotionis, ut cum Emaunticis dicere poſſitis, Luc.24. verſ.32. nonne cor noſtrum ardens erat in nobis in via, & aperiret nobis Scripturas.

2. *Diabolorum conſortium.* Nam ignis ille paratus dicitur Diabolo & angelis ejus. Si in hac vita ſpectrum apparet, quantus oritur terror? Quid ibi fiet, ubi in propria forma conſpicientur Dæmones, qui magno fremitu & horribili ululatu miſeras animas involabunt, tunc audientur lamentationes, Sapient. 5. verſ.3. Apocalypſ.6. verſ.16.17.

Si vultis effugere hoc conſortium diabolorum, fugite peccatorum commercium, reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis, appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, Jac. 4. verſ.8.

4. *Propter ſententiæ juſtificationem.* Ne enim judicium hoc videatur injuſtũ, ratio-

nes adducit, & intermiſſæ charitatis erga proximum ipſos incuſat, eſurivi, inquit, & non dediſtis mihi cibum, ſitivi, & non dediſtis mihi potum, q. d. fuiſtis immiſericordes, & hâc ratione comprobatum dediſtis, quod verâ fide non ſitis inſtructi, quippe quæ per charitatem efficax eſt, Gal. 5. v. 6. Conabuntur quidem impii ſe de objecto crimine purgare, ſed parum ipſis proderit, ſententia Chriſti manebit immota, ſiquidem omnia humanitatis officia pauperibus denegata, ipſe ſibi denegata reputabit. Hinc experientur, illud Jacobi: Judicium ſine miſericordia erit ei, qui non exercuit miſericordiam, c. 2. v. 13.

Cogitate vos mei, ſi in ignem mittetur, qui eſurienti non dedit panem ſuum, ubi putas mittendus eſt, qui tulit alienum? Si in ignem mittendus erit, qni nudum non veſtit, ubi mittendus erit, qui veſtitum expoliat? Si cum Diabolo damnatur, qui hoſpitibus non præbuit domum ſuam, ubi putas mittendus eſt, qui tulit alienam? Si periturus eſt, qui carcerem non viſitat, quid fiet de illo, qui fortè in carcerem miſit? Attendite, quam ſpem habere poſſunt, qui mala faciunt, quando illi perituri ſunt, qui bona intermittunt? inquit Auguſtinus. Ergò pœnitentiam agite, periculum in mora eſt, ſecuris jam tum ad radices arborum poſita eſt, quæcunque arbor fructum bonum non facit, exſcinderur & in æternum ignem conjicietur, Matth. 3. v. 10. Dictum eſt tibi ô homo, quod bonum eſt, & qnod Dominus à te requirit, Mich. 6. v. 8. Teſtes hodie invoco cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, elige ergo vitam, ut vivas tu & ſemen tuum, Deut. 30. v. 19.

De Tertio.

Reſtat *executio*, quæ his verbis deſcribitur: Et ibunt hi, videlicet impii, in ſupplicium æternum, juſti verò in vitam æternam.

Tria potiſſimùm notatu digna hic ponderanda veniunt:

1. *Ordinis inverſio.* In ſententiæ promulgatione pii ad dextram collocati primi erant, ſed jam in executione ab impiis primordium facit judex, ut pii oculis ſuis videant retributionem impiorum, Pſ. 91. v. 8. & exhinc magis agnoſcant beneficium ſalutis, quod per Chriſtum conſecuti ſunt, adeoque laudes Dei pleno ore decantent, ex Pſ. 116. v. 7. ſeqq.

In hoc mundo judicium ſolet incipere à domo Dei, 1. Pet. 4. v. 17. Ezech. 9. v. 6. Sed ibi invertetur ordo, & ab impiis vindictæ initium fiet, tempus patientiæ effluxit, adeſt dies iræ, quâ Deus dolores furoris ſui dividet, & calamitas inſtar torrentis impios inundabit, Job. 21. v. 17.

Si ſapitis ergò Vos mei, divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis divinæ, quibus vos ad pœnitentiam invitat, nolite contemnere, Rom. 2. v. 4. nam lento gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, ſed tarditatem ſupplicii gravitate compenſat, Sirach. 5. v. 7.

2. *Cita expeditio.* Nihil ſanè non tentabunt impii, obſecrantes, ut hæc ſententia mitigetur, aut executio differatur, verùm nihil efficient. Vix olim Ahaſverus mortis ſententiam in Hamanum tulerat, & ſtatim ille à carnifice in crucem actus eſt. Necdum verbum de ore Regis exierat, ait Textus, & ſtatim operuerunt faciem ejus, ſuſpenſuſque eſt Haman in patibulo, Eſth. 7. v. 8.

Ita

Ita quoque, ſimulac potentiſſimus ille Regum Rex Chriſtus Jeſus ſententiam ultimam ſuper damnatos elocutus fuerit: Ite maledicti in ſupplicium æternum, mox truculenti carnifices Diaboli illos invadent, & ad ſempiterna tormenta, vel invitos & reluctantes trahent.

Vix olim Moſes Hebræorum legislator ceſſavit loqui, mox Core, Dathan & Abiram cum complicibus ſuis ſeditionis ſociis, terrâ immane dehiſcente, vivi in infernum deſcendêre, Num. 16. v. 31. ſeqq. non aliter quoque cum damnatis agetur. Vix enim judex morti ipſos adjudicaverit, quin mox terra disrupta eos abſorbeat, & abſorptos ad tartara transmittat, cadent in profundum ſicut lapides, & quaſi plumbum in aqu s vehementibus, Ex. 15. v. 10. eſt enim Dominus dicens & faciens, Ezech. 36. v. 36. 37. v. 14. qui ſententiam prolatam facilè in effectum producere poteſt, ſiquidem præ multitudine roboris & potentiæ ejus nihil quicquam deficit, Eſ. 40. v. 26.

Hic pœnitentiæ janua adhuc patet, hic gratiæ porta aperta eſt: ſed tunc claudetur, ſtabit ſemel decreta ſententia, & non revocabitur. Clamabunt damnati, miſericordia, miſericordia! ſed abſcondit Deus miſericordias ſuas & obliviſcetur miſereri. Diſcent cum epulone cantare ſuum *κύριε ἐλέησον*, quod hic in templo noluerunt canere, ſed nullus miſerator exaudiet, ſed fruſtrà erit omnis ejulatus, quia Deum clamantem non audiverunt, ideò nec ipſi exaudientur, Proverb. 1. v. 24. ſeqq.

3. *Diſpar utriusque partis conditio.* Damnati ibunt in ſupplicium æternum, pii verò in vitam æternam. Ubi

1. *Sors damnatorum*, nimirum ſupplicium æternum, & hæc condigna peccatorum pœna eſt, hæc juſta irati judicis vindicta. Noluerunt illi vitam, ideò æternæ mancipantur morti, noluerunt cœlum, ideò mittuntur in infernum, in lacum illum ſine aqua, Zach. 9. v. 11. in carcerem debitorum, in quo noviſſimus etiam quadrans ſolvendus eſt, Matth. 5. v. 26. in caminum ignis, ubi fletus & ſtridor dentium, Matth. 13. v. 42. *εἰς τόπον τῆς βασάνου*, Luc. 16. v. 28. ſub torcular iræ, Apoc. 14. v. 19. in ſtagnum ignis ardens ſulphure, Apoc. 19. v. 20. in quo cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum, Apoc. 20. verſ. 10. in torrentem ſulphuris, Eſa. 30. verſ. 33. ubi vermis impiorum non moritur, & ignis non extinguetur, Eſa. 66. 24. ubi erit ignis æternus, Matth. 25. v. 41. opprobrium æternum, Dan. 12. verſ. 2. damnatio æterna, Eb. 6. v. 2. mors æterna, Apoc. 20. v. 6. interitus æternus, 2. Theſſ. 1. v. 9.

2. *Sors electorum*, nimirum vita æterna, quæ non immeritò *τέλος τῆς πίστεως ἡμῶν* à Petro appellatur, 1. Pet. 1. v. 9. hanc obtinebunt electi, venient in manû Dei, Sap. 3. v. 1. portabuntur in ſinum Abrahæ, Luc. 16. v. 22. introducentur in Paradiſum, Luc. 23. v. 43. pervenient ad tabernacula pacis, Eſa. 32. v. 18. in cœleſtem Hieroſolymam, Ebr. 12. v. 22. in civitatem manentem, Ebr. 13. v. 14. in terram viventium, Pſ. 116. v. 9. ad illum locum, ubi erit gaudiorum ſatietas, Pſ. 16. v. 11. pax certa, Rom. 14. v. 17. requies vera, 2. Theſſ. 1. v. 7. optatum refrigerium, Act. 3. v. 20. æterna gloria, 1. Petr. 5. v. 10. æterna hæreditas, Eb. 9. v. 15. æternum regnum, 2. Pet. 1. verſ. 11. æterna ſalus & beatitudo, Eſ. 45. v. 17. Eb. 5. v. 9.

O ſortem pulchram! O jucundam poſſeſſionem! Obliviſcimini fratres quæ retrò ſunt, & ad ea quæ priora ſunt vos extendite, Phil. 3. v. 13. Lenite calamitates quas tole-

Digitized by Google

ratis in hoc ergaſtulo, ſpe ſecuturæ pacis & lætitiæ, certò vobis perſuadentes, quod paſſiones hujus vitæ condignæ non ſint ad futuram gloriam, quæ revelabitur in vobis, Roman. 8. v. 18.

Agricola, quò lætior ſeges excreſcat, & uberioris meſſis ſpes affulgeat, nives, gelu, brumam prius illi optat: Hæc enim niſi præceſſerint, meſſis & æſtas grandine denſiſſima fœdabitur: Ita quoque, ut læta alterius vitæ æſtas & copioſa beatitudinis æternæ meſſis exiſtat, hyemem tribulationum, & brumam nivesque calamitatum prævenire oportet. Eja igitur, crucem quæ contingit vobis, non averſamini, ut etiam lucis commodis perfrui valeatis, cum voce ejulationis pervenitur ad exultationem, ubi decor non palleſcit, amor non tepeſcit, ſanitas non marceſcit, gaudium non decreſcit, ubi dolor non ſentitur, gemitus non auditur, triſte nil videtur, ſed erit quicquid voles, & non erit, quicquid noles, optata ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna libertas, ad quam perducat nos Dux & Conſummator fidei noſtræ Christus Jesus, cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Evangelium Dominicæ 27. poſt Trinitatis inveniet Lector Dom. 6. poſt Epiphan. de Clarificatione Chriſti.

Hîc FINIS I. Partis.

PARS

Digitized by Google

PARS II.

Continens EVANGELIA FESTIVALIA.

In Die S. Andreæ.

Evang. Matth. 4. verſ. 18. 22.

QUemadmodum olim in V. T. Deus Ter O. Maximus ex Ægypti aquis parvulum Moſen à matre expoſitum eduxit, ut eum deinde ſuum apud Pharaonem legatum, & univerſi populi Iſraelitici Principem & Legiſlatorem conſtitueret, Exod. 2. & ſeqq. Sic tempore N. T. omnipotens Dei Filius non minori miraculo piſcatorem humilem, Andream nomine, ab aquis Tiberiadis eduxit, ut ipſum deinde myſteriorum ſuorum interpretem, Evangelii Doctorem, paſſionis teſtem, & de Principibus Eccleſiæ unum conſtitueret. Ideò enim feſtivitas ejus primas tenet inter ſolennitates Apoſtolicas, quia primus omnium ad Apoſtolatum vocatus eſt, ut prælecta pericope teſtatur.

Patria ejus fuit Bethſaida, Johan. 1. verſ. 44. Patrem habuit Johannam ſive Jonam, Matth. 16. v. 17. Fratrem verò Petrum, qui propterea etiam Barjonas, i. e. filius Jonæ dictus eſt, Joh. 1. v. 42. Profeſſione fuit piſcator. Primùm ſe adjunxit diſcipulis Johannis Baptiſtæ. Cùm verò Johannes die quodam Jeſum intuitus ambulantem diceret: Ecce, agnus Dei, ſtatim cum diſcipulo altero Jeſum ſecutus eſt, & fratrem ſuum Simonem etiam adduxit, Joh. 1. v. 36. ſeqq. Poſt aſcenſionem Chriſti cum reliquis Apoſtolis abiit in univerſum mundum, & prædicavit Evangelium in Scythia & vicinis regionibus, itemque in Cappadocia, Galilæa, Bithynia, uſque ad Pontum Euxinum. Tandem Patris Civitate Achajæ cruci affixus martyrium ſubiit.

Nos ut juxta præſcriptum Apoſtolicum Ebr. 13. v. 7. memoriam ejus recolamus, Evangelii ordinarii explicationem ad manus ſumemus, viſuri

I. Chriſti vocantis clementiam.

II. Promptam vocatorum obedientiam.

J. J.

EXEGESIS.

VEre de Meſſia prædixit Rex & Propheta, quod veſtigia ejus ſtillatura ſint pinguedinem, Pſ. 65. verſ. 12. quocunq; enim venit; benedictio ipſum largiſſima ſemper comitata eſt. Exemplum habemus in prælecta pericope, ubi Chriſtus ambulaſſe dicitur juxta mare Galilææ, nec ſine ſtillicidio pinguedinis, vocavit enim Petrum & Andream, Jacobum & Johannem ad munus Apoſtolicum, ut eſſent columnæ Eccleſiæ

add

ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, Eph. 4. v. 11. 12. in quo actu declaravit bonitatem & clementiam ſuam.

I. *Acceſſu.* Nam ideò ad mare Galilææ ſeceſſit & in littore ambulavit, ut piſcatores hoſce ſibi acquirat, nimirum prævenit nos gratiâ ſuâ, & ubique locorum præſentiam ſuam gratioſam fidelibus exhibet, etiam in medio mari tribulationum verſantibus, quando abyſſus abyſſum invocat, Pſ. 42. v. 8. noli igitur abjicere animum. Chriſtus ambulat in littore, & non procul abeſt ab unoquoque noſtrum, Actor. 17. v. 27. juxta promiſſionem Eſ. 43. v. 2. Matth. 18. v. 20.

II. *Aſpectu.* Vidit enim duos fratres, ut Evangeliſta teſtatur, ſed fuit aſpectus ille

1. *Amicabilis.* Vides aliàs omnia à ſeculo in ſeculum, & nihil eſt abſconditum ab oculis ejus, Sir. 40. v. 25. Sed hîc Petrum & Andream peculiari modo reſpicit, oculis nimirum gratiæ, quibus reſpicere ſolet hos, quos diligit. Exempla vide Luc. 22. v. 61. Matth. 9. v. 9. Luc. 19. v. 5. Eodem modo reſpicit adhuc hodie pauperculos & contritos ſpiritu, qui ſermones ejus tremunt, Eſ. 66. v. 2. adde Pſ. 33. v. 18.

Tu cave, negligas hunc intuitum, ut cives Hieroſolymitani, Luc. 19. v. 41. aliàs in ira ſua te aliquando aſpiciet, & in eum locum detrudet, ubi impii lucem nunquam videbunt, Pſ. 49. v. 20.

2. *Memorabilis.* Videt enim duo fratrum paria, eademque ad Apoſtolatum vocat. Hoc ipſo fraternam charitatem commendat omnibus Chriſtianis, & inprimis his, qui uni Eccleſiæ præſunt, & collegialem ſibi invicem operam præſtare debent, ut uno pariter animo per fidem Evangelii decertantes, Phil. 1. v. 27. vinculum pacis incorruptum ſervent, Eph. 4. v. 3. ibi promittit Deus benedictionem & vitam uſque in ſeculum, Pſ. 133. v. 4.

Deſcribuntur hi fratres

1. *Ratione nominis*, nimirum vocabantur, Simon, Andreas, Jacobus & Johannes. Nomina illa habent ſuas emphaſes, & quatuor egregias virtutes nobis in mentem revocant, quibus omnes fideles Eccleſiæ Paſtores ſtudere debent, ut imitentur

1. *Simonis in auſcultando ſedulitatem.* Simon idem eſt quod auditor, talis reverâ fuit Petrus, qui multas egregias conciones ex ore Chriſti audivit, & quod audivit, poſtea aliis prædicavit, ut ipſe inquit, 2. Pet. 1. v. 16. 17. 18. His veſtigiis adhuc hodie omnes fideles Eccleſiæ miniſtri inſiſtere debent, ut ad pedes Chriſti ſedeant, & nihil loquantur, niſi quod à Chriſto audiverunt & didicerunt. Ipſe ſiquidem eſt Propheta ille magnus, quem commendavit nobis Pater cœleſtis, Deut. 18. v. 15. Matth. 17. v. 5.

2. *Andreæ in tolerando virilitatem.* Andreas idem eſt quod fortis & robuſtus. Talis fuit Andreas, qui poſt multas perſecutiones tandem cruci affixus eſt, ſed omnia maſculosè pertulit, & Chriſto fidem ſervavit uſque ad mortem, ideò corona vitæ ipſi impoſita eſt, Apoc. 2. v. 10. Virtus hæc omnibus Eccleſiæ miniſtris maximè neceſſaria eſt, quid enim prædicare verbum, quàm derivare in ſe furorem totius inferni & Satanæ? inquit Lutherus. Forti igitur & imperterrito animo opus eſt, ſi quis officio ſuo ſtrenuè defungi, & coronam immarceſſibilem tandem conſequi velit. Exemplo poteſt eſſe Jer. 17. v. 16. Paulus, Act. 20. v. 23. qui enim mundo placere ſtudet, Chriſti diſcipulus eſſe non poteſt, Gal. 1. v. 10.

3. *Jacobi in ſupplantando ſeveritatem.* Jacobus idem eſt quod ſupplandator. Ita fide-

Digitized by Google

fidelis Eccleſiæ miniſter ſupplantare debet

(1) *Falſa docentes*, Tit.1. v.10. (2) *pravè viventes*, Eſ.58.v.1. Ezech.3. v.17. 1. Tim. 5. v.20.

4. *Johannis in conſolando jucunditatem.* Johannes idem eſt quod gratioſus. Talis ſit oportet omnis fidelis Eccleſiæ miniſter, ut poſt conciones legis pœnitentibus gratiam Dei annunciet, ne in peccatis deſperent, ſed in Chriſto ſeſe erigant, qui propitiatio eſt pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v.1. Hæ ſunt duæ virgæ, Zach.11. v.7.

2. *Ratione muneris*, quod fuerint piſcatores, unde perſpicimus

1. *Dei morem*, qui abjecta & humilia eligere ſolet, 1. Cor.1. v.26.27. & piſcatores ἀγραμμάτυς καὶ ἰδιώτας Act.4. v.13. ad Apoſtolatum vocavit, ut doceret miniſterii efficaciam non perſonæ docentis, ſed mittentis & vocantis aſſcribendam eſſe, 1. Corinth. 3. v.5.

2. *Opificiorum honorem.* Dum enim Chriſtus piſcatores ad Apoſtolatum vocat, docet ſimul, quid valeant coram ipſo opera manuaria, nimirum à Deo ſunt, qui Bezaleel & Ahaliab replevit ſpiritu ſapientiæ & intelligentiæ, Ex.31. v.3. ſeqq. & fabrum creavit, Eſ. 54. v.16. & adhuc dona ſua prout vult, diſtribuit, 1. Cor.12. v.11. imò benedictionem ſuam ipſis promittit Pſ. 128. v.2.

Videant modò, ut ſint in officio ſuo fideles juxta præceptum Apoſtolicum, Rom. 12. v.7. & labores manuum ſuarum manducent, Pſ 128. v.2. nec opus laborioſum oderint, quia Dominus ordinavit, Sir.7. v.1.

3. *Ratione operis.* Quidam enim retia emittunt, quidam retia ſarciunt. Ita ſinguli opifices opificia ſua fideliter tractent. Nam ſedula manus ditat, Prov.10. v. 4. diſcant etiam parci eſſe & ſarcire retia ſua. Qui enim minuta non comparcit, decreſcit de die in diem, Sir. 19. v.1.

III. *Affatu.* Nam venite poſt me, inquit, ego faciam vos piſcatores hominum. Ubi habemus

1. *Verba mandati.* Venite poſt me. Quæ nobis ſuo exemplo, & veſtigia quaſi reliquit innocentiæ & patientiæ, ut ſequamur illa, 1. Pet.2. verſ.21. ſi tandem cum Chriſto per anguſta ad auguſta tranſire velimus, Luc.24. v.26.

2. *Verba promiſſi.* Nam faciam vos, inquit, piſcatores hominum, & hoc ipſo miniſterii Eccleſiaſtici dignitatem, laborioſitatem, neceſſitatem ſub typo piſcaturæ corporalis quaſi depingit. Dignitatem in eo, quia circa animas hominum capiendas occupatur, quas filius Dei proprio ſanguine redemit, Act.20. verſ. 28. Laborioſitatem in eo, quod in verbo laborandum, 1. Tim.5. v.17. vigilandum & non dormiendum eſt, ne inimicus homo zizania ſuperſeminet, Matth.13. v.25. Neceſſitatem autem in eo, quod pleriq; in limo mundi ita ſunt impliciti, ut niſi extrahantur per rete Evangelii, in æternam perditionẽ demergantur, 2. Pet. 2. v.20.

De Secundo.

Vidimus Chriſti vocantis clementiam, videbimus etiam promptam vocatorum obedientiam, quam triplici effectu Evangeliſta commendat:

1. *Citò ſurgunt.* Εὐθέως eſt in Græco, & ſignificatur hac particula, quod eo ipſo momento, quo Chriſtus eos vocaverit, citra ullam conſultationem, promptos ſe & morigeros præbuerint.

Monent hoc exemplo omnes omninò Chriſtianos, ut quando Chriſtus adhuc per

Digitized by Google

miniſtros ſuos ad pœnitentiam eos invitat, non differant illam, ſed ſtatim ſurgant & obtemperent, Pſalm.95. v.8. Ebr.3. v.12. 13. 14. 15. qui vocationem hanc non attendit, ſed nave ſecuritatis ſine ulla pœnitentia in vaſto peccatorum mari divagatur, & rete malitiæ hinc inde laxat, videat, ne ſubitâ morte obruatur, & in lacum demergatur ardentem pice & ſulphure, Apoc.21. v.8.

2. *Omnia relinquunt*, & quidem

1. *Retia.* Nec amplius piſcaturam ſectantur, ſed Chriſto adhærent, & in hoc omnem curam & operam collocant, ut officio ſuo ſatisfacere poſſint; Et docent nos hôc exemplo, ut ſpartam quisque ſuam ornare ſtudeat, quæ ipſi demandata eſt. Non tamen hoc ita intelligendum eſt, quaſi fidelis Eccleſiæ miniſter omnem prorſus curam œconomicam abjicere debeat, ſiquidem Paulus ab Epiſcopo requirit, ut domui ſuæ bene præſit, 1. Tim.3. v.5. & expreſsè ſcribit, quod is, qui domeſticos ſuos negligat, ſit Ethnico deterior, 1. Tim.5. v.8. ſed ita tractanda ſunt ſecularia, ne Eccleſiaſtica periclitentur, Act.6. v.2. & turpe lucrum quæratur, 1.Tim.3. v.3. ut quidam inveniuntur, qui cauponariam exercent, mãgones ſunt, mercatores, quandoque etiam Medici, Juriſconſulti & prætores, & hoc ipſo magnam officio Eccleſiaſtico maculam affricant. Qui enim literis diſcendis incumbere debet otio ad hoc opus habet, & qui docendus eſt, ab aliis laboribus vacare debet. Qui tenet aratrum, & gloriatur in jaculo ſtimuli, & converſatur in operibus eorum, & enarratio ejus in filiis taurorum, cor ſuum dabit ad verſandos ſulcos, & vigilia ejus in ſaginâ vaccarum, Sir.38. v.25. ſeq.

2. *Sodalitia.* Nam de filiis Zebedæi memorat Evangeliſta, quod reliquerint Patrẽ ſuum cum mercenariis, quorum opera in piſcatura hactenus uſi fuerant, ut Marcus addit, c.1. v.20. Hoc obſervent etiam pii & fideles Eccleſiæ miniſtri, ut mandatum Chriſti anteponant patri & matri, fratribus & ſororibus, adeoque omnibus amicis & ſodalibus, qui enim patrem & matrem plus amat quàm me, non eſt me dignus, inquit Chriſtus, Matth. 10. v.37.

3. *Navigia*, quo nomine facultates terrenæ intelliguntur, quas ad vocationem divinam relinquere debemus

1. *Affectu*; ne cor iisdem apponamus, Pſalm. 62. verſ.11. non enim cenſus ſed affectus eſt in crimine. Poſſidentes igitur ſint tanquam non poſſideant, 1. Corinth. 7. v. 29. 30. 31.

Effectu, quando neceſſitas exigit tempore perſecutionis vel alius infortunii, vel etiam in extremo articulo vitæ, tunc parati eſſe debemus, ut ſequamur Chriſtum etiam absque nave, absque reti, absque ullo honorum terrenorum ſubſidio, ingeminantes illud Jobi: Nudus egreſſus ſum de utero matris, nudus revertar illuc, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum, Job.1. v.21.

3. *Vocationem ſuſcipiunt.* Nam ſecuti ſunt ipſum, inquit Evangeliſta, & hoc ipſo omnibus miniſterii Candidatis facem quaſi præferunt, ne tergiverſentur, quando ad officium aliquod Eccleſiaſticum vocantur, ut Moſes, Ex. 4. v.10. & Jeremias, c.1. v.6. ſed ſponte & promptè obediant. Non revocet nos cenſus tenuitas, nam angelis præcipere poteſt, ut ipſis panem apportent, ut ut teſtatur exemplum Eliæ, 1. Reg.19. v.6. non virium imbellicitas, Nam virtus ejus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. verſ.9. non inſcitia & ruditas, nam dabit ipſi ori ſapientiam,

tiam, Matth.10. verſ.19. Sequere igitur cum piſcatoribus hiſce vocationem Chriſti, & fidelis eſto in minimis, tunc conſtituet te Dominus ſuper multa, Matth.25. verſ.21. Hoc mihi & tibi concedat Chriſtus Jeſus ter benedictus in ſecula, Amen.

In Die S. Thomæ.

Evangelium Johan. 20. verſ. 24. 29.

REfert Moſes Gen. 45. v. 26. & 28. de Jacobo Patriarcha, quod cum filii ejus ab itinere frumentationis reduces ipſi nunciaſſent, Joſephum adhuc ſuperſtitem eſſe, & in terra Ægypti regnare, credere, illud præ gaudio non potuerit, ſed potius ſomnium ſe audire exiſtimaverit, donec poſt aliquot ipſe dies ſuis oculis eum conſpicatus ſit: ubi exclamavit per ἔκστασιν quaſi pio admirationis ſenſu: Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.

Simile quid contingere videmus in hodierno Evangelio. Poſtquam enim reliqui Apoſtoli Thomæ Collegæ ſuo enarrant Chriſtum à mortuis reſuſcitatum omnibus ſibi redivivum apparuiſſe, credere prorſus noluit, donec tandem ſuis eum conſpiciens oculis & manibus contrectans octiduo pòſt gaudio & ſtupore plenus exclamat: Dominus meus & Deus meus, q. d. Si tantâ polles virtute, ut crucifixus & mortuus proprio marte reſurgas, meus deinceps Dominus eris & Deus, cui ſerviam & confidam in ſeculum.

Accingemus nos ſine ulteriori præfatione ad ipſius hiſtoriæ explicationem, quæ duabus partibus abſolvitur, ut ſunt:

I. Lapſus Thomæ deteſtatiblis.

II. Sublevatio Chriſti amicabilis.

J. J.

EXEGESIS.

THuribula ſeditioſæ factionis, Core, Dathan & Abiran Deus tollere, inque laminas producere, & in altari ſuſpendere jubet, Numer. 16. v. 38. Ita Thomæ incredulitatem quotannis repetit Eccleſia ad memoriam & correctionem, ut lapſus majorum ſit tremor minorum. Hinc Bernhardus: Plus nobis, inquit, prodeſt Thomæ dubitatio, quàm aliorum fides, dum per hoc exemplum quaſi excitamur, ut incredulitatem cane & angue pejus fugiamus, & in vulneribus Chriſti nos abſcondentes ad vitam æternam conſervemur.

Tria autem circa lapſum Thomæ conſideranda veniunt

I. *Perſonæ notatio*, quæ deſcribitur

1. *Ratione nominis.* Dicitur enim Thomas græcè δίδυμος, latinè gemellus, quia cum fratre alio uno eodemque partu in lucem prodiit, quales gemelli etiam Eſau & Jacob fuerunt, Gen. 25. v. 24. mentio ejus fit Matth.10. v.3. Marc.3. v.18. Luc. 6. v. 15. Act.1. v.13. ubi reliquis Apoſtolis annumeratur, itemque Joh.11. v.16. & Joh.14. v.5.6. Hoc nomē accepit Thomas in circumciſione, nec mutavit poſteà ad Apoſtolatum evectus, quod Pontifices Romani in uſu habēt. Autor fuit Sergius II. Is cum in baptiſmo ſibi impoſitum haberet Os porci, Sewrüſſel, ignominioſum ſibi exiſtimans, Sergium ſe nominari voluit, quam conſuetudinem reliqui Pontifices imitati ſunt omnes excepto uno Marcello, qui de mutando nomine admoni-

monitus ſcitè reſpondit : nec nomen, nec mores: Marcellus fui, Marcellus ero. Hoc ipſo ſatis declarant, quod cum nomine ſimul fidem abnegaverint. Hic nominat ſe Bonifacium, qui per dies vitæ nihil boni operatus eſt, ille nominat ſe Innocentium, qui multis peccatis obnoxius eſt, iſte nominat ſe Clementem, qui tyrannico animo fideles exagitat. Huc pertinent omnes illi, qui patrii ſoni pertæſi Græcam mollitiem in nominibus affectant, quod de Judæis Joſephus commemorat, quorum Pontifices tempore Maccabæorum græca nomina aſſumebant, & Jaſones, Menelai, &c. appellari volebant, 2. Macc. 4. v. 7. ſeqq.

2. *Ratione muneris.* Dicitur enim unus ex duodecim. Quanquam enim tum undecim ſaltem erant Apoſtoli, quia Judas abierat in locum ſuum, Act. 1. v. 25. nihilominus reſpectu primæ inſtitutionis appellantur οἱ δώδεκα, quia numerus duodenarius à Chriſto non ſine cauſa ordinatus & conſecratus eſt, ut impleretur typus duodecim Patriarcharum, qui Eccleſiam Judaicam plantarunt, Gen. 35. v. 22. duodecim fontium, in Elim, qui potum præbuerunt populo Iſrëlitico, Exod. 15. v. 27. duodecim præfectorum Salomonis, qui domum ejus procurabant, 1. Reg. 4. verſ. 7. duodecim exploratorum, qui fertilitatem terræ Canaan populo deprædicabant, Deutern. 1. verſ. 23. &c. duodecim boum, qui mare æneum in templo Salomonis portabant, 1. Regum. 7. verſ. 23. &c. hinc ſtatim poſt aſcenſionem Chriſti ad cœlos Matthias in vicem Judæ adoptatus eſt, Actorum. 1. verſ. 26.

Apparet hinc, quando vel ex Doctoribus vel ex auditoribus quidam deficiunt, quàm facilè Deus rupturam illam reſarcire poſſit, quod jam dudum in Saule, cui Davidem, 1. Sam. 13. v. 14. & in Judæis, quibus gentes ſubſtituit, effectum dedit, Actor. 13. verſ. 46. Non igitur deſpondeatis animum, vos mei, quando videtis periculoſiſſimis hiſce temporibus multos ab Evangelio deficere, & characterem beſtiæ aſſumere, conſervabit ſibi Deus aliquod ſemen, nimirum ſeptem millia, qui genua non flectunt coram Baal, 1. Reg. 19. v. 18. & ſi vel maximè omnes deficerent, potens eſt ex lapidibus ſibi filios ſuſcitare, Luc. 3. v. 8.

II. *Incredulitatis generatio*, quæ inde originem trahit, quod ipſo reſurrectionis Dominicæ die Apoſtolorum congregationem neglexit, nam non erat cum eis quando Jeſus venit, inquit Evangeliſta.

Caveamus igitur, ne ab Eccleſia nos ſubducamus, Eb. 10. v. 25. ſed lætemur potius cum Davide, quando cultum divinum viſitare debemus, Pſal. 42. v. 5. 122. v. 1. ubi enim duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, inquit Chriſtus, in medio ſum, Matth. 18. verſ. 20. ibi ſonat verbum vitæ, Joh. 6. verſ. 68. per quod accenditur fides, Rom. 10. v. 17. ſine quo impoſſibile eſt Deo placere, Ebr. 11. v. 6.

III. *Effrenata perſeveratio.* Eouſque enim progreditur in ſua incredulitate, ut nullâ ratione ſibi perſuaderi patiatur, Chriſtum reſurrexiſſe, ſed potius contradicit reliquis ſuis collegis, dum hi reſurrectionis Chriſti veritatem læto ore ipſi annunciant, & expreſsè ait : niſi videro in manibus ejus veſtigia clavorum & mittam digitũ meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Vox certè ſtupenda & impia, ſi ſpectes

1. *Subjectum perſonale.* Thomas enim unus erat ex duodecim, quem Chriſtus ipſe

in

in ſchola ſua concionibus eruditis & miraculis concomitantibus informaverat, qui etiam viderat ſuis oculis, quàm facilè eſſet Chriſto mortuos ſuſcitare, & exemplum Lazari adhuc in recenti memoria habebat, Ioh.11. v.43.44. nihilominus omnem fidem derogat Apoſtolis reliquis, dum Chriſtum reſuſcitatum ſe vidiſſe & loquentem audiviſſe ipſi annunciant.

Videtis hîc dilecti, quod nemo ſine crimine vivat, ſed juſtus etiam ſepties in die cadat, Prov. 24. verſ. 16. nam inter ſanctos non eſt integer, Iob. 15. v. 15. 16. quoties igitur legis in Scripturis de Noæ temulentia, Gen. 9. v.21. de Lothi inceſtu, Gen.19. v.36. de Moſis homicidio, Ex. 2. v.12. de Aaronis idololatria, Ex. 32. v. 4. de Davidis adulterio & homicidio, 2. Sam. 11. v. 4. ſeqq. &c. humilitatem ſectare & cogita: Si ſit hoc in viridi, quid fiet in arido? Luc. 23. v. 31. adeoque cum tremore & timore operare ſalutem tuam, Phil. 2. v.12.

2. *Obiectum reale*, peccatum nimirum, in quod prolapſus eſt Thomas, hoc eſt incredulitas, mater & radix omnium peccatorum. Non enim vult credere Deo Patri, qui reſurrectionem Filii ſui ab æterno decrevit. Non vult credere Deo Filio, qui hanc ipſam in diebus carnis ſuæ ſæpius promiſit. Non vult credere Deo Spir. S. qui per Prophetas locutus eſt, & varia de hoc articulo vaticinia edidit. Non vult credere S. Angelis, qui reſurrectionem annunciaverant. Non vult credere tot fide dignis & oculatis teſtibus, qui ipſum viderant & palpaverant. Adhæc pertinaciter in ſua incredulitate obdurat per totum octiduum, & nullum niſi ocularem demonſtrationem admittere cupit.

Ergò prudenter ambula, ne & tu tenteris, Gal. 6. v. 1. ſi ſtas vide ne cadas, 1. Cor. 10. v.12. & inprimis fuge incredulitatem, quæ fons eſt & origo omnium aliorum peccatorum. Cur blaſphemiæ increbreſcunt? quia nemo credit ſecundo præcepto, ubi Deum omnibus qui nomen ejus in vanum ducunt, certiſſimam pœnam comminantur Ex. 20. v. 7. Cur Sabbathum violatur undique, & conciones verbi divini à multis pro nihilo habentur? Nemo eſt qui credit tertio præcepto, ubi ſanctificatio Sabbathi præcipitur. Cur ſcortatio & adulterium pro peccatillo à mundanis reputatur? Non credunt ſexto præcepto, ubi Deus à nobis exigit caſtitatem in verbis & operibus, ut unusquiſque conjugem ſuam amet & honoret. Idem de reliquis peccatis judicium eſto, quæ omnia ex radice incredulitatis ſuppullulant. Proinde cum faciles ſimus ad ſeducendum, debiles ad operandum, & fragiles ad reſiſtendum, neceſſitas efflagitat, ut quotidie cum Apoſtolis pro fidei incremento & ſtabilimento ſollicitemus: Domine adauge nobis fidem noſtram, Luc. 17. v. 5. & cum Patre lunatici: credo Domine, ſed tu ſuccurre incredulitati meæ, Marc. 9. v. 24. tunc linum fumigans non extinguet, & calamum quaſſatum non conteret, Eſ. 42. verſ. 3. ſed quod cœpit in nobis bonum opus, perficiet uſque in diem Jeſu Chriſti, Phil. 1. v.6.

De Secundo.

VIdimus lapſum Thomæ deteſtabilem, videbimus etiam per Dei gratiam ſublevationem Chriſti amicabilem, ubi duo potiſſimùm conſideranda occurrunt:

I. *Modus*, quomodo lapſum erexerit, nimirum

1. *Repetitâ acceſſione*, quæ eſt

1. *Gratioſâ.* Thomas ſtupendâ ſuâ incredu-

dulitate omni ſe gratia indignum fecerat, ſed ecce Chriſtus ipſum quærit inſtar oviculæ, & Eccleſiæ caulam deportat. Hoc ipſo ſe ἀρχιποιμένα eſſe declarat, qui venit in hunc mundum quærere & ſalvare quod perierat, Luc.19.v.10. Differt quidem adventum, ſed tandem opportunè venit, & gratiæ ſuæ ſplẽdore nubes incredulitatis penitùs diſpellit. Ne igitur deſperes, quando adhuc hodie ſub cruce te lamentantem Chriſtus relinquit, veniens veniet & non tardabit, Haba.2.v.3.

2. *Miraculoſa.* Venit enim januis clauſis ἀπὸ μηχανῆς quaſi & ex improviſo, cum nil quicquam tale cogitarent Apoſtoli, nulla vel ſera vel janua ipſius adventum impedire poteſt, Clauſæ erant fores, ſed non clauſa erat Chriſti miſericordia, penetrat violenter, & Apoſtolos ſuos in ſummo mœrore & timore conſtitutos exhilarat. Gaudete vos mei, habemus Dominum omnipotentem, qui ubiq; ſuo auxilio nobis adeſſe poteſt, in carcere, Act.12.v.7. in ſpelunca leonum, Dan.6.v.22. in medio mari, Matt. 14.v.25. in quocunque angulo, Pſ.139.v.3. juxta promiſſionem ſuam, Eſ.43.v.1. ſeqq.

3. *Glorioſa.* Nam in medio conſiſtit ut ſol inter Planetas, & ut virtus inter duo extrema, quia mediator erat inter Deum & homines, 1.Tim.2.v.5. per peccatum ſeparatos, Eſ.59. v.2. quos reconciliaverat in ſeipſo per ſanguinem crucis ſuæ, Col.1.v.20.

2. *Pacis apprecatione.* Quia enim princeps pacis eſt, Eſ.9.v.6. quam morte & reſurrectione ſuâ inſtauravit, Eſa.53.v.5. ſtatim à morte redux hanc diſcipulis ſuis annunciat, & adhuc hodie per Evangelii prædicationẽ in toto mundo offert & applicat, unde dicitur Evangelium pacis, Eph.6.v.15.

De hac pace nobis gratulemur & operam demus, ut palmam obtineat in cordibus noſtris, Col.3.v.15. quod fit per ſtudium bonorum operum, quando vias noſtras dirigimus in viam pacis, Luc.1.v.79. & juxta normam Decalogi incedimus, impiis enim non eſt pax, Eſ.48.v.22.

3. *Cicatricum oſtenſione.* Nam Thomam, cujus gratia jam venerat, ſpeciatim appellat, & ades dum, inquit, infer digitũ tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli incredulus eſſe, ſed fidelis. Corpora glorificata aliàs cicatrices non habent, ſed ex ſingulari diſpenſatione hîc à Chriſto reſervatæ ſunt, ut Thomæ ſatisfaceret, & omnem dubitationem ex corde ipſius evelleret.

Eandem benignitatem præſtat adhuc hodie omnibus perturbatis conſcientiis, quando per legem ad peccatorum agnitionem devenerunt, & ſtigmata vulnerum & clavorũ in verbo & Sacramentis oſtendit, quorũ efficacia fides corroboratur, & cõſcientia tranquillatur, nã livore ejus ſanati ſũus, Eſ.53.v.5.

Baalitæ in propriis vulneribus cõfidebat, 1.Reg.18.v.28. Põtificii in vulneribus Franciſci Dominici, & flagellatorum præſidium ſuum collocant, ſed fruſtrà: Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, 1.Joh.2.v.1. ipſe ſolus torcular calcavit, Eſa.51. v.3. & hunc honorem alteri non dabit, Eſ.42.v.8.

Si igitur requiem invenire velimus pro animabus noſtris, oportet nos vulnera Chriſti intueri & exoſculari. Nihil enim tam efficax eſt ad curanda conſcientiæ vulnera, quàm vulnerum Chriſti meditatio ſedula, inquit Bernhardus. Ergò cane cum Eccleſia.

Mein Sünd mich werden kräncken ſehr/ &c.

II. *Fructus*, qui duplex:

1. *Exclamatio.* Poſtquam enim Chriſtum ipſe videt, & audit, formulam, quã

antea

antea ſuam incredulitatem manifeſtaverat, obſtupeſcit quaſi, & Domine mi, inquit, & Deus mi, quæ ſunt verba

1. *Admirantis.* Agnoſcit enim Chriſti majeſtatem, quâ cordis ſui abyſſum perſcrutatus ipſam quoque formulam ſciebat, qua ante octiduum Collegarum ſuorum bonum nuncium eluſerat, imò qua mortis clauſtra perfregerat inſtar Simſonis, Jud. 16. v. 3. & ſe Filium Dei eſſe ſatis ſuperque declaraverat, Rom. 1. verſ. 4. Ita nos quoque majeſtatem Chriſti miremur, non timeamur, hæc ſapientia ſumma eſt. Nam ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ facere poteſt, ultra id quod petimus & intelligimus, Eph. 3. v. 20.

2. *Deplorantis.* Hactenus genio ſuo indulſerat, & omnes ſuorum collegarum admonitiones ſuſque deque habuerat. Jam facti ipſum pœnitet, quapropter ô Domine mi, inquit, & Deus mi, quàm graviter peccavi, ignoſce, & ſana animam meam, quæ valde turbata eſt, cum Davide Pſ. 6. v. 4.

Sequamur hoc exemplum dilecti, & contrito corde agnoſcamus & doleamus peccata noſtra, quibus iram Dei promeriti ſumus. Scindamus corda noſtra, Joel. 2. v. 13. & dicamus, iniquè egimus, Thr. 3. v. 42. tunc remiſſionem impetrabimus, Prov. 28. v. 13. 1. Joh. 1. v. 9.

Emendantis. Nam Deus mi, inquit, & Domine mi, quo pronomine beneficia hujus Domini ſibi ſpeciatim applicat, eundemque etiam Dominum ſuum eſſe profitetur, cui deinceps ſervire velit in juſtitia & ſanctitate omnibus diebus vitæ ſuæ, Luc. 1. v. 74. 75. Hæc eſt nova obedientia, quam ſpondet Chriſto, & nobis quoque exemplum præbet, ad cujus normam pœnitentiam noſtram informare debemus, ut peccatorum remiſſionem adepti non ſtatim ad volutabrum antiquum recurramus, veluti ſues, 2. Pet. 2. v. 22. ſed abnegatis mundi concupiſcentiis, & omni impietate ſobriè, juſtè & piè vivamus ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, Tit. 2. v. 12. ne poſteriora prioribus deteriora fiant, Joh. 5. v. 14.

II. *Confirmatio.* Nam quia vidiſti me, Thoma, inquit Chriſtus, credidiſti, beati autem, qui non viderunt & tamen crediderunt, fides enim eſt non apparentium, Eb. 11. v. 1. quia igitur juſtus ex fide ſua vivit, Hab. 2. v. 4. oportet ipſum credere, licet non appareat oculis & rationi, quod in verbo & Sacramentis credendum proponitur. Promiſit Chriſtus, ubi duo vel tres congregati ſunt in nomine ſuo, fore ſe in medio illorũ, Matt. 18. v. 20. quomodo fiat, ratio ignorat. Credamus igitur, etiamſi non videamus. Beati qui non vident, & tamen credunt. Promiſit ſe mediante aquâ in nomine Patris, Filii & Spiritus S. in regenerationis lavacro aſperſâ baptiſaturum eſſe Spiritu S. Matt. 3. v. 11. Tit. 3. v. 5. quomodo fiat, ratio ignorat. Credamus ergò, quamvis non videamus. Beati qui non vident, & tamen credunt. Promiſit ſe mediante pane & vino in S. Cœna Corpus & Sanguinem nobis communicaturum, Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. Credamus igitur, quamvis non videamus, beati enim qui non vident, & tamen credunt, & ita procedendũ eſt in omnibus fidei articulis, ut captivemus rationem noſtram ſub obſequium Chriſti, 2. Cor. 10. verſ. 5. & claudamus oculos, ut fides in corde noſtro operationem ſuam habeat, quæ Deo dat gloriam, & pleniſſimè ſcit, quod quæcunque Deus promiſit, etiam præſtare valeat, Rom. 4. verſ. 21. Hoc nobis concedat Chriſtus Jeſus Dux & Conſummator fidei noſtræ ter benedictus in ſecula ſeculorum Amen.

In

Digitized by Google

In Die Converſionis Pauli.

Evang. Matth.19. verſ 27.30.

CElebrat hodie ſancta mater Eccleſia memoriam Converſionis Pauli, quæ nobis grata eſſe debet

I. *Ratione perſonæ*. Quanquam enim aliàs parvulus Benjamin vocatur, Pſ.68.verſ. 28.& Apoſtolorum minimus fuit, ut ipſe dicit, 1.Cor.15.v.9. non ſolùm ratione ſtaturæ, quæ non procera ſed humilis fuit, ut Lutherus opinatur, ſed etiam ratione primæ curæ, quâ vas illud Deo non cadebat ad animi ſententiam, Jer.18. verſ.4. erat enim Paulus blaſphemus, perſecutor & contumelioſus, 1.Tim.1.v.13. reverà tamen fuit etiam Benjamin dominans & præſtantiſſimus Apoſtolorum, non tantùm propter jus civitatis Romanæ, Act.22. verſ.28. ſed etiam propter ſingularem eruditionem, quam partim in Academia Tharſenſi philoſophicam, 1.Cor.15. verſ.33. Tit.1.v.12. partim etiam ad pedes Gamalielis Theologicam Hieroſolymis hauſerat, Act.22. verſ.3. inprimis autem propter miraculoſam converſionem, quâ ſubitò mutatus & ex perſecutore magnus Apoſtolus factus eſt, qui nomen Chriſti portavit coram gentibus & Regibus, & filiis Iſrael, Act.9. verſ.15. quin etiam in tertium cœlum raptus eſt, ubi audivit ἄῤῥητα ῥήματα, & in Apoſtolatu ſuo plus laboravit quàm cæteri omnes, 2.Cor.12. v.4. ſeqq. tandem ut paucis multa complectar, fuit ex numero ſanctorum inſignium, quos Deus mirificare ſolet, Pſ.4.v.4.

2. *Ratione doctrinæ*. Nullus ſiquidem Apoſtolorum tot ſcripſit epiſtolas, quarum tredecim vulgò numerantur. Una ad Romanos cum 16. capp. duæ ad Corinth. quarum prior 16. poſterior 13. cap. habet. Una ad Galatas, quæ ſex, una ad Epheſios, quæ itidem ſex capita habet. Una ad Philippenſes, una ad Coloſſenſes cum 4. cap. duæ ad Theſſalonicenſes, quarum prior 5. poſterior 3. capita continet, duæ ad Timotheum, prior 6. poſterior 4. capitibus abſolvitur. Una ad Titum, quæ 3. capita habet, una ad Philemonem unius tantùm capitis epiſtola: De quibus Lutherus in præfatione ſuper Geneſin: Unum vocabulum in epiſtolis Paulinis tres orationes Ciceronis complectitur. Ipſe loquitur unum verbum, quod per totum Eſaiam & Ieremiam tranſpicit, & in uno capite tot myſteria habet, quæ vix 4. aut 5. Prophetæ explicare poſſunt. Petrus & Matthæus non ſunt contemnendi, ſed Paulus omnes ſuperat, & B. Hieronym. quoties Paulum lego, inquit, toties mihi non verba, ſed tonitrua audire videor, ſingula verba, ſingula oracula. Meritò igitur ſcripta Pauli veneramur, & Deo gratias agim⁹ quod tantum Eccleſiæ ſuæ Doctorē conceſſit, orantes ſimul, ut doctrinam Pauli in noſtris Eccleſiis ad finem mundi conſervare dignetur, ipſe enim eſt, qui emittit eloquium ſuum terræ, tunc ſermo ejus velociter currit, Pſal. 147. v.15.

3. *Ratione Spartæ*, quia vocatus eſt ad hoc cumprimis, ut eſſet Doctor Gentium, ſicut ipſe ſcribit, 1. Tim.2. v.7. Hanc Spartam ſibi demandatam maſculè ornavit, & ab

ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum omnia replevit Evangelio Chriſti, Rom. 15. v. 19. qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt etiam Paulo inter gentes, Gal. 2. v. 8. & hoc ipſo oſtendit, quod non tantùm ſit Deus Judæorum, ſed etiam Deus Ethnicorum, Rom. 3. v. 29.

Laudate igitur Dominum hodie in die Pauli omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. Halleluja, Pſ. 117. v. 1. 2.

Nos ſine ulteriori præloquio Evangelium prælectum ad manus ſumemus, quod duabus partibus abſolvitur, ut ſunt

I. *Petri impudentia.*

II. *Chriſti benevolentia.* J. J.

EXEGESIS.

OBſtupuit ſine dubio tota Regia Belſazeris, generoſum & ſublimem in Daniele Propheta animum divitias & honores à Rege oblatos, qualia erant: torquem aureum geſtare, purpurâ veſtiri, tertium in regno eſſe, heroicâ quadam conſtantia repudiaſſe, his verbis: munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ da alteri, Dan. 5. v. 16. 17.

Longè aliter Petrus affectus eſt, qui nihil fruſtrà facere ſibi firmiter propoſuit, & ſine dubio prœmia Danieli oblata duabus manibus apprehendiſſet. Hinc Domine, inquit, in prælecta pericope, nos omnia reliquimus, & ſecuti ſumus te, quid erit nobis? Quibus verbis impudentiam ſuam prodit bifariam:

I. *Meriti exaggeratione.* Nam ecce, inquit, hoc eſt, probè conſidera, omnia reliquimus & ſecuti ſumus te. Hâc quæſtione ſuppeditat nobis

1. *Materiam imitandi*, ne cor terrenis apponamus, Pſ. 62. v. 11. aut iisdem illaqueemur, 1. Tim. 6. v. 9. Sed prompti ſimus propter Deum & nomen ejus cum Petro omnia relinquere, qui enim aurum diligit, non juſtificabitur, &c. Sir. 31. v. 5. ſeqq. Ariſtippus Philoſophus aurum ſuum in mare projiciebat, & cum prohiberetur ab amicis, ſatius eſt, inquit, ut hæc ab Ariſtippo, quàm ut Ariſtippus ab his mergatur.

Eandem promptitudinem Scriptura in Abrahamo deprædicat, Geneſ. 12. verſ. 4. Ebr. 11. v. 8. Julitta matrona nobilis, cum bonorum confiſcatione ab Evangelii veritate hoſtes ipſam tentarent revocare, animosè reſpondebat: valeat vita, pereat pecunia, famula Chriſti ſum. Sequamur hæc exempla, dilecti, & tempore perſecutionis rapinam bonorum noſtrorum cum gaudio ſuſcipiamus, cognoſcentes, quod meliorem & manentem manſionem in cœlo habeamus, Ebr. 10. v. 34.

2. *Materiam execrandi.* Duo enim hic vitia in Petro concurrunt, quæ maximè fugienda ſunt:

1. *Superbia in verbis vel dictis*, quibus Chriſto odiosè exprobrat deſertionem bonorum, quam ipſius gratiâ ſuſceperat; Hanc inurbanitatem Chriſtianus quilibet cavere debet. Pudeat te, inquit Siracides, beneficium exprobrare amico, cap. 42. verſ. 28. quid enim exprobrabis, quod ipſi debes? Rom. 13. v. 8. Hinc pulchrè Seneca: Hæc beneficii inter duos lex eſt, alter ſtatim debet obliviſci dati, alter verò nunquam accepti. Qui dedit beneficium taceat, narret qui accepit, quod & Chriſtus requirit, quando in eleemoſynarum erogatione non vult ſcire ſiniſtram, quod facit dextra, Matth. 6. v. 3.

Tt 2. *Fidu-*

2. *Fiducia in factis.* Quia enim ad vocationem Chriſti omnia reliquit, jam ſupra modum illud exaggerat, & in opere fiduciam collocat. Sed perperàm. Nam ſi omnia feceritis, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus, Luc. 17. v. 10. vera charitas non eſt mercenaria, inquit Bernhardus. Compenſat quidem Deus pietatem ex gratia, ut patet ex teſtimoniis Scripturæ, Pſ. 19. verſ. 12. 34. verſ. 10. 61. v. 6. Matth. 10. v. ult. Sed illa compenſatio non ut meritum acceptanda, multò minus poſtulanda eſt, quia ex mera gratia datur, ut docet parabola Matth. 20. v. 1. ſeqq.

II. *Præmii poſtulatione.* Nam quid erit nobis, inquit, hoc eſt, ut Hieronym. explicat, quid præmii reportabimus? Videte dilecti, quanti Petrus æſtimet rete & naviculam ſuam, quales adhuc multos invenias, qui ea quæ propter Evangelii veritatem vel deſerunt vel ſufferunt, non ſatis deprædicare poſſunt, & cœlum propterea ſibi jure deberi confidunt. Sed toto cœlo errant, ut patet ex Matth. 20. v. 13. Rom. 11. v. 6.

Pontificii ex hoc loco aſtruere ſatagunt

1. *Monachatum.* Sed fruſtra! Apoſtoli non ſponte ſuâ hoc vitæ genus elegerunt, ſed ſpeciatim ad hoc ipſum à Domino vocati ſunt, & propter nomen Chriſti, vel propter Evangelium in toto mundo per miniſterium ſuum deprædicandum, bona ſua reliquerunt. Quid hoc ad Monachos? qui ſponte ſuâ ex opinione meriti ad ſtatum perfectiorem obtinendum in cœnobia ſe conferunt, ubi lautiſſimè vivunt, & eleemoſynas pauperum in deliciis abliguriunt, viventes de tritico, & bibentes uvæ ſanguinem meraciſſimum. Parum eſt: Impinguantur & dilatantur adipe frumenti, ut Bernhardus de hoc vitæ genere loquitur. Nullum uſquam in S. literis habemus præceptum, quod exemplo Apoſtolorum hac in parte nos conformare & paupertatem vovere debeamus. Chriſtus habuit loculos & pecuniam, Joh. 13. v. 29. conf. Joh. 4. v. 8. & 6. v. 7. Apoſtoli τὰ ἴδια Joh. 16. v. 32. nullibi leguntur mendicaſſe, ſed laborarunt potius, & alios ad laborem hortati ſunt Act. 20. v. 34. Joh. 21. v. 3. ſeqq. 1. Tim. 5. v. 13. 2. Theſſ. 3. v. 12. nam ſatius eſt mori quàm mendicare, Sir. 40. v. 29.

2. *Cœlibatum.* Quia enim Petrus ait: Reliquimus omnia, uxores etiam poſt Apoſtolatum ſuſceptum reliquiſſe, & officio conjugali Apoſtolos renunciaſſe, Bellarmin. inferre non dubitat, præſertim cum Chriſtus in reſponſione ſua explicet quaſi quid per relinquere omnia intelligendum ſit, nimirum pater, mater, uxor, liberi &c. v. 29. ſed ex præcedenti diſputatione cum adoleſcente divite palàm fit, quod non de uxoribus, ſed de bonis & poſſeſſionibus duntaxat relinquendis hic agatur. Quod autem Chriſtus uxorum etiam meminit, de coacta non voluntaria deſertione intelligendum eſt, quando tempore perſecutionis uxor marito à latere quaſi divellitur & ad mortem raptatur, ibi cum Petro prompti & patientes eſſe debemus, qui uxorem ſuam, cum ad martyrium educeretur ita adhortatus eſt ad conſtantiam: Memineris ô mea Domini, tales ſunt beatorum nuptiæ, &c. Item quando uxor deficit à fide, & cum uxore Lothi reſpicit, Luc. 17. v. 32. adeoque virum etiam blanditiis ſuis tentat, ut fidem abneget, quod Evæ praxis demonſtrat, Gen. 3. v. 6. noli parere, ſed deſere potius uxorem, ne ſalutis naufragium patiaris, 1. Tim. 1. v. 19. Hæc eſt vera Chriſti ſententia, aliàs vin-

Digitized by Google

vinculum conjugii tàm firmum eſt, ut non niſi morte ſolvatur, Matth. 19. v. 6. nec ullum dari poteſt exemplum, quod Apoſtolorum aliquis uxorem ſuam reliquerit, ſed potius circumduxerunt illas, 1. Cor. 9. v. 5. imò Paulus requirit ab Epiſcopo, ut ſit unius uxoris vir, qui domui ſuæ & liberis benè præſit, 1. Tim. 3. v. 2. 4. melius enim eſt nubere quàm uri, 1. Cor. 7. v. 9.

De Secundo.

RESTat pars altera *de benevolentia Chriſti*, quam declarat

I. *Placidâ reſponſione.* Meritus quidem erat Petrus & Apoſtoli non levem correctionem, nihilominus Chriſtus amicè reſpondet, non enim clamabit, neque exaltabit, neque in platea faciet audire vocem ſuam, calamum quaſſatum non conteret, neque linum fumigans extinguet, Eſa. 42. v. 2. 3.

Parem lenitatem & manſuetudinem exhibere debemus proximo noſtro, quando lapſu aliquo præoccupatus eſt, juxta admonitionem Pauli, Gal. 6. v. 1. inprimis Eccleſiarum miniſtri, ne debacchentur in auditores ſuos, quando per infirmitatem humanam fines pietatis & honeſtatis transgreſſi ſunt, ſed manſueti ſint ad omnes, 2. Tim. 2. v. 24. & ut filios moneant, 1. Cor. 4. v. 14. cum omni patientia & doctrina, 2. Tim. 4. v. 2. ſi quando det ipſis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, ut reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem, 2. Tim. 2. v. 25. 26. Si verò lenitate nihil efficitur, cornua Moſis imponenda, & qui peccant publicè coram omnibus redarguendi ſunt, 1. Tim. 5. v. 20. qui hac in parte tacent, canes muti appellantur, Eſ. 56. v. 10. & graviſſimam Deo olim reddituri ſunt rationem, Ezech. 3. verſ. 18. 19.

II. *Præmii promiſſione*, quæ eſt

1. *Jurata.* Nam amen dico vobis, inquit, idque in majorem rei aſſertæ certitudinem, ut de eo, quod dicturus erat, nil quicquam dubitarent. Epicuræi præmium illud in dubium vocant, dicentes: vanum eſt ſervire Deo, & quid emolumenti ex ea re percipimus, quod cultum ejus exercemus, & quod pullati incedimus coram Domino exercituum. Ergò nunc beatos dicimus contemptores, &c. ſed locuti ſunt timentes Dominum unusquisque cum proximo ſuo, & attendit Dominus, & audivit, & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die quam ego facio, in peculium, & parcam eis, ſicut parcit vir filio ſuo ſervienti ſibi. Tunc apparebit, quid ſit inter juſtum & impium, & inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei, Mal. 3. v. 14. ſeqq. ô beatos igitur, quorum causâ Deus jurat! ô infelices, qui nec Deo juranti credere volunt, inquit Tertullianus. Sufficeret nuda promiſſio, eſt enim Deus qui non mentitur, Tit. 1. v. 2. ſed abundantius oſtendere volens hæredibus promiſſionis immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum, ut fortiſſimum ſolatium habeamus, Ebr. 6. v. 17. 18.

Attendamus igitur, ne divinam promiſſorum bonorum remunerationem in dubiũ vocemus, ſed pergamus in curſu pietatis ad præfixam metam, ut bravium vitæ æternæ conſequamur, Phil. 3. v. 14. 1. Cor. 9. v. 24.

2. *Conditionata.* Nam his tantùm præmiũ illud promittitur, qui Chriſtũ ſequuntur, veriq; & genuini ejus ſunt diſcipuli. Errat igitur Zvvinglius, quando ſaniores Eth-

 nicos

nicos etiam vitæ æternæ participes fore ſtatuit. Nam extra Chriſtum non eſt ſalus, Act. 4. v. 12. Joh. 14. v. 6. vis igitur præmium illud conſequi, cujus mentio fit in prælecta pericope, ſequere Chriſtum

1. *In fide*, ut ipſi ſoli adhæreas, nec declines vel ad dextram vel ad ſiniſtram, Eſ. 30. v. 21. ſi quis enim manſerit in ſermone meo, verè diſcipulus meus eſt, & veritatem agnoſcet, & veritas liberabit eum, Joh. 8. v. 32. à fide dependent bona opera. Nam fides per charitatem efficax eſt, Gal. 5. v. 6.

2. *In cruce.* Qui enim crucem ſuam non ſuſcipit, & ſequitur Chriſtum, diſcipulus ejus eſſe non poteſt, Luc. 14. v. 27. via ad cœleſtem patriam eſt via crucis, Act. 14. v. 22. qui igitur vult cum Chriſto vivere & regnare, hunc etiam cum ipſo pati & mori oportet, 2. Tim. 2. v. 11.

3. *In morte.* Ibi Satanas valdè occupatus eſt, & omnem lapidem movet, ut animam de corpore migrantem in æternam perditionem ſecum pertrahat. Proinde conſtantia tum vel maximè opus eſt, ut Chriſti fideles ſimus uſque ad mortem, Ap. 2. v. 10. & cum Iobo dicamus: Etiamſi Dominus occiderit me, tamen ſperabo in eo, Iob. 13. v. 15.

Quod ſi Chriſtum ita ſequimur in fide, in cruce, in morte, ſequemur etiam aliquando in luce, quemadmodum beati Apoſtoli Chriſtum ſequentes ipſius conciones audiverunt, miracula viderunt, & converſatione ejus jucundiſſima recreati ſunt: Idem nobis accidet, ſi Chriſtum dicto modo ſequimur, quod Chriſtum audiemus & videbimus in vita æterna à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. & ſequemur agnum quocunq; ierit, Ap. 14. v. 4.

3. *Determinata*,

1. *Ratione temporis*, quando præmium illud diſtribuetur fidelibus. Hoc Deus reſervavit ſapientiæ ſuæ, Act. 1. v. 7. nec ſibi præſcribi patitur, interim certò ſequetur

1. *In regeneratione*, id eſt, exponente Hieronymo: quando mortui de corruptione reſurgent incorrupti, & caro regenerabitur per incorruptionem, ſicut anima noſtra regenerata eſt per fidem, ut Auguſtinus habet.

Expectemus igitur παλιγγενεσίαν in noviſſimo die, qua mundus renovabitur 2. Pet. 3. v. 13. Eſ. 65. v. 17. Ap. 21. v. 1. Der Himmel/ inquit Lutherus, der jetzunder ſein Werckel oder Wochen-Kleid an hat/ der wird alsdann ſein Sonntags-Kleid anziehen. Mortui prodibunt de ſepulchris ſuis ἐν ἀφθαρσίᾳ, 1. Cor. 15. v. 42. & corpora habebunt inſtar ſolis coruſcantia, Matth. 13. v. 43. viventes adhuc mutabuntur ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, 1. Cor. 15. v. 15. 52. imò omnes creaturæ à corruptionis ſervitute tum liberabuntur, cui præter voluntatem ſuam ſubjectæ ſunt, Rom. 8. v. 20. 21.

2. *In Chriſti manifeſtatione*, quando apparebit in nubibus cœli, & ſedebit in throno gloriæ ſuæ, ut judicet orbem terrarum in juſtitia, ſicut Pater ab æterno decrevit, Act. 17. v. 31. tunc juſtum erit apud Deum retribuere afflictionem his qui affligunt nos, & nobis qui tribulationem patimur, requiem cum omnibus fidelibus, 2. Theſſ. 1. v. 6. 7. unusquisque enim referet, quod in corpore ſuo fecit, ſive bonum ſive malum, 2. Cor. 5. v. 10.

Eluceſcit hinc

1. *Iudicii veritas*, contra empæctas, qui dicunt adhuc: Ubi eſt promiſſio adventus ejus? 2. Pet. 3. v. 3. 4. concluſit Dominus, quis mutabit? Eſa. 14. v. 27. imò ſi parùm hoc eſt, jura-

Digitized by Google

juravit in prælecta pericope: Amen dico vobis, vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, quando filius hominis ſedebit in throno ſuo, &c. juravit per ſemetipſum, verbum in juſtitia egreſſum eſt de ore ejus & non revertetur, Eſ. 45. v. 23. hujus juramenti vigore nos omnes coram tribunali Chriſti ſiſtemur, ut Paulus concludit, Rom. 14. v. 10.

2. *Chriſti majeſtas.* Ipſe enim judex erit, qui ſedebit in throno gloriæ ſuæ, ad dextram nimirum virtutis ἐν ἐπουρανίοις, Luc. 22. v. 69. quod nulli unquam angelorum contigit, Ebr. 1. verſ. 13. Ergò in throno majeſtatis & gloriæ ſedere nihil aliud eſt, quàm infinitâ virtute & majeſtate omnes creaturas & opera manuum Dei potenter gubernare à modo & uſque in ſeculum ſeculi, Pſalm. 110. verſ. 1. 1. Corinth. 15. v. 25. Epheſ. 1. v. 21. Pſalm. 89. v. 37. 38.

Excitet hæc conſideratio

1. *Apud impios reſipiſcentiam*, ut à peccatis deſiſtant, dum adhuc porta gratiæ patet, & dies ſalutis extenditur, niſi cum virginibus fatuis excludi velint à conſortio ſponſi, Matth. 25. v. 12.

Ergò quiſquis es, ſingulis horis cogita, quo ſingulis momentis properas, inquit Bernhardus. Recedat amor præſentis ſeculi, in quo nullus ita naſcitur, ut non moriatur, & ſuccedat amor futuri ſeculi, in quo ſic omnes vivificantur, ut deinceps non moriantur. Beati ſervi, quos Dominus cum venerit vigilantes invenerit, Luc. 12. v. 36.

2. *Apud pios confidentiam.* Nam judex in noviſſimo die erit filius hominis, frater noſter, ſponſus noſter, paſtor noſter. Quid igitur trepidatis vos mei? Attollite capita veſtra, quia redemptio veſtra appropinquabit, Luc. 21. v. 28.

2. *Ratione ponderis.* Tribulatio quam in hac vita patimur, levis eſt momentanea, ſed ponderoſa gloria ſequetur olim, ut Paulus ait, 2. Cor. 4. v. 17. hanc Chriſtus etiam diſcipulis ſuis promittit, & tribus quaſi claſſibus complectitur. Nam pertinet ad gloriam illam

1. *Glorioſa ſeſſitatio.* Sedebunt enim unusquiſque in throno ſuo, inquit Chriſtus, quod non de ſellis quibusdam materialibus, ſed de futuro, qui ipſis in extremo judicio obtinget, excellenti honore & ineffabili gloria, accipiendum eſt.

Hîc ſæpe fit, ut pii & fideles propter Evangelii veritatem de ſolio dignitatis & honoris politici deturbentur, & à mundo περιψήματα habeantur καὶ καθάρματα, 1. Cor. 4. v. 13. fit, ut nullibi fixam ſedem inveniant, ſed exulent ferè ſemper cum Elia, 1. Reg. 19. v. 4. ſeqq. aut ſedeant cum Daniele in ſpelunca leonum, Dan. 6. v. 16. ſeqq. aut cum Petro in carcere, Act. 12. v. 4. aut cum Bartimæo in via, Luc. 18. v. 35. aut denique cum Iſraelitis captivis ad flumina Babylonis, Pſ. 137. v. 1. Confidite fratres, non dabit Dominus in æternum fluctuationem juſto, Pſ. 55. v. 33. dies non procul abeſt, qua thronus tibi ponetur ad ſedendum. Hoſtes verò & perſecutores tui de ſedibus ſuis dejicientur, & in abyſſum æternæ condemnationis præcipitabuntur, ubi jacent impii tanquam oves, & mors depaſcet eos, Pſ. 49. v. 15.

2. *Mundi judicatio.* Judicabunt enim duodecim tribus Iſrael, qui reſiſtentes Spir. S. Evangelium, quod ipſis primum annunciari oportebat, repellebant, & ſeipſos indignos faciebant æterna vita, Act. 13. v. 46. imò totum mundum tanquam aſſeſſores judicabunt & condemnabunt, 1. Corinth. 6. v. 2. pronunciantes ſententiam juxta Scripturam, quam conſignarunt ipſi dum Apoſtolatu

 ſtolatu

ſtolatu ſuo adhuc defungerentur in terris, Ap. 20. v. 12.

Surget tunc Regina Auſtri, Mat. 12. v. 42. ſurgent Ninivitæ, ſurgent Sodomitæ, & accuſabunt Judæos & omnes illos, qui lucem Evangelii habent, & in illa tamen ambulare nolunt, Matt. 11. v. 14. Surgent Paſtores & accuſabunt auditores ſuos, qui contradicentes ipſis verbo prædicato obedire noluerunt, Jer. 44. v. 16. ſurgent pii magiſtratus, & ſubditos ſuos accuſabunt, qui legibus & ſtatutis ipſorum ſe noluerunt ſubjicere, ſed pro ſymbolo habent, quod Sap. 2. v. 11. epicuræi pronunciant: Fortitudo noſtra lex juſtitiæ, id eſt, quemadmodum vertit Lutherus: **wer nicht thun kan was ihn gelüſtet/ der gilt nichts.** Surgent omnes pii, accuſabunt & judicabunt omnes à quibus hîc oppreſſi & defraudati ſunt. Tunc juſto loquendi dabitur licentia, qui hîc ſemper tacere cogitur, impius autem qui hîc primas obtinebat, & iniquitatem de excelſo loquebatur, Pſ. 73. v. 8. obmuteſcet, & intra ſe dicet cum gemitu ſpiritus: Hic eſt quem habui aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improprii. Ego inſenſatus vitam illius æſtimabam inſaniam, & finem illius ſine honore: ſed ecce computatus eſt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illius, Sap. 5. verſ. 3.

3. Centupla recuperatio. Quisquis enim reliquerit domus, aut fratres, aut ſorores, &c. inquit Chriſtus, centuplum accipiet, & vitam æternam hæreditabit. Ubi duplicem Chriſtus diſcipulis ſuis remunerationem pollicetur,

1. In vita præſente, ut Marcus expreſsè addit, Marc. 10. v. 30. ibi ſæpè pii confeſſores plures domos, agros, liberos, &c. accipiunt, quàm propter nomen Chriſti reliquerunt, ut teſtatur, exemplum Joſephi, Gen. 41. v. 51. vel benefactores nanciſcuntur, qui ipſos non ſolùm tectis ſuis excipiunt, ſed etiam victum & amictum procurant, ut docet exemplum Moſis, Ex. 2. v. 21. & Davidis, 1. Sam. 27. v. 2. vel etiam per Dei gratiam animum habent ſuâ ſorte contentum, ut cum Paulo poſſint ſatiari & eſurire, abundare & penuriam pati, Phil. 4. v. 12. & ita ſunt omnium ditiſſimi, qui nihil habentes omnia poſſident, 2. Cor. 6. v. 10.

2. In vita ſequente. Nam vitam æternam hæreditabunt, inquit Chriſtus, non quidem ut Pontificii opinantur, ex condigno, propter merita operum, ſed ex gratuito Dei dono, Rom. 6. v. 23. Eph. 2. v. 8. nam opera juſtitiæ quæ fecimus nos condigna non ſunt ad futuram gloriam, Rom. 8. v. 18. ſed pro detrimentis & ſtercoribus reputantur, Phil. 3. v. 8 hinc Chriſtus utitur vocabulo κληρονομήσει, hæreditabit, quod fit ex promiſſione, ad exemplum Abrahæ Patris noſtri, non ex opere. Si enim ex lege eſſet hæreditas, jam non ex promiſſione, Gal. 3. v. 18. Per hanc hæreditatem omnia nobis ἑκατόντα πλασίονα reſtituentur, quæ hîc propter Chriſtũ & Evangelii veritatẽ amiſimus.

Pro patria & tuguriolo, quod in exilium relegati hic reliquimus, dabitur nobis patria cœleſtis, & domus non manu facta, ſed æternum perdurans in cœlis, 2. Cor. 5. v. 1.

Pro agris, pratis & hortis paradiſus cœleſtis, qui ex utraque parte ligno vitæ conſitus eſt, quod affert fructus duodecim, & per menſes ſingulos fructum ſuum affert, & folia ejus ad ſanitatem gentium, Apoc. 22. v. 2.

Pro valle lachrymarum domicilium beatorum, ubi non amplius auditur vox fletus & vox clamoris, Eſa. 65. v. 19. ſed abundantia gaudiorum in ſeculum, Pſ. 16. v. 11.

Imò

Imò parentes, liberos, conjuges, &c. quibus hîc per mortem orbati ſumus, recipiemus omnes in gloria, unde dies judicii vocatur χρόνος ἀποκατάστασεως, Act. 3. v. 21.

III. *Salutari admonitione.* Multi autem primi erunt noviſſimi, & noviſſimi primi. Quo Chriſtus epiphonemate juſtitiarios propriâ ſanctitate & meritis turgentes quaſi & gloriantes retundit, ne relinquentes patrem, uxorē, liberos, domos, agros, &c. tempore perſecutionis meritum aliquod in eo quærant, ſed à ſolius Dei gratia in vera cordis humilitate pendeant. Qui enim ſibi imaginantur ſe primos eſſe, & inſtar Phariſæi alios contemnunt, Luc. 18. v. 11. noviſſimi evadent, & juſtitiam coram Deo valentem nunquam conſequentur, Rom. 10. v. 3. nam reſpicit Deus pauperculos & contritos ſpiritu, & trementes ſermones ejus, Eſ. 66. v. 2.

Faxit Deus T. O. M. ut poſthabitis terreſtribus cœleſtia ſemper meditemur, & remunerationem his qui Chriſtum ſequuntur juramento promiſſam, tandem etiam conſequamur, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In Feria Purificationis Mariæ.

Evang. Luc. 2. v. 22 32.

IN V. T. duo agni anniculi quotidie immolandi erant, alter manè & alter veſperi. Hoc erat holocauſtum perpetuum, quod apud omnes poſteros obſervari oportebat, Exod. 29. v. 38. 39.

Egregia figura, quæ in Chriſto complementum adepta eſt. Nam is legis finis eſt, Rom. 10. v. 4. & pro umbra corpus ſubſtituit, Eb. 10. v. 1. hinc dicitur agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. v. 29. nec tantùm manè, hoc eſt, in infantia ſua tanquam ſacrificium in templo Hieroſolymitano, ſed veſperi etiam, id eſt, in perfecta ſua & virili ætate, in ara crucis oblatus eſt Patri in odorem bonæ fragrantiæ, Eph. 5. v. 2.

De matutina oblatione agit prælecta pericope, quam fine ulteriori præfatione ad manus ſumemus, & in tribus partibus explicabimus. Videbimus enim

I. Chriſti præſentationem.

II. Simeonis commendationem.

III. Cygneam modulationem.

J. J.

EXEGESIS.

DE ultimo templo Hieroſolym. prædixit Haggæus, quod gloria ejus major futura ſit, quàm erat gloria templi Salomonæi, c. 2. v. 8. hoc mirum alicui videri poterat, quia in ſecundo templo defuit 1. arca fœderis cum propitiatorio, ex quo Deus ad Iſraelitas loquebatur, 2. ſacer ignis 3. Vrim & thumim in pectorali, 4. tabulæ Decalogi. 5. donum prophetiæ. Sed quando conſideramus, quod Chriſtus præſentia, doctrina & miraculis ſuis templum illud decoravit, facilè ſubſcribemus vaticinio ſuperius allato. Initium factum eſt in hodierna præſentatione & oblatione, cujus hîc deſcribitur

I. *Tempus.* Nam poſtquam completi fuiſſent, inquit Evangeliſta, dies purgationis eorum ſecundùm legem Moſis, & reſpicit:

Google

ſpicit his verbis ad c. 12. Levitici, ubi lex de purificandis Iudæorum mulieribus habetur, quæ hoc vult, ut mulier poſt partum maſculi diebus 33. poſt partum autem fæmellæ diebus 66. domi ſe continere debeat.

Hujus legis duæ poſſunt dari rationes. *Prior myſtica eſt*, & ſignificat impuritatem noſtræ naturæ, quæ peccatis polluta eſt à primo ſuo ſemine, ex quo concepti ſumus, unde peccatores ab utero vocamur, Pſ. 58. verſ. 4. & filii iræ naturâ, Eph. 2, v. 3. quod ut perpetuò ante oculos noſtros verſaretur, lex purificationis ſancita fuit, quâ puerperæ domi detinebantur poſt partum ad aliquot dies, non quaſi puerperium in ſe una cum Conjugio ſit impurum Deoque minus gratum, contrarium enim docet Paulus 1. Tim. 2. v. 15. ſed quia fœtus ex impuro ſemine conceptus, totus quoque impurus eſt, & purificatione per ſanguinem Chriſti opus habet. Nemo enim naſcitur in fœdere Dei, ſed per purificationem illam, quæ fit per fidem, Act. 15. v. 9. in fœdus recipitur. Hinc baptiſmus dicitur ſtipulatio bonæ conſcientiæ, 1. Petr. 3. v. 21.

Poſterior ratio phyſica eſt, & pertinet in ſpecie ad ſexum fœmineum, cui tanquam peculiaris pœna peccati labor pariendi divinitus injunctus eſt, Gen. 3. v. 16. id non fit ſine infirmatione virium corporis. Quia autem fidelis eſt Deus, & neminem ultra vires tentari ſinit, 1. Cor. 10. v. 13. idcircò rationem habuit infirmi iſtius ſexus etiam in eo, in quo pœna peccati eſſe debuit, ac proinde dies aliquot puerperis quaſi donavit ad recolligendas vires, cui ordinationi divinæ non immeritò mariti locum dare debent, ne diebus illis intempeſtivis laboribus onerent uxores, & quietem quam ipſis conceſſit Dominus, moroſitate ſua interturbent. Etſi enim lex Levitica ſublata eſt, generalis tamen eſt commonefactio, omnes concernens conjuges: Viri debent diligere uxores ut corpora ſua. Qui uxorem ſuam diligit, ſe ipſum diligit, nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, Epheſ. 5. verſ. 28. 29.

Huic legi ſe Maria virgo una cum filiolo ſuo hodie ſubjecit, quamvis purgatione ulla non opus habuerunt. Non Maria, quia ſine virili ſemine concepit præter rerum ſeriem ex ſuperventu Sp. S. & inumbratione virtutis Altiſſimi, Luc. 1. v. 35. Non filius ejus, quia erat Sanctus Sanctorum, Dan. 9. verſ. 24. & peccatum non noverat, 2. Cor. 5. verſ. 21. propter nos igitur factum eſt, partim ut admoneremur impuritatis nativæ, in qua concipimur, & propter quam lex iſta promulgata erat. Partim ut oſtenderet Chriſtus ſe veniſſe ad tollendum peccata, & ad purificandum conſcientias noſtras à mortuis operibus, Hebr. 9. verſ. 14. ideò enim factus eſt peccatum pro nobis, ut nos redderemur, juſtitia Dei in ipſo, 2. Cor. 5. verſ. 21.

Pulcherrima hinc fuit *Commonefactio*. Omnes ſumus impuri, & iniquitatem imbibimus ſicut aquam, Job. 15. v. 16. quis enim mundum dabit ex immundo conceptum ſemine? Job. 14. v. 4. Ergò purgatione opus eſt, ſine qua nemo videbit Deum, 1. Joh. 3. v. 2. 3.

Quamprimum dies purificationis completi eſſent, Maria ſtatim ad templum Hieroſolymitanum ſe recepit, ut purificationis actum ſuſciperet. Sequamur dilecti:

Adve-

Advenerunt dies purificationis noſtrę, tempus eſt ut ſurgamus, & ſordes peccatorum abluamus, Eſa. 1. v. 16.

Commaculaſti te hactenus *impuris cogitationibus*, ſicut David, cum in tecto domus regiæ deambularet, 2. Sam. 11. verſ. 2. Dies purgationis advenerunt, cogitationes iſtæ reformandæ ſunt, regnum Dei ante omnia quærendum eſt & juſtitia ejus, Matt. 6. v. 33. Dicitur quidem in proverbio: Cogitare impunè licet, ſed coram tribunali divino locum illud non habet. Nam Deus eſt judex cogitationum, Ebr. 4. verſ. 12. & conſilia cordium manifeſtabit, 1. Cor. 4. verſ. 5.

Commaculaſti *te verbis obſcœnis & ſcurrilibus*, ſicut uxor Potiphari, quæ ad Joſephum dicebat: Dormi mecum, Gen. 39. verſ. 7. Advenerunt dies purificationis, tempus eſt, ut ab ejusmodi turpitudine & ſtultiloquio deſveſcamus, & non loquamur, niſi quæ vera, quæ pudica, quæ juſta, quæ caſta & amabilia ſunt, Phil. 4. verſ. 8. ſiquidem de omni verbo otioſo rationem reddituri ſumus, Matth. 12. v. 36.

Commaculaſti te *impuris operibus*, & vel ſpiritum fornicationis ſecutus es, ſicut Judæi, Oſ. 4. verſ. 12. vel cum heluonibus genio indulſiſti, Eſ. 5. verſ. 11. Advenerunt dies purgationis, nova vita inchoanda eſt, ut deponas opera tenebrarum, & induas arma lucis, & honeſtè ambules tanquam in die, Rom. 13. verſ. 12. 13. Orandum cum Dav. ex Pſ. 51. v. 9. Conſperge me per hyſſopum, mundabor & ſupra nivem dealbabor, &c. tunc regeminabit Dominus ex Eſa. 1. verſ. 18. ſi fuerint peccata tua ſicut coccinum, velut nix albeſcent, ſi fuerint rubra tanquam vermiculus, velut lana alba erunt.

II. *Scopus*, qui valde notabilis eſt.

1. *Reſpectu prolis.* Nam ideò filium ſuum in templum deportarunt, ut ſiſterent eum Domino, inquit Evangeliſta. Hoc in lege mandatum erat, Exod. 13. verſ. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſrael, tàm de hominibus, quàm de jumentis, mea ſunt enim omnia. Id repetitur c. 34. verſ. 19. 20. Numer. 8. verſ. 12. 16. 17. Occaſio legis deſcribitur Exod. 12. quia enim paulò ante eductionem Iſraelitarum ex Ægypto angelus percuſſor per totum illud regnum tranſibat, & omnia Aegyptiorum primogenita percutiebat, ſed primogenitis Iſraelitarum, qui ſanguine agni paſchalis ædes ſuas conſpergerant, parcebat, præcepit poſteà Deus in memoriam hujus beneficii, ut omnes primogeniti ſibi ſiſterentur, hoc modo, ut D. Dietericus legem hanc pulcherrimè explicat. (1) Primogenitus ex tribu Levi ſanctificandus erat Domino in miniſterium templi & Sacerdotii ſive cultus divini, Num. 3. verſ. 12. 45. (2) Primogenitus ex tribu Iſraelitarum quacunque alia ſiſtendus erat Domino, & redimendus quinque ſiclis, ſecundum ſiclum ſanctuarii, Num. 3. verſ. 47. (ſiclus autem æſtimatus dimidio thaleri.) (3) Primogenitum jumentorum ſive boum, ſive ovium, ſive aliorum etiam animalium mundorum deſtinandum erat ſacrificiis, Num. 18. v. 15. (4) Primogenitum immundorum animalium, ut puta aſini, redimendum erat vel ove, vel hœdo, vel non redempto cervix frangenda, Exod. 13. verſ. 13. Num. 18. v. 15. 16.

Jam verò Chriſtus eſt verus primogenitus, & quidem ſecundùm utramque naturam, Col. 1. v. 15. Matth. 1. v. 25. Luc. 2. v. 7. & quidem

1. *Ratione officii.* Primogenitis in V.T. debebatur regnum & Sacerdotium, Gen. 49.v.3. Ita Chriſtus eſt noſter Rex & Sacerdos, Eſ.33.v.22.

2. *Ratione privilegii.* Primogenitis juxta legem divinam dabantur duæ portiones hæreditatis paternæ, Deuter.21. verſ. 17. Ita Chriſtus duplici jure regnum cælorum obtinet, hæreditate Patris & merito paſſionis. Priori jure ipſe eſt contentus, poſterius donat nobis, unde vocatur primogenitus inter multos fratres, quia etiam credentes tanquam fratres in hæreditatis ſuæ conſortium vocat, Rom.8. verſ.29. ipſe eſt, qui nobis in ipſum credentibus dat poteſtatem, ut reddamur filii Dei, Joh. 1.verſ.12.ac proinde ipſius cohæredes, Rom. 8.verſ.17. facit nos Reges & Sacerdotes coram Deo Patre ſuo, Apoc.1. verſ.6. ut ipſi quoque fiamus primitiæ emti ex hominibus Deo & agno, Apoc.14.verſ.4. & aggregemur ad Eccleſiam primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, Hebr.12.v.23.

3. *Ratione pretii.* Primogeniti in V.T. redimendi erant quinque ſiclis vel 2½. imperialibus. Tale pretium pro Chriſto numeratum eſſe nullibi legitur. Nonnulli putant, ideò intermiſſum, quia ipſe venit, non ut redimeretur, ſed ut redimeret, & ſufficiens pretium pro nobis ſolveret. Expedivit hoc feliciſſimè & fideliſſimè, dum non quinque ſiclis, ſed quinque cruentis vulneribus, quæ omni auro & argento anteferenda ſunt, nos à poteſtate Satanæ redemit. Apprehende ſiclos illos myſticos, & affer Patri cœleſti per fidem, quando conſcientia delictorum te accuſat, & ſtatim abſolveris. Nam diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus, Eſa.53.v.5.

2. *Reſpectu matris.* Nam ideò factum eſt, inquit Evangeliſta, ut offerrent conſuetas pro purificatione victimas, ſecundùm id quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Lex hæc extat Lev.12. verſ.6.7.8. ubi ditiores agniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, aut turturem, pauperiores verò, qui agnum offerre non poſſent, duos turtures, ſeu duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, alterum in oblationem pro peccato offerre jubentur. Sed parentes Chriſti non offerunt agnum, non quidem ex paupertate: à Magis enim tantum auri acceperant, quo agnum ſibi comparare, adeòque legi ſatisfacere potuiſſent, ſed ex ſingulari inſtinctu Spiritus S. ita factum eſt, quia verus ille agnus jam aderat, quem omnes agni V. T. in ſacrificium oblati præfigurârunt, pro quo nullus offerre debuit agnus alius, cum ipſe venerat in hunc mundum, ut ſe offerret pro omnibus hominibus, & unicâ iſtâ oblatione conſummaret in æternum eos qui ſanctificantur, Ebr.10. verſ.14.

Monemur hac oblatione noſtri officii, ut nos ipſos Deo offeramus in hoſtiam viventem, ſanctam & Deo placentem, Rom. 12.v.1. quod fieri poteſt

1. *Per ſanctam obedientiam*, quæ Deo magis placet, quam quævis externa victima, 1.Sam.15.v.22.

2. *Per veram pœnitentiam*, quæ per turtures & pullos columbarum myſticè adumbratur. Turtur eſt avis gemens, Eſa.38. verſ.14. Ita requiritur à nobis vera cordis contritio, ut gemitus ducamus ex imis penetralibus, & doleamus peccata,

quæ

Digitized by Google

quæ in Deum benigniſſimum patrem commiſimus. Hæc triſtitia ſalutem operatur, 2. Cor. 7. v. 10. & Deo magis placet quàm omnia alia ſacrificia, Pſalm. 51. verſ. 18. 19. Columba autem, quam puerpera in Vet. Teſtam. pro ſe & filio offerre tenebatur, myſticè fidem denotat, per quam fidelis anima in vulneribus CHRISTI ſe abſcondit, ut columba in foraminibus, Cant. 2. verſ. 14.

De Secundo.

FUit pars prima, ſequitur altera, ubi duo conſideranda veniunt:

I. Simeonis perſona, quæ deſcribitur

1. *Ratione appellationis.* Nam Simeon appellatur, quod auditorem ſignificat. Tales Simeones eſſe oportet omnes Chriſtianos, ut verbum Dei diligenter audiant, & in puro corde cuſtodiant, Luc. 8. v. 15. eſt enim verbum vitæ, Johan. 6. verſ. 68. quod animas noſtras ſalvare poteſt, Jac. 1. verſ. 21.

2. *Ratione habitationis*, quam habuit in Civitate Hieroſolyma. Hieroſolyma eſt typus Eccleſiæ, Galat. 4. verſ. 26. Apoc. 21. verſ. 2. cujus cives nos eſſe oportet, ſi benè beatèque aliquando mori velimus. Sicut enim extra arcam Noæ omnes ſuffocati ſunt in aquis diluvii: Ita extra Eccleſiam non eſt ſalus. Fores ſunt canes, Apoc. 22. verſ. 15.

II. Virtutum Corona, ad quam pertinet

1. *Pia Converſatio.* Erat enim

1. *Vir juſtus*, non inhæſivè, qualis in conſpectu Dei non eſt ullus vivens, Pſalm. 143. verſ. 3. ſed 1. imputativè, quia in promiſſum Patribus Meſſiam credidit, & hæc ipſi fides in juſtitiam imputata eſt, ad Roman. 4. verſ. 11. Hinc eſt, quod dicitur expectaſſe conſolationem Iſraëlis, id eſt, Chriſtum Redemptorem mundi, cujus ſanguine juſtificatum ab ira ſe ſervari credidit, Roman. 5. verſ. 9. 2. inchoativè, quia juſtitiam quoque in operibus ſectatus eſt, iisdemque fidem ſuam declaravit, Jacob. 2. verſ. 18.

2. *Vir pius*, in Græco eſt εὐλαβὴς, hoc idem eſt quod religioſus. Religioſitas autem ſive pietas iſta timorem Dei ſe complectitur, qui peccatum expellit, & ſapientiæ initium eſt, Sirach. 1. verſ. 15. 25. Huc pertinet, quod Spiritus Sanctus in eo fuiſſe dicitur, à quo reſponſum acceperat, ipſum non moriturum, priusquàm vidiſſet CHRISTUM Dominum. Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei, Rom. 8. verſ. 14. ibi dominantur fructus Spiritus & opera carnis exulant, Galath. 5. verſ. 16. 22. O felices animas, quæ internum Spiritus Sancti teſtimonium in corde ſuo ſentiunt. Nam eo ipſo certi redduntur, quod ſint filii Dei, CHRISTI membra, & domicilia Spiritus Sancti, & cum Paulo exclamare poſſunt, certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, &c. à charitate Dei nos ſeparare poterit, quæ eſt in CHRISTO Domino noſtro, Rom. 8. verſ. 38. 39.

Sequantur hæc veſtigia omnes hi, qui provectioris ſunt ætatis, & cum Simeone præſentem ſemper mortem in januis expectent, ne ſint pueri centum annorum, Eſa. 65. verſ. 20. ſed juſtitiam & pietatem ſectentur. Nam ea canities venerabilis eſt, quæ in viis juſtitiæ reperitur, Proverbior. 16. verſicul. 31. & glorioſa corona ſenum timor Domini, Sirach. 25. v. 8.

Google

2. *Templi frequentatio.* Nam veniebat in Spiritu in templum, inquit Evangeliſta, & quidem eo tempore & horâ, qua Chriſtus Dominus templi à parentibus adductus Patri cœleſti ſiſtebatur.

Si vis Chriſtum invenire, qui via, veritas & vita eſt, ad templum cum Simeone propera, ibi præſens eſt, Exod. 20. v. 24. Matth. 18. v. 20. & ambulat in medio candelabrorum, Apocal. 1. verſ. 13. imò per miniſtros ſuos loquitur tecum de regno Dei, & conſilium omne Sacr. Sanct. Trinitatis] de negotio ſalutis humanæ tibi annunciat, Actor. 20. v. 27.

Quando igitur ſentis impulſum Sp. S. quo te ad Conciones audiendas inſtigat, noli contemnere, ut multi ſolent, qui ſuggeſtionibus Diaboli obtemperant, & vel ad cauponam, vel ad opera alia profana ſe conferunt, ſed cum Davide omnem in viſitatione templi voluptatem colloca, Pſ. 26. v. 6. 27. v. 4. 122. v. 1. 2.

3. *Jeſuli amplexatio.* Nam accepit eum in ulnas ſuas, inquit Evangeliſta, & ſine dubio exoſculatus eſt. Quod nobis charum eſt, ulnis excipere, gremio fovere & exoſculari ſolemus, ut teſtantur exempla Scripturæ, 2. Reg. 4. v. 20. Marc. 10. v. 16. ita Simeon Chriſtum in ulnas excipiens fidem ſimul & amorem ſuum declarat.

Sequamur dilecti, & Chriſtum excipiamus

1. *Brachio dextro*, quod eſt brachium fidei, & promiſſionibus Evangelicis univerſalibus nos includamus, firmiter credentes, qui propitiatio factus eſt pro peccatis totius mundi, 1. Joh. 2. v. 2. quod etiam factus ſit propitiatio pro peccatis meis, tuis, & omnium individuorum in mundo. Non enim vult ut ullus pereat, 2. Petr. 3. v. 9. tali fide CHRISTUS delectatur, Jerem. 5. verſ. 3. eique vitam æternam promittit, Johan. 3. verſ. 16.

2. *Brachio ſiniſtro*, quod eſt brachium charitatis, eo Chriſtum excipimus, quando membris ejus in hiſternis vel hoſpitium prætemus, vel eleemoſynas erogamus. Id enim Chriſtus olim ſibi factum reputabit, Matth. 25. v. 40.

4. *Dei glorificatio.* Nam laudavit Deum, inquit Evangeliſta, quod hoc beneficio ipſum dignatus eſt, & Chriſtum non tantùm in carne videre, ſed ulnis etiam excipere dedit. Talis nos quoque decet gratiarum actio, qui Chriſtum adhuc videmus in verbo & Sacramentis, nec ulnis tantùm, ſed ore & corde excipimus. Ore in Sacra cœna, corde verò per fidem, Galat. 3. v. 17. Hoc tantum beneficium grato animo agnoſcere & celebrare debemus. Quid enim melius animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quam Deo gratias? Hoc nihil dici poteſt brevius, nec audiri lætius nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius, inquit Auguſtinus. Hoc placet Deo ſuper vitulum novellum cornua producentem & ungulas, Pſal. 69. v. 32.

De Tertio.

Reſtat pars ultima, *Cygnea modulatione*, quæ tribus membris abſolvitur, ut ſunt

I. *Moriendi deſiderium*, quod apetit

1. *Quotidianâ mortis expectatione.* Nunc, inquit, nunc dimittis, q. d. paratus ſum, veni Domine Jeſu, quotidie te expecto. Ita nos quoque in perpetua mortis expectatione excubias quaſi agere debemus, ut ſingulo manè cogitemus, fortaſſis hodierna

etna dies ultima erit craſtinum non attingam, ita Maſſodonus, cum ab amico quodam in diem ſequentem ad convivium invitaretur, quid ajebat, me vocas in craſtinum non habui, ſed mortis adventum in ſingulos dies expecto. Hæc conſideratio & quotidiana mortis expectatio revocat à peccato, Siracli. 7. v. 39. & ad ſuperna invitat, ut obliviſcamur quæ retrò ſunt, & priora inhiemus, Philip. 3. v. 13. 14. ubi enim theſaurus noſter, ibi & cor noſtrum recumbit, Matth. 6. v. 21.

2. *Voluntatis divinæ approbatione.* Nam dimittis, inquit, Ego contentus ſum, quando tibi placet, ex hac lachrymarum valle emigrare in cœleſtem patriam: Ita ſemper in paterna Dei voluntate acquieſcendum eſt. Ille enim, ut dedit nobis corpus & animam: ita quoque poteſtatem habet ἀπολύειν vel diſſolvere illud vinculum, quo corpus & animam colligavit, Luc. 12. v. 20. ut ipſi vivimus, ita ipſi quoque morimur, Roman. 14. v. 8. Quando ergò videmus adeſſe præſtitutum mortis terminum, Deo vocanti promptè obediamus, & cum Elia dicamus: Sufficit nunc Domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum quàm Patres mei, 1. Regum 19. v. 4.

Vox ἀπολύειν tripliciter uſurpatur in Scripturis: Primò *de dimiſſione ex carcere*, Matth. 27. verſ. 26. quid hæc vita aliud eſt, quam carcer, in quo lex peccati, quæ eſt in membris noſtris, captivat nos, Rom. 7. v. 23. per mortem autem reducimur. Qui enim mortuus eſt juſtificatus eſt à peccato, Rom. 6. v. 7. Secundò *de dimiſſione in patriam*, Matth. 14. v. 15. in hac vita ſumus in exilio conſtituti, Pſalm. 39. v. 13. per mortem autem in cœleſtem patriam evocamur, ubi πολίτευμα noſtrum eſt, Philip. 3. v. 20. Tertiò *de dimiſſione ex ſervitio*, Job. 7. v. 2. quando ſervus laborando per totum diem defatigatus eſt, dimittitur tandem, ut ad quietem ſe conferre & vires recolligere poſſit: Ita ſumus omnes Dei ſervi, quos in certa ſtatione collocavit, & multas difficultates experimur, dum veſpera vitæ noſtræ accedit, ubi ad æternam quietem introducemur, Eſa. 32. v. 18. Apoc. 14. v. 13. Eſ. 57. v. 2.

Hanc dimiſſionem patienter expectemus, nec vel ex deſperatione cordis, vel ex impatientia carnis nobis ipſis violentas manus injiciamus. Non enim ſuſcipit Deus tales animas, quæ ipſo nolente è corpore exierunt, inquit Hieronymus. Peccant αὐτόχειρες contra naturam. Quanto enim quis propinquiorem ſibi occidit, tantò judicatur immanior. Qui ergò ſeipſum necat, peſſimus homicida eſt, quia nemo eſt homini ſeipſo propinquior, inquit Auguſt. peccat contra ſeipſum, nam in peccato moritur, ſicut Saul, 1. Chron. 11. v. 13. & non habet vitam æternam in ſe manentem, 1. Ioh. 3. v. 15. Peccat etiam contra Deum, cujus regalia invadit, dum ſibi ipſi mortem accelerat, quod Deo Moſes aſcribit, Pſal. 90. v. 3. & præceptum violat: Non occides, tàm te quàm alium, Exod. 20. verſ. 13. Ergò cum Eccleſia oremus:

Ach HERR vergib all unſer Schuld/
Hilff/ daß wir warten mit Gedult/
Biß unſer Stündlein kompt herbey/
Auch unſer Glaub ſtets wacker ſey/
Deim Wort zu trauen feſtiglich/
Biß wir entſchlaffen ſeeliglich.

II. Ἐυθανασίας *Magiſterium.* Hanc nobis monſtrat Simeon ſuo exemplo, dum moritur

Digitized by Google

1. *In cruce.* Nam ſe ſervum, & Deum ſuum Dominum appellat. Servus autem Chriſti ſine cruce & tribulatione eſſe non poteſt, Matth. 16. v. 24. Luc. 14. v. 27. In græco eſt vocabulum δεσπότης, quod patremfamiliàs ſignificat, qui domus ſuæ curam habet, & domeſticis ſuis imperare poteſt. Ejusmodi δεσπότης eſt Pater cœleſtis, cui omnes Creaturæ parent, Pſalm. 148. v. 8. & inprimis ex hominibus ei ſerviunt, quos à mundo ſeparavit, Ioh. 15. v. 19. & non ſolùm in baptiſmo ad ſervitia ſua deſtinavit, ſed etiam in hunc finem redemit ex manu inimicorum ſuorum, ut ſervirent ipſi in juſtitia & ſanctitate omnibus diebus vitæ ſuæ, Luc. 1. v. 74 75. hoc nomine gloriantur ſancti, quod eo honore dignati ſunt, Pſal. 116. v. 16. Sap. 9. v. 5.

Caveamus ergò à peccatis contra conſcientiam, in quibus & per quæ Diabolo ſervitur, Ioh. 8. v. 34. nam mors impiorum peſſima, Pſal. 34. v. 22. & hoc agamus, ut in ſervitio Dei ſemper inveniamur. Huic enim ſervire, regnare eſt. Et bene remunerat, qui ipſi ſerviunt, Pſ. 61. v. 6. Crucem etjam, quam nobis imponit, patienter feramus, Sir. 2. verſ. 1. & ſequentibus, ita beatè tandem moriemur, & cum gaudio etiam reſurgemus, pretioſa enim in conſpectu Dei mors ſanctorum ejus, Pſalm. 116. v. 15.

2. *In pace.* Nam in pace, inquit, dimittis ſervum tuum. Ita ſi beatè mori velimus, in pace moriamur oportet

1. *cum Deo*, inter quem & nos peccatum dividit, Eſa. 59. verſ. 2. maceries illa intergerina tollenda eſt per pœnitentiam, ut reduniamur cum Deo, & gratiam conſequamur. Hoc fit mediante Chriſto, qui eſt Princeps pacis, Eſ. 9. v. 6. & omnia reconciliavit pacificans per ſanguinem in cruce profuſum, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris, Col. 1. verſ. 20. qui hanc pacem habet, mortem non timet, quæ ipſi janua vitæ eſt, Ioh. 5. v. 24.

2. *Cum proximo.* Qui hunc non diligit, & dicit ſe diligere DEUM, mendax eſt, 1. Joh. 4. verſ. 20. vide igitur, ne ſol occidat ſuper iracundiam tuam, Eph. 4. verſ. 26. ſed eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo, Matth. 5. verſ. 25. inquire pacem & perſequere eam, Pſalm. 34. verſ. 15. ſi poſſibile eſt, quod in te eſt, cum omnibus hominibus pacem habe, Roman. 12. verſ. 18. qui enim vindicari vult, à Domino vindictam inveniet, & peccata illius ſervans ſervabit, relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur, Sir. 28. v. 1. 2. 3.

Maximè igitur neceſſarium eſt, ſi beatè mori velimus, ut inimicitias, contentiones, æmulationes, rixas, diſſenſiones, &c. deponamus, ſiquidem opera carnis ſunt, & qui talia agunt, regnum Dei non hæreditabunt, Gal. 5. v. 20. ſeqq.

3. *In fide*, qua fertur in Chriſtum, & ſummoperè lætatur, quod oculis ſuis ſalutare Dei videre ſibi contigit. Hoc cumprimis ad εὐθανασίαν pertinet. Nam extra CHriſtum non eſt ſalus, Actor. 4. verſ. 12. Qui ergò vult beatè mori, & per mortem ad vitam tranſire, Chriſtum fide apprehendant neceſſe eſt, ipſe enim eſt Dux vitæ, Actor. 3. verſ. 15. & verba quæ locutus eſt, ſunt verba vitæ, Iohan. 6. verſ. 68. Ergò ſequitur hinc, quod is, qui ſermonem ejus ſervaverit, mortem non videbit in æternum, Johan. 8. v. 51. Hæc eſt ſpiritualis viſio, quæ fit per fidem, & ad ſalutem nobis ſufficit. Beati enim qui non vident, & tamen credunt, Joh. 20. v. 29.

III. *Dul-*

III. *Dulce refrigerium*, quo amaritudinem mortis ſublevat. Id quærit in Chriſto, qui eſt

1. *Omnium Salvator.* In græco eſt σωτήριον, quæ vox magnam habet emphaſin, & plus eſt quàm σωτὴρ ſignificat enim quaſi fontem ſalutis, in quo DEUS omnes ſalutis ſuæ theſauros pro genere humano repoſuit, ut ex ejus plenitudine omnes accipiamus, Johan.1. v.16. & hauriamus, Eſ.12. verſ.3. Deſumpta eſt phraſis ex Geneſ.49. v.18. Eſ.52. verſ.10. Cum ergò ſit omnium Salvator, non eſt ut quisquam ab ejus merito ſe excludat. Natus eſt omni populo, Luc.2. v.10. vocavit ad ſe omnes, Matth.11. verſ.28. mortuus eſt pro omnibus etiam pro pereuntibus, Roman.14. v.16. 1. Corinth.8. v.11. Ebr.6. v.4. ſeqq. 10. v.26. hinc ex te, inquit, perditio tua Iſrael, ex me autem ſalus, Oſ.13. v.9.

2. *Gentium illuminator.* Hoc imprimis ad nos pertinet, qui olim gentes eramus, & ſedebamus in tenebris & umbra mortis, Matth.4. v.16. Sed Chriſtus eſt lux illa vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, Johan.1. v.9. huic acceptum ferimus, quod à poteſtate tenebrarum liberati, & ſortis ſanctorum in lumine participes facti ſumus, Col.1. v.13. ambulandum igitur in luce, ut filios lucis decet, ne tenebræ priores nos obruant, Joh.12. v.35. Luc.16. v.8.

3. *Iſraëlitarum glorificator.* Nam Judæis ſalus, Joh.4. v.22. eorum eſt adoptio & gloria, & fœdera, & legis conſtitutio, & cultus, & promiſſiones, Roman.9. v.4. ſed hæc omnis gloria Iſraelitarum jam noſtra eſt, qui per fidem filii Abrahami facti ſumus, Galat.3. verſ.7. & proinde etiam regale ſacerdotium, 1. Petr.2. v.9.10. Dei hæredes & cohæredes Chriſti, Roman.8. v.17. in noviſſimo die ad dextram CHRISTI collocabimur, & audiemus ſuaviſſimam vocem: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, quod vobis ab origine mundi paratum eſt, tunc ibimus in vitam æternam, Matth.25. verſ.34.46. Hoc faxit S. Trinitas, DEUS Pater, Filius & Spiritus Sanctus

Amen.

In Die Sancti Matthiæ.

Evangelium Matth.11. v.25.30.

Sicut figulus, quando facit opus ſuper rotam, & vas aliquod ipſi non cadit ad ſententiam, converſus aliud facit, ſicut placet in oculis ejus: Ita nos omnes ſumus in manu DEI, ſicut lutum in manu figuli, Jerem.18. verſ.3. ſeqq. Exemplum nobis ſuppeditat Hiſtoria Sanct. Matthiæ, qui in locum Judæ proditoris, qui prævaricatus erat, & in locum ſuum abierat, per ſortem electus & adoptatus eſt, Act.1. v.25.26.

De familia ejus è ſcripturis nihil conſtat, veriſimile tamen eſt, fuiſſe ipſum è numero 70. diſcipulorum, antequam ad Apoſtolarum vocaretur, Luc.10. verſ.1. In Feſto Pentecoſtes Spiritu Sancto inſtructus

unà

Digitized by Google

unà cum reliquis Apoſtolis in univerſum mundum abiit, & Evangelium prædicavit magnâ conſtantiâ in Æthiopia, tandem in Judæam reverſus juſſu Pontificis lapidatus & decollatus eſt, ut Scriptores Eccleſiaſtici teſtantur.

Nos absque ambagibus ad prælectam pericopen properabimus, & duobus membris tractationem illam boni ordinis gratiâ includemus. Occurrit enim ponderanda

I. Digna glorificatio.

II. Blanda invitatio.

J.J.

EXEGESIS.

VErbum DEI non ineptè comparatur ſemen, Luc.8. verſ.11. quemadmodum enim ſemen ſparſum in agro bono ſuccreſcit, & partim centuplum, partim ſexageſcuplum, partim trigecuplum fructum affert, Matth. 13. v. 23. Ita verbum Dei prædicatum non revertitur vacuum, ſed facit voluntatem Domini ſui, & proſperabitur in his, ad quæ mittitur, Eſ.55. v. 11.

Hujus rei veritatem perſpicimus in hodierno Evangelio, ubi Chriſtus pro felici curſu Evangelii ſui gratiarum actionem inſtituit, quia ex relatione 70. diſcipulorum cognoverat, quod non ſolùm prædicatio Evangelii à multis ſuſcepta ſit, verùm etiam ad imperium & verbum ſuum in Chriſto nomine dæmonia ex obſeſſis recedere oportuerit. Eſt enim verbum vitæ, Joh. 6. v. 68. & potentia ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

Conſideranda igitur hic

I. *Anſa*, quâ Chriſtus ad hanc gratiarum actionem delapſus eſt. Nam in illo tempore, inquit Evangeliſta, reſpondit Chriſtus, & reſpicit his verbis ad actum præcedentem, relationem nimirum diſcipulorum, de felici, ut diximus, Evangelii ſucceſſu, & monet nos hoc exemplo, quod pro accenſa Evangelii luce, Deo potiſſimùm gratias agere debeamus. Mundus hoc beneficium parvi æſtimat, & vix invenias de millibus unum, qui hoc nomine gratias Deo continnat, plerique beatitudinis ſummam in rerum terrenarum abundantia collocat, Pſalm. 44. verſ. 15. Sed hæc fluxa ſunt & caduca. Quare, ſicut Chriſtus omnium maximè lætabatur, & Patri ſuo gratias agebat pro felici Evangelii ſucceſſu: Sic & nos ad gratiarum actionem præcipuè ſumus devincti quando nobis æternus Pater ſpiritualia ſua dona communicat, & novum ſubinde oſtium Evangelio aperit, ut multum creſcat & fructificet, Coloſſ. 4. verſ. 2. 3. hoc eſt ſummum bonum, in quo vita æterna conſiſtit, Johan. 17. verſ. 3.

II. *Forma*. Nam exultans Spiritu, ut Lucas addit, Deum Patrem cœleſtem glorificat. Quibus verbis innuitur, quo gratias ſuas promiſit, nimirum

1. *Internè*, dum exultat Spiritu, omnia viſcera quaſi commoventur ſuper hoc bono nuncio, & lætitiam concipiunt: Ita quando gratias agere, vel etiam preces noſtras ad DEUM facere intendimus, videamus, ut fiat cum exultatione Spiritus. Nam Deus eſt Spiritus, & qui ipſum adorare volunt, in Spiritu & veritate adorent neceſſe eſt, Johan. 4. verſ. 24.

2. *Externè*, dum lætitiam quam corde concepit, ore depromit, & Deum Patrem cœleſtem glorificat: Ita nos quoque ſedem, quam intus in corde fovemus, per con-

confeſſionem oris demonſtremus. Nam corde creditur ad juſtitiam, ſed ore fit confeſſio ad ſalutem, Roman. 10. verſ. 10. non etiam ſufficit gratias corde concipere, ſed oportet deponere tàm privatim quàm publicè, nec laudis ejus nos pudeat, Sirach. 51. verſ. 37. multi ſedent in templo magis muti quàm piſces, & operam ſuam non conferunt, quando hymni eccleſiaſtici, vel Pſalmus aliquis in honorem Dei cantatur, præſertim mulieres, quæ vitio ſibi verti metuunt, ſi clarâ voce cum tota Eccleſia laudes Dei prædicent. Sed perperam: ſiquidem ex abundantia cordis os loquitur, inquit Chriſtus, Matth. 12. v. 34.

III. Materia, quæ duplex:

1. *Sapientum occæcatio.* Per ſapientes & prudentes intelliguntur omnes illi, qui myſteria Evangelii extra humani judicii aleam longiſſimè poſita, cenſuræ rationis ſubjiciunt, & ſic ipſam ſapientiam juſtificant, Luc. 7. verſ. 35. non enim eſt ſapientia supernè deſcendens, ſed terrena, ſed animalis, ſed dæmoniaca, Jac. 3. verſicul. 15. Hinc fit, ut quibus voluntate antecedente veritatem Evangelii DEUS innoteſcere cupit, poſteà voluntate conſequente, quæ antegreſſum Evangelii contemptum reſpicit, abſcondat, ut per ſuam ſapientiam DEUM in ſuam ſapientia non cognoſcant, 1. Corinth. 1. verſ. 21. ſed dum ſeipſos ſapientes putant, ſtulti fiunt in cogitationibus ſuis, Rom. 1. v. 21. 22.

Caveamus igitur, ne quis per inanem philoſophiam nos deprædetur, Coloſſ. 2. verſ. 8. & rationem noſtram captivemus ſub obſequium CHRISTI, 2. Corrinth. 10. verſ. 5. nam animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Corinth. 2. v. 14. hinc CHRISTUS beatos prædicat eos qui credunt, etiamſi non videant, Johan. 20. v. 29.

2. *Parvulorum illuminatio.* In græco eſt vox νήπιος, quæ ſtultum propriè ſive infantem ſignificat, qui ratione ſuâ per infirmitatem ætatis uti nondum poteſt. Hoc nomine ſimplices & rudes intelliguntur, qui myſteria Evangelii non ad rationis ſuæ trutinam examinant, ſed humili aſſenſione ad exemplum parvulorum ſimpliciter credunt, & libenter coram mundo ſtulteſcunt, ut coram DEO ſapientes reddantur, 1. Corinth. 3. verſ. 18. his revelantur myſteria regni cœleſtis, quia non contemnunt conſilium DEI adverſus ſemetipſos, Lucæ 7. v. 30. ſed ſimpliciter credunt inſtar Abrahæ contra ſpem in ſpem, tribuentes DEO gloriam, certâ perſuaſione conceptâ, quod re, quæ promiſit, etiam præſtare poſſit, Rom. 4 v. 21.

Glorientur igitur ſapientes & prudentes de ſapientiæ acumine, gloriabimus nos quod ſimplices & indocti rapiant cœlum, & ipſi cum literis ſuis mergantur in infernum, ut Auguſtin. loquitur. Nom enim multi ſapientes ſecundùm carnem electi ſunt, ſed quæ ſtulta ſunt elegit Dominus, ut ſapientes confunderet, 1. Cor. 1. verſ. 26. 27. imò ex ore infantium & lactentium perfecit ſibi laudem, Pſal. 8. v. 3.

IV. *Cauſa*, cur Evangelium ſuum abſconderit ſapientibus, & parvulis revelarit. Illa duplex ponitur:

1. *Dei beneplacitum.* Etiam Pater, inquit CHRISTUS, ſic fuit bona tua voluntas. Calviniani ex his verbis abſolutum ſuum decretum probare contendunt, quaſi DEUS ſapientibus hujus ſeculi ſalvificę ſuæ doctrinæ notitiam pro mero abſoluto voluntatis ſuæ beneplacito abſconderit, ut in cœcitate ſua æternum pereant, parvu-

lis verò ex eodem beneplacito revelaverit, ut in æternum ſalvi fiant. Sed ſine fundamento. Scriptura enim de nullo alio quicquam novit beneplacito, quam quod in CHRISTO fundatur, & per Evangelium nobis revelatum eſt, Roman.16.v.27. 1.Corinth. 2. verſ.7. ſecundùm quod beneplacuit ipſi per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, 1.Corinth.1. verſ. 21. & vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1.Tim.2.v.4.

Quia verò ſapientes hujus ſeculi oblatam gratiam repudiant, & nolunt venire, Matthæi 22. verſ. 5. ſeqq. 23.verſ.37. ſibi imputent, quod DEUS poſteà tradit eos in ſenſum reprobum, & occœcat intelligentiam ipſorum, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, 2. Corinth. 4. v. 4. hæc ſunt juſta Dei judicia, 2.Theſſal.2. v.10.

2. *Chriſti repudium.* Omnia mihi tradita ſunt à Patre, inquit CHRISTUS, & nemo novit filium, niſi Pater, & nemo novit Patrem, niſi filius & cui filius voluerit revelare. Hoc non credunt ſapientes hujus ſeculi, ſed ſcandalizantur, quando formam CHRISTI ſervilem intuentur, & cum Judæis dicunt. Nolumus hunc regnare ſuper nos, Luc.19. verſ.14. proinde ad ſalutarem DEI agnitionem pervenire nunquam poſſunt. Nemo enim DEUM vidit unquam, filius qui in ſinu patris eſt, ipſe enarravit nobis, Johan. 1. verſ. 18. hinc Pater cœleſtis de cœlo clamat, Matth..3 verſ.17. hic eſt filius meus dilectus, in quo complacuit mihi, hunc audite.

Qui autem verba illius, quæ loquetur in nomine meo, non audiet, ego ultor exiſtam, Deut.18.v.19.

Errant igitur Enthuſiaſtæ, qui ſepoſito verbo revelato raptus expectant. Nam ad legem & ad teſtimonium, Eſ.8. verſic.20. Errant Judæi, Turcæ, Photiniani, &c. qui gloriantur ſe verum DEUM adorare, qui cœlum & terram creavit, ſed CHriſtum blaſphemant, ſine quo DEUS verus cognoſci non poteſt, & proinde abſque Deo ſunt, in mundo, qui enim Filium negat, Patrem etiam non habet, 1. Johan.2. v.23. Errat denique Zwinglius, qui in expoſitione fidei ad Regē Chriſtianiſſimum, Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, &c. cum CHriſto, Habele, Enocho, Samuele, Elia, Davide, Petro, Paulo, aliiſque Sanctis ſub eodem prædicamento collocat & in fide mortuos, adeóque ſalutis æternæ participes factos eſſe contendit. Hoc falſum eſt, nemo enim novit Patrem, niſi Filius, & cui Filius voluerit revelare. Ergò extra Chriſtum non eſt ſalus, Act.4. verſ.12. in hunc qui non credit, damnatur, Marc.16. v.16. & ira Dei manet ſuper ipſum, Johan.3.v.36.

De Secundo.

Vidimus gratiarum actionem, quam CHRISTUS ad Patrem cœleſtem direxit, ſuccedit *invitatio*, quæ certè ſuaviſſima eſt

I. *Reſpectu vocatorum*, quorum hîc deſcribitur

1. *Quantitas.* Nam omnes vocat, abſque Status, conditionis, perſonæ ac dignitatis reſpectu. Hæc nota univerſalitatis non patitur reſtrictionem, quam Calviniani hîc iterum cudunt, dum per omnes homines

mines non ſingulos generum, ſed genera duntaxat ſingulorum intelligi ſtatuunt, eos videlicet, qui abſoluto Dei decreto ad vitam æternam electi ſunt. Nam vocati à CHRISTO ita deſcribuntur, quod laborent, & onerati ſint. Jam verò omnes homines laborant, & peccati onere preſſi ſunt, 1. Reg. 8. verſ. 46. Ergò omnes homines CHRISTUS ad ſe venire jubet, etiam renuentes, Proverb. 1. verſ. 24. non reſpondentes, Eſ. 65. verſ. 12. congregari nolentes, Matth. 23. verſ. 37. In DEO igitur non eſt culpa, quod multi non refocillantur, ipſe enim omnes vocat, & ſi venirent, omnes libenter refocillaret, ſed quia aſpernantur conſilium Dei adverſus ſemetipſos, Luc. 7. verſ. 30. vocatio illa, quæ ex parte CHRISTI univerſalis eſt, ex parte hominum contrahitur, ut multi ſint vocati, & pauci electi, quod parabolæ de Cœna magna, Luc. 14. verſ. 16. & nuptiis regiis, Matth. 22. verſ. 1. ſeqq. clariſſimè demonſtrant.

2. *Qualitas.* Nam, venite, inquit, omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Quibus verbis deſcriptio continetur miſeriæ & calamitatis humanæ, quâ tanquam onere graviſſimo deprimimur quaſi, & in terram proſternimur. Cauſa peccatum eſt; quæ per unum hominem in mundum introiit, & per peccatum mors, Roman. 5. verſ. 12. Per mortem connotatur labor & dolor, quo vita noſtra, ſi pretioſa eſt, tota obruitur, Pſalm. 90. verſ. 11. Huc pertinet querela Jobi. cap. 6. verſ. 2. & Davidis, Pſalm. 38. verſ. 4. ſeqq. itemque Pauli, Roman. 7. v. 23. 24.

Hæc conſideratio nobis eſſe poteſt

1. *Materia Collyrii.* Tanta enim naturæ noſtræ corruptio lapſum Protoplaſtorum inſecuta eſt, ut quamvis graviſſimè & periculoſiſſimè laboremus omnes, tamen hoc non animadvertamus, multò minus curemus, & ad Medicum properemus. Collyrio igitur opus eſt, Apoc. 3. verſ. 18. ut perſpiciamus miſeram noſtram conditionem, in quam per peccatum conjecti ſumus. Hæc eſt maxima inter omnes diſciplinas ſcientia, unde Auguſtinus quotidie oráſſe legitur: Domine, da mihi noſſe me & noſſe te. Utrumque ſummoperè neceſſarium eſt. Quantò magis enim in cognitione noſtri proficimus, tantò propius ad Dei cognitionem pervenimus. Quid prodeſt tibi omnia ſcire, & te neſcire? A te ipſo incipiat tua conſideratio, in te finiatur, tu tibi primus, tu ultimus eſto. Non ſis, ſicut oculus, qui cum omnia videat, ſeipſum non videt, ſed tecum ſemper habita. Conſidera, unde venis, & erubeſce, ubi es, & ingemiſce, quò vadis, & contremiſce. Ita cognoſces vilitatem tui, & proximum diliges, mundum contemnes, ad Deum evolabis, qui miſeros reſpicit, & contritos corde, Eſ. 66. v. 2.

2. *Materia ſuſpirii*, ut, quando ſentimus peccatorum molem, quæ cervicibus noſtris incumbit, ſublevationem quæramus, quæ in ſolo CHRISTO nobis parata eſt. Is eſt agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Johan. 1. verſ. 29. & infirmitates noſtras portavit, Eſ. 53. verſ. 4. Hinc ad me inquit: Venite & properate omnes qui laboratis, & onerati eſtis, ad me, qui ſum via, vita & veritas, Johan. 14. verſ. 6. ad me, qui vitam & omnem abundantiam vobis ſuppedito, Johan. 10. verſ. 11. ad me, qui factus ſum vobis à Patre ſapientia, & juſtitia, ſanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. v. 30.

Xx 2 Ponti-

Pontificii ad Mariam alioſque Sanctos confugiunt, quando peccati onere gravantur, vel etiã propriis meritis emergere confidunt, ſed fruſtrà. Nam Abraham neſcit nos, Iſrael non novit nos, Eſ. 64. v. 16. & ſi quæ facimus bona opera, nihil iisdem promereri poſſumus, ſed fateri cogimur: Servi inutiles ſumus, quæ debuimus facere, fecimus, Luc. 17. v. 10.

II. *Reſpectu præmiorum*, quorum duo Chriſtus hîc enumerat.

1. *Refocillatio.* Nam ego, inquit, reficiam vos. Quando aliquis ſub onere jacet, & fatiſcit miſer, nihil magis deſiderat, quàm opitulatorem, qui non ſolùm onus humeris tollat, ſed etiam manum jacenti porrigat, & fatiſcentem reficiat. Nos omnes jacebamus depreſſi ſub onere pecati: Sed Chriſtus venit, & refecit nos, nam livore ejus ſanati ſumus, Eſ. 53. v. 5.

Hoc facit adhuc, quoties in abſolutione pœnitentibus peccata remittit, & in ſacra Cœna corpore & ſangvine ſuo deficientes reficit, ut novas quaſi vires recuperent, Eſ. 40. v. 31.

Si pungit te peccatorum ſtimulus, ut cum Davide curvus incedas, Pſalm. 38. verſ. 7. vel cum Caino deſperationem mediteris, Geneſ. 4. v. 13. ad Chriſtum veni, ille te reficiet, juxta promiſſionem, Eſ. 1. v. 18.

Horrorem tibi incutit leo rugiens, 1. Pet. 5. v. 8. ad Chriſtum veni, ille eſt Leo de tribu Juda, qui vicit mundum & diabolum, Ioh. 16. v. 33. Apoc. 5. v. 5.

Tranſire cogeris per ignem & aquam, Pſalm. 66. verſ. 12. Chriſtus tecum erit, Eſ. 43. verſ. 2. & veluti torrem eruet te, Zach. 3. verſ. 2.

Grabato affixus es, & diuturno morbo laboras, ut Bethesdanus ille, Iohan. 5. v. 5. ad Chriſtum veni, ille reficiet te, nam ipſius potentia in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. verſ. 9.

Mors arcum ſuum intendit, & internecionem tibi minatur: Veni ad Chriſtum, ille reficiet te. Amen, amen dico vobis, inquit ipſe, ſi quis audit verbum meum, & credit in eum, qui miſit me, in judicium non veniet, ſed à morte ad vitam tranſibit, Iohan. 5. verſ. 24.

2. *Informatio.* Tollite jugum meum ſuper vos, inquit, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Ubi duo conſideranda veniunt:

I. *Lectio*, quam Præceptor ille diſcipulis ſuis diſcendam injungit. Illa triplex, agit enim

1. *De Crucis Calamitate*, quæ jugo comparatur

1. *Ratione impoſitionis.* Sicut enim agricola bobus ſuis jugum imponit: Ita Deus imponit fidelibus crucem, Pſal. 68. verſ. 20. & ſine ejus voluntate ne capillus quidem capitis noſtri ſuper terram cadere poteſt, Mat. 10. v. 30.

2. *Ratione conjunctionis.* Per jugum conjunguntur boves, ut pariter trahant, & laborent: Ita conjungimur nos per jugum Crucis Chriſto & reliquo Corpori Eccleſiæ. Hinc Lutherus; Qui vult eſſe Chriſtianus, oportet etiam, ut ſit Crucianus, aliàs Chriſti diſcipulus eſſe non poteſt, Luc. 14. verſ. 27.

3. *Ratione probationis.* Per jugum boves probantur: Ita Chriſtiani per crucem, 1. Petr. 1. v. 7.

4. *Ratione refrenationis.* Iugum refrenat ferociam & petulantiam taurorum: Ita Crux veterem Adamum mortificat cum omni-

Digitized by Google

mnibus concupiſcentiis ſuis, 2. Cor. 4. v. 16. 1. Petr. 4. v. 1.

5. *Ratione excitationis.* Ut jugum in bobus excitat avidum pabuli appetitum & dederium quietis: Ita crux procreat in nobis amorem verbi. Nam vexatio dat intellectum, Eſ. 28. verſ. 19. & deſiderium tranſitus ex hac miſeriarum valle ad manentem Civitatem, quæ in cœlis eſt, Ebr. 13. verſ. 14.

6. *Ratione allevationis.* Quemadmodum enim agricola jugum manibus ſuis aliquando attollit, ne boum maxillæ nimis graventur, & pabulum iisdem offerr, quo alantur, & novas vires colligant: Ita Deus quandoque crucem mitigat, ne omninò ſuccumbamus, efficacesque conſolationes adhibet, quæ inſtar pabuli ſunt, quo animæ noſtræ conſervantur ad ſalutem, Pſalm. 119. verſ. 92.

7. *Ratione liberationis.* Quando veſpera advenit, agricola jugum ſolvit, tauros defeſſos in paſcua demittit, & ſaturos in ſtabulum deducit: Ita cœleſtis agricola circa vitæ veſperam, in morte, nos omni cruce exonerat, & tandem in ſtabulum æternæ quietis perducet, ubi vox fletus & clamoris non amplius audietur, Eſ. 65. v. 19. ſed gaudium erit inenarrabile, quod nemo à nobis tollet in æternum, Ioh. 16. v. 22.

Hæc eſt comparatio Crucis cum jugo, quæ certè nos inſtigare debet, ut æquanimiter ſuſcipiamus & patienter feramus, quicquid nobis, DEO diſponente, tribulationis immittitur. Nam Dominus, qui jugum hoc nobis imponit, fidelis eſt, & non ſinet nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed præſtat unà cum tentatione etiam evaſionem, ut ſufferre poſſimus, 1. Cor. 10. v. 13.

2. *De addiſcenda lenitate.* Nam, diſcite à me, inquit, ὅτι πρᾶός εἰμι, quia mitis ſum. Commendatur his verbis manſvetudo, quæ, teſte Hieronymo, omnia æquanimiter ſuſtinet, non irritat, nec irritatur, non nocet, nec nocere cogitat. Hâc virtute Chriſtus mirum quantum excelluit, 1. Pet. 2. verſ. 23. unde ovi comparatur, quæ obmuteſcit coram tondente, nec os ſuum aperit, Eſ. 53. verſ. 7. Ita nobis exemplum reliquit, ut ſequeremur veſtigia ejus, 1. Petr. 2. verſ. 21. & cum omni manſvetudine ambulemus, Epheſ. 4. verſ. 2. non reddentes malum pro malo, aut convitium pro convitio, ſed contra benedicamus, 1. Petr. 3. v. 8. 9. Requirit hoc Chriſtiana Charitas, 1. Cor. 13. verſ. 4. 5. 6. & qui juxta hanc regulam carnem frenat, magni eſt intellectus, qui autem impatiens eſt, ſtultitiam ſuam exaltat, Prov. 14. v. 29. Hinc Chriſtus: Beati mites, quoniam terram hæreditabunt, Matth. 5. verſ. 5.

3. *De imitanda humilitate.* Hæc iterum pulcherrima & neceſſaria virtus eſt, quam ſuo exemplo Chriſtus nobis commendavit per totam vitam, dum parentibus ſubditus fuit, Luc. 2. verſ. 51. dum diſcipulis pedes lavit, Iohan. 13. verſ. 14. 15. dum Patri obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. verſ. 5. ſeqq. & talis affectus debet eſſe in omnibus Chriſtianis, ut humilient ſe ſub potenti manu Dei, ſi tandem ſuo tempore exaltati velint, 1. Petr. 5. v. 6.

Stella in firmamento modica eſt in apparentia, ſed, ſi Mathematicis credimus, terram etiam magnitudine ſua ſuperat: Ita humilis parvus eſt in terra, & contemptibilis apparet, ſed apud Deum magnus eſt & acceptus, Pſ. 113. v. 6. Sir. 3. v. 19. 20. modò humilitas illa non ſit fictitia, ſed in corde ra-

 dicetur,

dicetur, quod Deus aſpicit, 1. Sam. 16. verſ. 7.

II. *Impulſio*, quæ nobis ad lectionem illam addiſcendam quaſi calcar addere debet. Illa duplex hîc ponitur:

1. *Requiei ſuavitas.* Nam invenietis requiem, inquit Chriſtus animabus veſtris. Hæc requies provenit ex bona conſcientia, quam ſibi comparat is, qui manſvetus eſt, & nemini injuriam facit, ſed mavult offendi, quàm offendere, unde non ſolùm tranquillius vivit quàm hi, qui aſperi & elati ſunt, & ubique ſummum ſuum jus tueri volunt, ſed etiam promiſſionem habet, quod benedictionem hæreditare debet, 1. Petr. 3. v. 9.

2. *Operis facilitas.* Nam jugum meum ſvave eſt, inquit Chriſtus, & onus meum leve. Svave reſpectu futuræ compenſationis, 2. Cor 4. v. 17. leve autem

1. *Reſpectu collationis*, quia promeriti eramus æternam condemnationem, ſed caſtigat nos Dominus parùm, ne una cum mundo pereamus, 1. Cor. 11. v. 32.

2. *Ratione ſanctificationis*, quæ per crucem Chriſti facta eſt, ut diligentibus Deum omnia deinceps in bonum operentur, Roman. 8. v. 28.

3. *Ratione confortationis*, quam Chriſtus per Spiritum ſanctum nobis ſub cruce communicat, ne ſuccumbamus, ſed tandem vincamus, & triumphemus, unde Paracletus vocatur, Iohan. 16. verſ. 7. Hoc operetur in nobis Deus Deorum, ſuper omnia benedictus in ſecula,

Amen.

In Feria Annunciationis.

Evangelium Luc. 1. v. 26. 38.

De Abrahamo legimus, Gen. 24. v. 1. ſeqq. quod ſervum ſuum Eleazarum in Meſopotamiam ablegaverit, ut filio ſuo Iſaaco uxorem ibi quæreret, quam ille Commiſſionem eâ, quâ par erat, diligentiâ & fidelitate expedivit. Nam Rebeccam offendit, quæ erat puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro, nec repugnabat ipſius petito, ſed à parentibus interrogata, num velit ire cum homine iſto ſtatim annuebat, & dicebat: Vadam. Hæc figura hodie completa eſt. Nam in prælecta pericope audiemus, quomodo Pater æternus ſervum ſuum primarium, Gabrielem Archangelum emiſerit, ut Filio ſuo Sponſam, imô Matrem, quæreret, qui, veniens in Civitatem Nazareth, Mariam virginem compellat, & quod in mandatis habet, ipſi exponit, nec refragatur illa, ſed in vera humilitate obſequium ſuum conteſtatur, inquiens: Ecce, ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

Nos ipſam hiſtoriam ad manus ſumemus, quæ in duas partes dividi poteſt, ut ſunt:

I. Angelica legatio.

II. Humillima acceptatio.

J.J.

EXEGESIS.

Rectè dixerunt Veteres, plus eſſe, reparare

rare mundum perditum, quàm creare nondum exiſtentem. Deus enim verbo creavit omnia, **es koſtete Jhn nur ein Wort**/ ſed Filio redemit hominem, **da koſtete es Jhn ſeinen Sohn.** Hujus tam pretioſi beneficii initium factum eſt hodierno die, quo ad redimendum genus humanum Pater æternus miſit Filium ſuum, γενόμενον ἐκ γυναικὸς, Galat. 4. verſ. 4. nimirum ex Maria virgine, contra naturæ curſum, ſicut olim virga Aaronica divino miraculo in una nocte germinavit, floruit; & fructus amygdalinos produxit, Numer. 17. v. 8. Id patet ex legatione, cujus in prælecta pericope deſcribitur

I. *Tempus*, quando facta, nempe menſe ſexto, à tempore, quo conceptus fuit Iohannes Baptiſta, ut ſeries hiſtoriæ oſtendit. Iohannes debebat eſſe CHRISTI prodromus, & ſicut Lucifer Solem orientem præcedit: Ita quoque CHRISTUM, Solem juſtitiæ, præcedere debebat. Hinc æquum erat, ut conceptio Iohannis etiam conceptionem Chriſti præcederet. Incidit ergò Conceptio Iohannis Baptiſtæ in menſis Septembris diem 23. Conceptio Chriſti autem in menſis Martii diem 25. quo tempore omnia ſolent revireſcere, quæ ſub hyeme quaſi emortua fuerunt Pſalm. 104. verſ. 30.

Hoc non ſine cauſa factum eſt. Sicut enim Iohannis Conceptio in Autumnum incidit, quo annus ad finem tendit, quia vetus Teſt. concludere debebat, ſiquidem Lex & Prophetæ usque ad Iohannem, Matth. 11. verſ. 13. Ita Chriſtus in Vere conceptus eſt, quia erat vir ille, cujus nomen Zemach, ſub quo omnia germinare cœperunt, Zachar. 6. verſ. 12. dum triſtem naturæ noſtræ hyemem ſua conceptione & incarnatione in lætam Veris amœnitatem transmutavit, ut cum Sponſa CHRISTI canere poſſimus, Cantic. verſ. 11. Hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra.

Videmus hinc, veracem eſſe Deum in promiſſionibus ſuis, & non auferre, quod interdum certis de cauſis aliquamdiu differre ſolet, Habac. 2. verſ. 3. Confidentes Deo intelligent Veritatem, Sap. 3. verſ. 9. & non confundentur, Pſ. 25. v. 3.

II. *Legatus*, qui deſcribitur

1. *Ratione nominis*, vocatur enim Gabriel, is nimirum, qui olim Danieli Prophetæ apparuerat, & tempus Meſſiæ determinaverat, Dan. 9. verſ. 21. Unde apparet, Angelos non ſolùm eſſe adminiſtratorios Spiritus, Ebr. 1. verſ. 14. ſed & deſiderare in ea proſpicere, quæ per miniſterium Evangelii nobis annunciantur, 1. Pet. 1. verſ. 12. Exultate, vos mei, ſi nemo eſt, qui vos curet, è potentibus hujus ſeculi, angelos habetis potentes, illos Cœli Spiritus, quibus curæ cordique eſtis, Pſalm. 34. verſ. 8. Cavete igitur à peccatis, quibus abiguntur angeli & pietati ſtudete, ut gaudendi materiam ipſis præbeatis, Luc. 15. verſ. 10.

2. *Ratione muneris.* Nam à Deo mittitur tanquam legatus cœleſtis, & quidem ex ordine Archangelorum, qui ipſi à latere aſtant, & mandata ejus velociter expediunt, Pſalm. 103. verſ. 20. Diabolus, qui primos parentes ſeduxit, & totum genus humanum in peccatum & mortem præcipitavit, non fuit miſſus à Deo, ſed venit à ſeipſo, & locutus eſt ex proprio, Iohan. 8. v. 44. ſed bonus angelus, qui Meſſiæ Redemptoris Conceptionem hodie annunciat, à Deo mittitur. Unde liquet, quod non

ſit

ſit cauſa perditionis, ſed author & inventor ſempiternæ redemptionis, Ebr.9. v.12. Oſ.13. v.14.

III. *Locus*, qui deſcribitur

1. *Generatim.* Nam miſſus eſt, inquit Lucas, in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Sita fuit hæc urbs in tribu Zabulon, trium dierum itinere ab Hieroſolyma, & adeò contemptu habita eſt tempore CHRISTI, ut Nathanael dicere non vereatur: Quid boni ex Nazareth deſcendere poteſt? Ioh.1.verſ.46. aliàs florem vel ſurculum denotat.

Quòd igitur CHRISTUS in hoc loco concipi voluit, eo ipſo oſtendit, fore ſe humilitatis Doctorem, Matth.11. v.29. qui humilia reſpicit, Pſ 113. verſ.6. & germen illud juſtum, quod Davidi promiſſum eſt, Jerem.33. verſ. 15. & ſpiritualem vigorem & fertilitatem nobis, qui per naturam ſumus aridæ & ſteriles arbores, ſuâ conceptione afferre debebat, Joh.15. v.2.

2. *Speciatim.* Nam ad ædes Mariæ tendit, quæ in illa Civitate habitabat, & deſcribitur hîc

1. *Ab adjuncto nomine*, dum Maria dicitur, quod nomen ab amaritudine originem trahit, & ἀλληγορικῶς denotat, quod Eccleſia in hac vita amaram experiatur ſortem, cum tamen ſpiritualia myſtici corporis Chriſti membra quotidie generet, Apocal.12. v.2. Sed quemadmodum Iſraelitæ in Mara aquam inveniebant quidem, ſed quæ tam erat amara, ut bibere illam non poſſent, dum Moſes ex juſſu Dei arborem immitteret, cujus operatione dulceſcebat, Exod.15.verſ.23.ſeqq. Ita Chriſtus arbor vitæ eſt, quæ in Mariam ſe demiſit, & omnes tribulationes noſtras dulcoravit, ut diligentibus Deum nocere non poſſint, ſed in bonum operentur, Roman.8. verſ.28.

2. *A vitæ genere.* Fuit enim

Primò *Virgo illibata.* Ita prædictum erat Eſ.7. v.14. Hinc dicitur ſemen mulieris, non viri, Geneſ.3. v.15. Id quod typo portæ clauſæ, Ezech.44. verſ.2. & lapidis abſque manu revulſi, Dan.2. v.34.B.Patres præfiguratum volunt.

Secundò *Virgo deſponſata*, Ioſepho nimirum, qui faber erat lignarius, ſed nondum ipſam in domum deduxerat, multò minus cognoverat, Matthæi 1. verſ.18. Hoc factum eſt in honorem Conjugii, ut naſceretur Chriſtus non quidem ex conjugio, ſed tamen in conjugio, adeoque tàm virginitas, quàm matrimonium, contra hæreticos, alteri iſtorum detrahentes, honoraretur, quam rationem Baſilius annotat. Factum etiam eſt ob certam virginitatis notitiam, ut Maria haberet virginitatis ſuæ cuſtodem & teſtem, quod Ambroſio placet. Factum denique, quia Chriſtus, Eccleſiæ Sponſus, omne opus ſalutis operaturus fuerat in ligno crucis. Hinc talem matrem elegit, quæ fabro lignario deſponſata erat. Ita non datur ulla circa hanc materiam circumſtantia, quæ conſolationem aliquam nobis ſuppeditare non poſſit, ſiquidem omnia, quæ ſcripta ſunt, in hunc finem ſcripta ſunt, Rom.15. v.4.

3. *A regia ſtirpe.* Fuit enim ex familia Davidis, quod ex eo colligitur, quia Joſepho ex domo Davidis oriundo deſponſata eſt. Juxta legem enim Conjuges ex eodem genere & eadem cognationis catena prognatos eſſe oportebat, Num. 36. verſ.6. ſed illa familia tum humiliata & ad paupertatem redacta erat, nihilominus ex

v. L.

Digitized by Google

radice Ieſſe ſurculus ille repullulat, Eſ. 11. v.1.53. v.2. Hoc promiſſum erat Davidi, 2. Sam.7. v.12. Pſ.89. verſ.4.5. Noterur contra Judæos, qui Chriſto honorem Meſſiæ denegant, cum tamen omnes notæ, quibus Meſſias in Scripturis depingitur, in ipſo concurrant. Ita in meridie cœcutiunt, & quia alium Meſſiam expectant, dolores ſibi ipſis multiplicant, Pſ.16. v.4.

IV. *Effectus*, qui deſcribitur

1. *Ratione modi*, quomodo legationem ſuam depoſuerit, nimirum

1. *Amicè ſalutando.* Nam, Ave, inquit, gratioſa, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. In Græco eſt *κεχαριτωμένη*, du Begnadigte / die du Gnade bey GOTT erlanget haſt / nimirum in CHRISTO, in quo Deus Pater *ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς*, charos ſive gratioſos nos reddidit, Epheſ. 1. verſ. 6. quemadmodum etiam benedicta dicitur inter mulieres propter conceptionem benedicti ſeminis, in quo omnes populi benedicendi erant, Geneſ.22. verſ.18.

Pontificii angelicam hanc ſalutationem mutarunt in precationem: Sed perperàm, cum nec definitio precationis, nec ejuſdem neceſſaria requiſita eidem competant. Oratio eſt locutio apud Deum, inquit Auguſtinus, quâ vel petimus aliquid à DEO, vel gratias eidem agimus, unde genuina, adeoque eſſentialia, ejuſdem membra enumerantur, obſecratio, oratio, poſtulatio, gratiarum actio, 1. Tim.2. v.1. ſed ave hoc angelicum non eſt ad DEUM, ſed ad Mariam locutio, non obſecratio, non oratio, non poſtulatio, non gratiarum actio, ſed nuda & mera ſalutatio. Ergò horrendam Pontificii committunt Mariolatriam, quando hanc ſalutationem quotidiè repetunt, addentes: Benedictus fructus ventris tui, Jeſus CHRISTUS. Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis, Amen. Hinc Epiphanius: Quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Sit in honore Maria, Pater, Filius & Spiritus ſanctus adoretur, Mariam nemo adoret. Hic honor ſoli Deo debetur, Eſ.42. verſ.8.

2. *Metum propulſando.* Poſtquam enim conſpectu & ſalutatione Angeli in cœleſti gloria apparentis Maria perterrefacta cogitaret apud ſeipſam: Qualis hæc eſt ſalutatio? Angelus ipſam erigit, dicens: Ne timeas, Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum. Unde apparet, omnem noſtram dignitatem, excellentiam & ſalutem è merâ & ſola gratia divina dependere Eph. 1. v.4. 5.6. 2. Timoth.1. verſ.9. Epheſ.2. verſ.8. Tit.3. verſ.4 5.6. ſi verò ex gratia, jam non ex meritis noſtris præparatoriis, Roman. 11. v.6. Et quid, quæſo, operibus noſtris vel antevertere vel promereri poſſemus? Sunt ſervorum inutilium debita, Luc.17. verſ.10. ſunt in perfectiſſimis imperfecta, Roman. 7. verſ.21. ſunt in ſanctiſſimis multis vitiis contaminata, Eſa.64. v.6. hinc detrimenta à Paulo & ſtercora appellantur, Philip.3. verſ.8.

Omnem igitur in hac gratia & miſericordia divina ſpem & conſolationem ponamus. Terreat vita quantum velit. Tremorem incutiat peccatorum conſcientia quantum poſſit. Ne metuas peccator, inveniſti gratiam apud Deum. Nam juſtificati fide pacem habemus apud Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Rom. 5. verſ.1.

Yy 2. *Ratio-*

2. *Ratione ſcopi.* Nam ecce, pergit Angelus, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM; Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur, & dabit ei Dominus DEUS ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Hisce verbis ſatis perſpicuè exponit Angelus, quæ expedienda ipſi divinitùs injuncta erant, & pulcherrimam nobis deſcriptionem ſuppeditat, quâ tota de Chriſto doctrina nervosè comprehenditur:

I. *Perſonæ ſublimitas*: Duæ enim naturæ exprimuntur, quæ perſonam Chriſti conſtituunt:

1. *Humana*, dum angelus ad Mariam ait: Concipies in utero, & paries filium. Item paulò poſt: Sanctum quod ex te naſcetur. Unde ſequitur, quod CHRISTUS verè in utero Mariæ ex maſſa ſanguinea ſive carnea conceptus, in eadem formatus, per menſes novem geſtatus, & tandem in lucem editus ſit: Quemadmodum enim pueri habent carnem & ſanguinem: Ita (παραπλησίως) particeps eorundem ipſe factus eſt, Ebr. 2. verſ. 14. quod probè notandum contra Valentinianos & hodiernos Antibaptiſtas, qui filium Dei carnem ſuam de cœlo detuliſſe ſomniant. Sed hîc Angelus expreſsè ait, quod in Maria, & ex Maria conceptio Chriſti fieri debeat.

In hoc articulo ſalutis noſtræ fundamentum conſiſtit, quod Diabolus humanitatem CHRISTI impugnans uno impetu concutere ſatagit. Per lapſum redacti eramus ſub poteſtatem tenebrarum, Col. 1. verſ. 13. Filius Dei autem eo fine deſcendit de cœlo, & carnem humanam aſſumpſit, ut in illa & per illam caput infernalis ſerpentis contereret, & naturam noſtram liberaret. Sicut enim piſcator capturus piſces hamum abſcondit: Ita filius Dei fragilem noſtram carnem induit, inque ea divinitatem ſuam quaſi occultavit. Diabolus animadvertens Chriſti propoſitum, quod ipſi caput conterere, & regnum ejus deſtruere vellet, cogitat: Facili negotio hunc deglutiam, homo mortalis eſt. Sed poſtea ſenſit hamum ſub fragilitate aſſumptæ carnis abſconditum, qui adhuc in palato ipſius hæret, ut piis amplius nocere non poſſit. Nam victus eſt, Johan. 16. verſ. 11. amiſit poteſtatem, Hebr. 2. verſ. 14. CHRISTUS opera ejus deſtruxit, 1. Johan. 3. verſ. 8. & omnes principatus infernales in triumphum adduxit, Coloſſ. 2. verſ. 15.

2. *Divina.* Nam hic erit magnus, inquit porrò angelus & filius altiſſimi vocabitur. Unde ſequitur ex natura relatorum, quod Deus altiſſimus ſit ejus pater, ex quo Judæi verè ipſum ſe patri æqualem facere colligebant, Johann. 5. verſ. 18. & Chriſtus dicitur proprius DEI filius, Romanor. 8. verſ. 32. Ergò verus Deus eſt, & vita æterna, 1. Johan. 5. verſ. 20. Imò Deus benedictus in ſecula, Roman 9. v. 5.

Hæ duæ naturæ ita unitæ ſunt, ut idem ſit filius Dei & filius hominis, idem filius Mariæ & filius altiſſimi. Non enim ſunt duæ perſonæ, ſicut duæ ſunt naturæ, ſed unus eſt Dominus Jeſus Chriſtus, 1. Cor. 8. v. 6. & unus mediator θεάνθρωπος, 1. Timoth. 25. v. 5.

Tali Meſſia opus habebamus. Siquidem nudus homo æternam redemptionem invenire, & à poteſtate peccati & Diaboli genus humanum redimere nunquam potuiſſet, Pſalm. 49. v. 8. 9.

II. *Offi-*

Digitized by Google

II. *Officii dignitas*, quod duplex hîc deſcribitur

1. *Sacerdotale*, quo alludit angelus nomine JESU. JESUS enim Salvatorem ſignificat, Matth.1. v. 21. hoc officium fideliter adminiſtravit, dum ſe ipſum Patri obtulit in odorem bonæ fragrantiæ, Epheſ.5. verſ. 2. & unica illâ oblatioue conſummavit juſtificandos in æternum, Ebr.10. v.12.14. quin etiam adhuc hodie pro nobis apud Patrem intercedit, quando Satanas accuſat nos, 1. Johan.2. v.1. Apoc.12.v.10. Roman.8.v.43.

2. *Regale.* Hoc conſiſtit in gubernatione Eccleſiæ, & ſuper omnes ſe extendit, qui fide Jacob ſunt, Roman.9. verſ.8. non eſt de hoc mundo, Joh.18. v.36. Errant igitur Judæi, quando talem Meſſiam præſtolantur, qui more terrenorum Monarcharum dominaturus ſit in mundo. Ita non deſcribitur Meſſias in ſacris literis, ſed tanquam Rex pauper, Zachar.9. verſ.9. contemtu, ignominia, plagis, verberibus, vulneribus, morte, crucifixione multandus, cruciandus, occidendus, ſepeliendus, Eſa.53. verſ.3. Pſ.22. verſ.17. 18. Dan. 9. verſ.26. zach.12. verſ.10. hinc cum populus ipſum in Regem vellet eligere, fugit in montem, Joh.6. v.15. quia venerat miniſtrare, non miniſtrari, Matth.20.v.28. interim Rex eſt ſpiritualis, qui Eccleſiam defendit contra omnes portas inferorum, Matth. 16.v.18.

De Secundo.

Vidimus legationem, videbimus etiam *acceptationem*, ubi tria potiſſimùm conſideranda occurrunt:

I. *Mariæ percontatio.* Nam quomodo erit iſtud, inquit, quoniam virum non cognovi. Sed quomodo illud non procedit ex incredulitate, ut Nicodemus hoc ipſo articulum de regeneratione impugnabat, Johan.3. verſ. 4. ſed ex docilitate, ut voluntatem Dei plenius cognoſceret, & fidem ſuam confirmaret. Hoc exemplum nos quoque imitari debemus, quando ex ore angeli, id eſt, paſtoris noſtri aliquid audimus, quod non intelligimus, ut quæramus, quomodò res ſe habeat, cum Berhoënſibus, Actor. 17. verſic. 11. & ſi fundamentum habet in ſacris literis, non vocemus in dubium, aut planè inficiemur, quamvis ratione penetrare non poſſumus, ſed Deo cum Abrahamo gloriam demus, & ſimpliciter credamus. Beati enim qui non vident, & tamen credunt, Johan. 20. verſ. 29.

II. *Angelica declaratio*, quâ

1. *Modum explicat.* Nam Spiritus Sanctus, inquit, ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, quapropter & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius DEI. Ubi tria potiſſimùm conſideratione digna ſunt. Denominatur enim

1. *Cauſa principalis*, quæ eſt Spiritus Sanctus. Quamvis enim incarnatio certo modo ſit opus SS. Trinitatis, ſicut hoc loco mentio fit altiſſimi, id eſt, Dei Patris, itemque virtutis altiſſimi, id eſt Filii, qui vocatur Dei virtus, 1. Corinth. 1. v. 24. & Spiritus Sanctus tamen peculiari ratione Spiritui Sancto tribuitur, qui eſt Spiritus ſactificationis, Rom.1.v.4. & guttulas ſanguinis in Maria virgine ita ſanctificavit, ut fructus ventris ejus eſſet ſanctus, impollutus, à peccatoribus ſegregatus, Ebr.7.v.26.

2. *Modus Supernaturalis*, qui exprimitur

1. *Per Superventionem.* Primum hominem formavit Deus ex limo terræ, Evam ex coſta mariti, poſteà inſtituit conjugium per quod genus hnmanum propagaretur, ſed in hac conceptione creat novum, Ier. 31. v. 22. ut ex Spir. S. operatione Maria concipiat, unde quod in ea natum eſt, de Sp. S. eſſe dicitur, Matth. 1. v. 20. Oremus igitur Spiritum S. ut in nos quoque veniat, & cor novum in nobis creet, Pſalm. 51. verſ. 12. tunc fœcundi erimus in bonis operibus, Col. 1. verſ. 10.

2. *Per inumbrationem.* Virtus altiſſimi, inquit angelus, obumbrabit tibi. In græco eſt verbum *ἐπισκιάζειν*, quod Exod. 40. v. 34. de nube, quæ obumbravit tabernaculum fœderis, & Num. 9. v. 16. de columna nubis in deſerto uſurpatur. Quemadmodum igitur Deus in V. T. non apparuit in nuda ſua majeſtate, ſed in nube quæ fuit inſtar cujusdam umbraculi, ſine quo Iſraelitæ præſentiam ipſius ferre non potuiſſent: Ita virtus altiſſimi obumbravit Mariam, id eſt, Filius Dei, qui eſt virtus altisſimi, veſte humani corporis ſe induit, ut gloria divinæ majeſtatis hâc nube quaſi interciperetur, Deum enim in ſua majeſtate nemo videre poteſt, Exod. 33. verſ. 20. Quando igitur de conceptione Chriſti cogitamus aut diſputamus, ſemper intra cancellos S. Scripturæ nos contineamus, & meminerimus, nubem eſſe interpoſitam, quam perrumpere non licet. Scrutator enim majeſtatis opprimetur à gloria, Prov. 25. v. 27.

Præbet etiam nobis inſignem conſolationem. Deus eſt ignis conſumens, Deut. 4. v. 24. Ebr. 12. v. 29. ſed filius Dei incarnatus præſtat nobis umbraculum, ne ab igne iræ divinæ abſumamur. Primi noſtri parentes poſt commiſſum peccatum ſub arboribus ſeſe abſcondebant, ſed non poterant occultari, Deus illos protraxit, Gen. 3. v. 8. ſeqq. qui ab igne iræ divinæ ſe abſcondere cupit, ad hoc umbraculum confugiat, ſub eo tutus eſſe poterit, Chriſtus enim à futura ira nos liberavit, 1. Theſſal. 1. v. 10.

3. *Effectus ſingularis*, de quo Angelus: Sanctum quod ex te naſcetur, filius Dei vocabitur. Quia enim ſuper Mariam venit Spirit. Sanct. & illam obumbravit altiſſimi virtus, hinc peccati propagatio impedita & quod natum eſt ex Maria verè *ἅγιον* vel ſanctum fuit, ut quidem ab angelo vocatur.

Hoc noſtri cauſâ factum eſt. Omnes poſt lapſum in peccatis concipimur, Pſalm. 51. verſ. 7. & caro de carne naſcimur, Iohan. 3. v. 6. ſed ab hac conceptionis noſtræ impuritate liberavit nos Chriſtus ſanctiſſimus ſua conceptione, quia per eam nobis promeruit, ne peccatum originale, in quo concipimur, nobis imputetur, Rom. 8. verſ. 1.

II. *Dicta roborat.* Quia enim res erat magni momenti, cujus exemplum in tota rerum natura hactenus nullum extiterat, duplici argumento confirmat angelus, quod jam dixerat:

1. *Exempli evidentiâ.* Atque ecce, inquit, Eliſabeth cognata tua & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic menſis ſextus eſt illi, quæ dicebatur ſterilis, quaſi dicat, Si Eliſabetha ſterilis hactenus in ſenectute ſua concepit ex Dei diſpoſitione, quidni tu quoque conciperes per Spiritus Sanct. operationem, qui ad naturam non eſt alligatus, ſed *ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ* facere poteſt, ultra id quod petimus & intelligimus, Eph. 3. v. 20.

Ex hoc exemplo liquet, quantum poſſit bene-

Digitized by Google

benedictio: Sicut enim habet clavem cœli, Deut. 28. verſ. 8. Mal. 3. verſ. 10. & clavem ſepulchrorum, Ezech. 37. v. 12. ita etiam habet clavem uteri materni, & poteſt claudere, poteſt etiam apetire, quando ipſi viſum eſt, ut docent exempla Saræ, Gen. 16. v. 2. 21. verſ. 2. 3. Rebeccæ, Gen. 25. verſ. 21. Rachelis, Gen. 30. verſ. 22. Hannæ, 1. Sam. 1. verſ. 2. 20. hinc deprædicatur Pſalm. 113. verſ. 9. quod ſit Dominus, qui ſterilem faciat habitare in domo matrem filiorum lætantem. Nam Domini hereditas filii, merces fructus ventris, Pſal. 127. verſ. 3.

2. *Dei omnipotentiâ.* Apud Deum non impoſſibile erit omne verbum. Confirmatur dictis, Gen. 17. v. 1. Ier. 32. verſ. 17. Zach. 8. v. 6.

Qua fronte igitur diſputat Petrus Martyr: Nulla vi fieri poſſe, ut res creata ſit ubique. Et Mompelgardenſes: Deum efficere non poſſe, ut corpus Chriſti uno eodemque tempore pluribus locis eſſentialiter præſens ſit? Apud Deum non eſt impoſſibile ullum verbum. Quicquid ergò promittit in verbo, præſtare poteſt, etiamſi nobis propter apparentem contradictionem impoſſibile videatur. Non enim eſt ſicut homo Num. 23. verſ. 19. ſed quicquid vult poteſt in cœlo & in terra, Pſ. 135. verſ. 6.

3. *Eventus deſignatio.* Subjungit Evangeliſta. Maria autem dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

Præbet nobis hoc epiphonemate.

1. *Exemplum humilitatis.* Audiverat ex angelo, quod mater filii Dei futura eſſet. At ſumma iſta dignitate non inſoleſcit, ſed ad pedes Domini ſe humillimè projicit, & ecce, inquit, ancilla Domini. Ita non ſuperbiamus propter dona nobis collata, ſed in humilitate ambulemus. Nam ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus verò dat gratiam, 1. Pet. 5. v. 5.

Dictum hoc inprimis ſibi putent matronæ & virgines hodiernæ, quas præ aliis ſuperbiæ lepra, ex aviæ ſuæ contagio ita occupavit, ut in proſapia, divitiis, pulchritudine, &c. nimis confidant, & ſi quando pronubus Angelus Gabriel honeſtas matrimonii conditiones ipſis offerat, contemnunt omnia alto ſupercilio, ibi non eſt, qui ipſis par aut idoneus videatur, vix invenias, quæ cum Maria dicat: Ecce ancilla Domini: fiat mihi ſecundùm verbum tuum: Sed hoc ipſo Dei vindictam ſibi attrahunt; ut poſteà vel innuptæ moriantur: vel tales ſortiantur viros, qui verberibus ipſas propè excipiunt, aut bonis dilapidatis in militiam abeunt; ut exempla teſtantur. Nam ſuperbia præcedit ruinam, Prov. 16. verſ. 18.

2. *Exemplum fidelitatis.* Non diſputat cum Angelo, ſed piâ ſimplicitate in verbis ejus acquieſcit, & hoc unum ingeminat: Fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Acquieſcamus & nos in verbis Domini, & citra ſcrupuloſas rationis noſtræ ſophiſticationes pia ſimplicitate, quod in verbo ſuo Deus nobis credendum proponit & præcipit, credamus. Nam animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. verſ. 14. fide autem penetramus cœlorum ſecreta & fidei myſteria, licet in ænigmate, quo contenti eſſe debemus, dum ceſſabit quod ex parte eſt, & perfectum ſuccedet, 1. Cor. 13. verſ. 10. ad quam perfectionem nos deducat Chriſtus Jeſus, Amen.

Digitized by Google

In Die Philippi & Jacobi.

Evangelium Iohan. 14 verſ. 1. 14.

CElebrat hodie S. mater Eccleſia memoriam annuam beatorum Apoſtolorum, Philippi & Jacobi, quos dum contemplor, duas illas tubas argenteas malleatione productas, quas in caſtris diſſolvendis Hebræi clangebant, videre mihi videor, Num. 10. v. 2. ſeqq. Quis enim neget duos hosce viros ob prædicationis ſuæ clangorem & ſonitum quaſi duas Evangelicas in Eccleſiæ caſtris fuiſſe tubas, ſed tubas argenteas, id eſt, viros virtutibus ornatos, & ſub incude patientiæ, tribulationum & perſecutionum malleo ita efformatos, ut nullum Periculum ab amore Chriſti divellere ipſos potuerit, ſed vicerunt per ſanguinem agni, & per verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas usque ad mortem, Apoc. 12. v. 11.

Philippum quod attinet, ex Bethſaida oriundus fuit cum Petro & Andrea, Joh. 1. v. 44. & piſcatoriam exercuit, Joh. 21. v. 2. quomodo ad Apoſtolatum devenerit, & Nathanaelem etiam Chriſto adduxerit, Johannes recenſet, c. 1. v. 43. 46. 47. aliàs mentio ejus ſæpe fit in Evangelica hiſtoria, Johan. 6. verſ. 7. 12. verſ. 21. 14. v. 8. 9. poſt adſcenſionem Chriſti dicitur prędicaſſe Evangelium in Phrygia, Scythia, Æthiopia, & Hierapoli, cumprimis Ebionitas veram CHriſti divinitatem impugnantes maſculè refutâſſe. Miraculis etiam clarus fuit. Draconem enecavit, multos morbos curavit, tres mortuos excitavit. &c. Tandem crucifixus & in cruce lapidatus eſt, Anno Chriſti 53.

Eandem ſortem Jacobus etiam expertus eſt, qui ad differentiam Jacobi majoris filii Zebedæi, & fratris Johannis Evangeliſtæ, Matth. 4. verſ. 21. Jacobus minor appellari conſuevit, filius nimirum Alphæi, Matth. 10. v. 3. Marc. 3. v. 18. Luc. 6. v. 15. Act. 1. v. 13. aliàs Chriſti frater appellatur, Galat. 1. v. 19. quia ex Cleopha Mariæ virginis Deiparæ ſorore natus eſſe creditur, adeoq; conſobrinus Chriſti fuit, qui more hebræorũ fratres nominari ſolent, Matt. 13. v. 55. Marc. 6. v. 3.

De vocatione ejus ad Apoſtolatum nihil habetur in ſacris literis. Interim reliquis Apoſtolis legitimè, vocatis & Spiritu. S. ac igne in die Pentecoſtes, baptizatis expreſsè annumeratur, Act. 1. verſ. 13. poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos Hieroſolymis Evangelium præcipuè docuit, & primus ab Apoſtolis Epiſcopus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ conſtitutus, triginta eum annis fideliter ac feliciter gubernavit. Fuit vir magnæ authoritatis, qui in primo Apoſtolorum concilio Hieroſolymis celebrato cum Petro primas habuit, Act 15. v. 7. 13. unde ab Apoſtolo Paulo inter columnas Eccleſiæ recenſetur, Gal. 2. v. 9. Tandem in pinnam templi à Judæis conſtitutus & deorſum præcipitatus eſt, quia Chriſtum, ut jubebant illi, abnegare nolebat, cumque ad preces ſe erexiſſet, & Stephani votum tremulo ſpiritu ingeminaſſet: Remitte illis Domine, neſciunt quid agant, lapidibus impetitus, & clavâ fullonicâ trucidatus eſt, ætatis ſuæ anno 90. vel ut alii volunt 96.

A vulgo dies hodierna dies Walpurgæ dici-

Digitized by Google

dicitur, quæ fuit filia Regis Angliæ, & tempore Pipini & Caroli Regum Galliæ, Abbatiſſam egit in cœnobio Heidenheimenſi. Olim in Papatu pro Dea frumenti habita eſt, ſicut Ceres apud Ethnicos, & quia communis opinio tum fuit, & adhuc obtinet, veneficas hâc nocte conventus inſtituere, choreas agere, & grandines, erucas, frigora, aliasque frugibus minus proficuas tempeſtates excitare, imploratum eſt Walpurgæ auxilium, ut malum illud arceat & fruges in hominis emolumentum cuſtodiat. Nos miſsâ hâc idololatriâ ad Deũ confugere debemus, ſine cujus permiſſione Diabolus ne pediculum quidẽ efficere poteſt, Ex. 8. v. 18.

Jam prælectam Evangelii pericopen ad manus ſumemus, quæ tres partes complectitur, ut ſunt

I. Chriſti conſolatio.
II. Thomæ interrogatio.
III. Philippi ſollicitatio. J.J.

EXEGESIS.

ECce ego conſolabor vos, inquit Jehova, quis tu ut timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quaſi fœnum areſcet? Eſa. 51. v. 12. Hoc ipſo opere demonſtrat in prælecta pericope, ubi varia adhibet argumenta conſolatoria, quibus diſcipulos ſuos per concionem ſuam de abitu nimirum perturbatos, erigit, & quidem

I. *Timoris expulſione*, quando ait: Ne turbetur cor veſtrum. Ubi non ſimpliciter omnem perturbationem prohibet, quæ in rebus humanis frequentiſſima eſt, ſed nimiam duntaxat & immoderatam, quæ cum deſperatione ſæpe conjuncta eſt. Ita perturbantur ethnici, qui ſpem non habent, 1. Teſſ. 4. v. 13. juſtus autem in morte etiam ſperat, Prov. 14. v. 32. ſiquidem in virtute Dei ambulat, Pſal. 71. v. 16. qui ipſum confortat, Phil. 4. v. 13. & interiori Spiritus S. teſtimonio roborat, ut glorietur in tribulationibus, Rom. 5. v. 3. certus quod neque mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, &c. ſeparare ipſum poſſint à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Rom. 8. v. 38. 39.

Perturbentur igitur impii, quibus non eſt pax, Eſ. 48. v. 22. nos gloriabimur in Deo ſalutari noſtro, canentes cum Eccleſia.

Ein feſte Burg iſt unſer GOtt/ ꝛc.

II. *Fidei aſcenſione*. Nam creditis in Deum, inquit, & in me credite, qui ſum veri & æterni Dei verus & coëternus filius, & per conſequens, verus cum Patre Deus. Si creditis hoc, ut quidem antea confeſſi eſtis, Matth. 16. verſ. 16. utique etiam credetis me omnipotentem, veracem & miſericordem eſſe, quæ Dei veri attributa ſunt. Hæc fides latus vobis clypeus erit, quo omnem trepidationem removere poteritis. Eſt enim victoria, quâ mundum vincit, 1. Joh. 5. verſ. 4. quam virtutem habet inde, quia tribus columnis innititur, contra quas portæ inferorum non prævalebunt, Matth. 16. v. 18. ut ſunt

Primò *Chriſti veritas*, quâ implet quod promiſit, nam cœlum inquit, & terra tranſibunt, ſed verba mea nunquam, Luc. 21. v. 33.

Secundò *Chriſti fidelitas*, quâ ſuos ultra vires tentari nunquam permittet, 1. Cor. 10. v. 13. nam miſerationes ejus non defecerunt, novæ diluculo, Thr. 2. v. 22.

Tertiò *Chriſti facultas*, quâ quod vult, in actum producere poteſt, ſiquidem omnis poteſtas ipſi tradita eſt in cœlo & in terra, Matth. 28. v. 18.

Qui talem fidem habet, non commovebitur in æternum, ſed cum Davide in omnibus periculis vires colligere & dicere poteſt:

poteſt : Hæc eſt infirmitas mea, mutatio dextræ excelſi, Pſal.77. v.11.

III. *Cæli promiſſione*. Nam in domo Patris mei, inquit, manſiones multæ ſunt, ſin minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum. Quæ allegoria eſt regni cœleſtis deſcriptio, à ſpecioſiſſimis mundi hujus palatiis deſumpta, quæ certis conclavibus & habitaculis diſtinguuntur, non quod in cœleſti gloria ejusmodi corporalia ſint futura palatia, ſed Scriptura in his & ſimilibus ad captum noſtrum deſcendere, & ſub imagine rerum, quæ nobis in hoc mundo arrident, vitæ æternæ jucunditates depingere ſolet, quas aliàs teſte Paulo oculus non vidit, & auris non audivit, 1.Cor.2. v.9.

Hîc non habemus manentem civitatem, Ebr.13. v.14. ſed advenæ ſumus & peregrini, ſicut omnes Patres noſtri, Pſ.39. verſ.13. & ſi vel maximè domuncula quædam nobis obtingit, lutea eſt, Job.4. v.19. terreſtris eſt, 2.Corinth.5. v.1. tranſitoria eſt, 1. Cor. 7. v.31. confidite fratres, ibi nobis inhabitanda dabitur

1. *Domus ſpecioſa*, domus nimirum Patris cœleſtis, in qua melius eſt ad limen ſedere, quàm diu habitare in tabernaculis peccatorum, Pſ. 84. v.11. januæ firmiter obſeratæ ſunt, ut neq; mors, neque ullus alius hoſtis corporalis penetrare poſſit, Angeli enim cuſtodiunt illam, Apoc. 21. v.12. Murus, quo domus hæc cingitur, igneus eſt, & tranſcendi non poteſt, Zach. 2. verſ. 5. Tectum eſt tutela altiſſimi, & obumbratio omnipotentis, Pſal. 91. verſ.1. Feneſtræ ſunt claritas Dei, & lucerna ejus agnus, Apoc. 21. verſ. 23. cibus eſt convivium pinguium, convivium vini defecati, Eſa.25. v. 6. potus torrens voluptatis, Pſal.36. verſ. 9. Lectus dulciſſima requies ab omnibus moleſtiis, Apoc.14. v.13.

2. *Domus pretioſa*, propter ſtabilitatem, quia manſionem ibi inveniemus. Hîc incertis omnes vagamur ſedibus, 1. Cor.4. v.11. ſed eſte bono animo dilecti, Chriſtus præparavit vobis manſionem in cœlis, ibi bonum erit habitare, Matth.17. v. 4. quia mors non amplius erit, Apoc.21. v. 4. ſed juſti vivent in æternum, Sap.5. v.16.

3. *Domus ſpatioſa*, ub multæ μοναὶ ſive manſiones erunt, non uni vel alteri, ſed omnibus electis præparatæ, ſiquidem unusquisque ſatſpatii, ſat gaudii, ſat præmii, habebit, etiamſi numerus in multa militia excreſcat. Hinc Anshelmus: hæreditas, inquit, vitæ æternę in qua cohæredes erimus non minuitur poſſeſſorum copia, nec fit anguſtior hæredum numeroſitate, ſed tanta eſt multis quanta eſt paucis, tanta ſingulis quanta omnibus, δόξα nimirum καθ᾽ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, 2.Cor.4. v.17. ad quam paſſiones hujus ſeculi collatæ non ſunt condignæ, Rom.8. v.18.

IV. *Reditus aſſertione*. Etſi abiero, inquit, & locum vobis paravero, tamen iterum veniam, & aſſumam vos ad meipſum, ut ubi ego ſum, vos quoque ſitis. Hæc promiſſio impleta eſt ratione Apoſtolorum ſtatim poſt reſurrectionem, Act. 1. v.3. implebitur autem ratione omnium fidelium in extremo die, 1.Theſſ.4. v.17. Egregia certè conſolatio, quâ nos erigere poſſumus in omnibus ærumnis & tribulationibus hujus ſeculi. Chriſtus non relinquet nos orphanos, Joh.14. v.18. ſed iterū veniet & aſſumet nos in noviſſimo die, tunc qui compaſſi ſumus, conregnabimus etiam, & qui commortui ſumus convivemus, 2.Tim.2. v.11.12.

Quamvis enim jam nobiſcum eſt, & in medio candelabrorum ambulat, Apocal.1. v.13. Matth.18. v.20. omnibus diebus usque

ad

ad conſummationem ſeculi, Matt.28. v.20. adeoque ſuo nos auxilio confortat in omnibus adverſitatibus, & promiſſionem implet, quâ ſe obſtrinxit, Pſal.91. v.14.15.16. tamen in extremo die plenaria futura eſt liberatio, quando corpus noſtrum humile transformabit, ut σύμμορφον & conforme fiat corpori ſuo glorioſo, Phil.3. v.21. & aſſumet electos ſuos, ut cum ipſo ſint in perpetuum, Joh.12. v.26.

V. *Fidei inſtructione.* Nam quò ego abeam, inquit, ſcitis, & viam ſcitis. Quibus verbis ipſis quaſi in memoriam revocat, quod ſæpius hactenus de abitu ſuo ad Patrem inculcaverat, ne conſternarentur, quaſi inſolitum quid ipſis contigiſſet, ſed gauderent potius propter commodum inde emergens, Joh.19.v.7.

Talem inſtructionem ſuppeditat nobis ſacra ſcriptura in omnibus ferè capitibus.

1. *De abitus neceſſitate.* Nam omnibus poſitum eſt ſemel mori, Ebr.9. v.27. Cauſa eſt peccatum, Rom.5. v.12.

2. *De viæ auſteritate.* Nam per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum cœlorum, Act.14. v.22. Sicut Elias in tempeſtate magna equis & curribus igneis ad cœlum ſublatus eſt, 2. Reg.2. v.11.

3. *De termini felicitate*, quò perducat nos illa via, nimirum ad Patrem & Patriam cœleſtem, ubi πολίτευμα noſtrum, Phil.3. v.20. & animæ centrum, quod in viſione Dei terminatur, 1.Cor.13.v.12. Quis igitur perturbetur ſub crucis ergaſtulo? quis animum deſpondeat in mortis periculo? Beati qui in Domino moriuntur à modo, Apoc. 14. verſ.13. beatus qui ſuffert tentationem, Jac.1. verſ.12.

De Secundo.

CHriſti conſolationem excipit Thomæ interrogatio, circa quam duo ponderanda veniunt:

I. *Thematis qualitas*, quod his verbis exprimitur: Domine, neſcimus quo abeas, & quomodo poſſumus viam ſcire? Unde patet, quæſtionem hîc eſſe de via ad cœlum & æternam beatitudinem, quod certè thema eſt 1. *arduum.* Multi ſtultis & inutilibus quæſtionibus ſe macerant, quæ nil niſi lites generant, 2.Tim.2.v.23. & ad ædificationem, quæ eſt in fide, nihil faciunt, 1. Tim.1.v.4. ſed apage tales quæſtiones, & ſi quærere aliquid vis, quære cum Thoma, non quod ſupra fidem eſt, ſed quod à fidei incrementum pertinet, juxta illud Hieronymi: Diſcamus in terris, quorum ſcientia perſeverat in cœlis. Nam Chriſtum diligere plus eſt quàm omnia ſcire, Eph.3. v.19. 2. *appoſitum*, quia ad CHriſtum defertur Prophetam illum magnum, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi jacent, Col.2. v.3. Hic optimè reſpondere poteſt ad omnes ſophiſticationes adverſariorum, ut docent ſpecimina, quæ in diebus carnis ſuæ edidit, Matt.22. v.24. ſeqq.

Quoties igitur in rebus fidei ſcrupulus aliquis tibi injicitur, non conſule rationem, quæ certa eſt, & non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Corinth.2. verſ.14. ſed ad Chriſtum propera, qui reſpondet tibi adhuc in Scripturis de ipſo teſtantibus, Joh.5. verſ.39. ibi omne conſilium Dei noſtram ſalutem concernens revelatum invenies, Actor.20. verſ.27.

II. *Reſponſionis ſuavitas*, quâ continetur

1. *Informatio.* Nam ego ſum via, veritas & vita, inquit Chriſtus, nemo venit

ad Patrem niſi per me. Gratias agimus tibi Beate Thoma, quod ruditate & inſcitia tua auream hanc ſententiam Chriſto extorſiſti, quæ tribus, ut dicitur, verbis, ſummam totius Evangelii continet, & inprimis docet, quæ ſit via ad ſalutem nos perducens, nimirum CHriſtus JEſus, quemadmodum ipſe teſtatur, & quidem

1. *Via ſalutis tutiſſima.* Multi ambulant viam Bileam, 2. Pet. 2. v. 15. viam Cain, Judæ Epiſt. v. 11. viam Jerobeam, 1. Reg. 15. v. 26. viam meretricis, Prov. 7. v. 25. omnes hi relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, Proverb. 2. verſ. 13. ubi latrones infernales hinc inde poſt principia ſe occultarunt, & viatores nil tale cogitantes ſpoliatos & vulneratos in æternam captivitatem ſecum abducunt. Qui autē per Chriſtum ingreditur, tutus eſt ab omni periculo, & rectâ in cœleſtem patriam tranſibit. Non enim via muta eſt, ſed docens, Johan. 1. v. 18. Luc. 1. v. 77. Johan. 10. v. 9. & ducens, quia monſtravit nobis exemplo proprio, quomodo vivendum, Joh. 13. v. 15. & quomodo patiendum, 1. Petr. 2. v. 21.

2. *Via ſalutis certiſſima.* Non enim verax tantùm, ſed ipſa veritas eſt, & ſeipſum negare non poteſt, Tit. 1. v. 2. 1. Sam. 15. v. 29. Num. 23. v. 19. Beatus qui ipſi adhæret, ſiquidem veritatem agnoſcet, & veritas ipſum liberum reddet, Joh. 8. v. 31. 32.

Hodie multi ubique exurgunt Pſeudo-Prophetæ, qui ſpeciem pietatis habent, 2. Tim. 3. v. 5. & διὰ τῆς χρηστολογίας ϗ εὐλογίας corda hominum decipere laborant, Rom. 16. v. 18. ſed nolite credere cuivis ſpiritui, 1. Joh. 4. v. 1. Chriſtus eſt veritas, hunc audite, Matth. 3. verſ. 17. qui aliter docet, à ſpiritu mendacii regitur, 1. Reg. 22. v. 22. & vitand⁹ eſt, ſi vel angelus de cœlo fuerit, Gal. 1. v. 8.

3. *Via ſalutis beatiſſima.* Nam vita eſt non tantùm ratione ſui. 1. Johan. 5. v. 20. ſed etiam ratione noſtri, quoniam ab ipſo habemus vitam naturæ, Actor. 17. v. 28. Ebr. 1. v. 3. vitam gratiæ, mediante verbo & Sacramentis, Joh. 3. v. 3. ſeqq. 6. verſ. 33. ſeqq. vitam gloriæ, Joh. 6. v. 35 11. v. 25.. Hinc addit: nemo venit ad Patrem niſi per me,

Quod ſi autem per CHriſtum ad vitam gloriæ, & ad Patrem venire voles, vide ut peccatis moriaris, 1. Petr. 2. verſ. 24. & vitam præſentem, quæ nobis cum impiis & beſtiis communis eſt, non plus juſto amplexeri, ſiquidem ea non vita, ſed mors eſt lenta & continua, qua corpus quamdiu vivit, cruciatur, Rom. 7. v. 24. ſed in novitate vitæ ambula, Rom. 6. v. 4 vive non tibi ſed Domino, Rom. 14. v. 8. ideò enim Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ut ipſi deinceps vivamus, 2. Cor. 5. v. 15. Hoc ſi feceris, ex hac miſeriarum valle tandem in terram viventium pervenies, ubi verâ vitâ perfruemur, Sirac. 48. v. 12. & communionem perpetuam habebimus cum Patre & filio, 1. Joh. 1. v. 3.

2. *Annexa ratio*, quæ eſt eſſentiæ, majeſtatis & voluntatis in Patre & in CHriſto unitas. Hinc ipſe: ſi cognoviſſetis me, inquit, utique Patrem meum etiam cognoviſſetis. Et jam nunc cognoſcitis eum, & vidiſtis eum, non quidem viſione & notitia perfectâ, ſed inchoatâ, per manifeſtationem filii, in quo tanquam viva effigie & charactere Pater cognoſcitur.

Vis igitur cognoſcere DEUM in eſſentia, vis cognoſcere, quæ ſit ipſius bona voluntas, qua genus humanum proſequitur, aſpice CHRISTUM, qui eſt imago Patris, per quem ille voluntatem ſuam propitiam erga nos declaravit. Nec cogitanda eſt alia voluntas Dei, quàm illa, quæ in Evangelium per

per filium revelata eſt. Opponamus igitur hoc dictum omnibus ſpeculationibus de Deo, quas ratio humana comminiſcitur, & ad hunc Chriſtum crucifixum & reſuſcitatum, & ad Evangelium ejus mentes noſtras alligemus, nec inde nos avelli patiamur, nam ratio humana fallit, verbum autem Chriſti veritas, Joh.17.v.17.

Notetur hæc reſponſio Chriſti

1. *Contra Papiſtas*, qui ab hac ſalutis via quàm longiſſimè aberrant, dum ipſi varias ſibi beatitudinis vias comminiſcuntur, & partim in via Beatæ Mariæ Virginis ambulare ſatagunt, partim ad viam aliorum ſanctorum deflectunt, partim etiam per ſemitam propriorum meritorum ad Patrem venire præſumunt. Sed fruſtra. Nemo venit ad Patrem niſi per me, ego ſum via, veritas & vita, inquit CHRISTUS. Quibus verbis omnia alia adminicula humana removentur in articulo juſtificationis. Non eſt niſi unus mediator Dei & hominum, homo Jeſus Chriſtus, 1.Tim.2. v.5. non eſt niſi unicum in Chriſto oſtium, Joh.10. v.7. & per hunc nobis acceſſus ad Patrem, Rom.5. v.2. non eſt niſi unica via, Jer.32. v.39. in qua ambulare, & neq; ad dextram, neque ad ſiniſtram declinare debemus, Eſ.30. v.21.

2. *Contra Calviniſtas*, qui viæ huic non inhærent, ſed rationem ſequuntur, & ſic ubi in rebus fidei aliquid occurrit, quod cum ratione non quadrat, ſtatim ad gloſſas confugiunt, & ſapientiam cœleſtem juſtificare non verentur, Luc.7. verſ.35. Homines iſti non cogitant, quod via illa ſimul etiam ſit veritas, quę neque errat, neq; errare ſinit, quotquot ipſi per fidem adhærent, ſed ſuperabundanter facere poteſt ultra id quod petimus & intelligimus, Eph.3.v.20.

3. *Contra Mahumetiſtas*, qui de vero Deo gloriantur, ſed Chriſtum reſpuunt, & variis calumniis proſcindunt. Hinc vana eſt ipſorum ſpes, ipſorum fides, ipſorum oratio. Nemo enim venit ad Patrem niſi per me, inquit Chriſtus. Qui non credit filio, non videbit vitam, Joh.3.v.ult.

De Tertio.

Reſtat *Philippi ſupplicatio*, ubi duo potiſſimùm occurrunt, quæ conſideratione digna ſunt:

1. *Petitum*. Nam oſtende nobis Patrem, inquit Philippus & ſufficit, q.d. nos vidimus quidem te, ſed ad cognitionem Dei nobis adhuc deeſt, ut videamus Patrem, quem ubi nobis oſtenderis, libenter acquieſcemus. De hac petitione Philippi inquit Auguſtinus: Bonum erat deſiderium, ſed parvus intellectus, Deus enim cum ſit Spiritus, Johan.4.v.24 & lucem inacceſſam inhabitet, 1.Tim.6. verſ.16. carnalibus certè oculis videri non poteſt, Exod.33. verſ. 20. interim laude dignum eſt, quod in viſione Patris omnem ſuam collocat ſufficientiam.

Hoc mundani non faciunt, ſed oſtende nobis aurum dicunt, oſtende nobis vinum, oſtende nobis plena promptuaria, Pſ. 144. v.13. oſtende nobis media ad victum & amictum neceſſaria, & ſufficit nobis. Sed fluxa ſunt iſta omnia. In Deo autem vitam & plenam ſufficientiam habere poſſumus, Joh.10. v.11. qui oſtenditur nobis

1. *In libro naturæ*, Roman.1. verſ.19.20. Job.12. verſ.7. ex quo Deus à poſteriori cognoſcitur, Exod.33.v.23.

2. *In loco ſcripturæ*, ubi tàm eſſentiæ quàm voluntatis ſuæ notitiam indubitatis argumentis comprobavit, ſiquidem in illo libro de Deo ſcriptum eſt, Pſ.40. verſ.8. hoc obſcu-

obſcuro ſpeculo contenti ſimus, dum in vita æterna videbimus Deum à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. Caveamus autem, ne præter & extra ſcripturam & verbum revelatum Deum nobis oſtendi petamus, & videndi ejus deſiderio illicito teneamur, id quod fit, dum ſcrupuloſius eſſentiæ & voluntatis ejus abſolutæ abyſſum rimari & inveſtigare præſumimus. Hîc pulchrè Auguſtinus: Quæ Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda, quæ autem manifeſta fecit, non ſunt negligenda, ne in illis illicitè curioſi, in iſtis damnabiliter inveniamur ingrati. Nam Deum nemo vidit unquam, Joh. 1. v. 18. nec videre poteſt, Exod. 33. v. 20. unde Seraphim quoque ad aſpectum ejus facies obvelant, Eſa. 6. v. 2. quantò magis nos in rebus fidei oculos rationis claudere quaſi & obvelare debemus, ſiquidem ſcrutator majeſtatis opprimetur à gloria, Prov. 25. v. 27.

II. *Reſponſum*, quod eſt

1. *Reprehenſorium.* Nam tantum temporis vobiscum ſum, inquit Chriſtus ad Philippum, & non cognoviſti me. Quibus verbis ſupinam ejus ruditatem & ignorantiam carpit, quod tanto tempore in quartum usque annum ſchola ſua uſus ſit, & tantum non profecerit, ut ſciat, Deum nō corporis, ſed cordis & fidei oculis videri poſſe.

Tales Philippiſtas & fratres ignorantiæ multos adhuc hodie invenies, qui non quatuor tantùm, ſed decem, viginti, triginta, plus vel minus annis ſcholam Chriſti frequentarunt, & multas inſignes conciones, modò de hoc, modò de alio fidei articulo audiverunt, ſed ad examen vocati *μηδὲ γρῦ φθέγγονται*, & longè abſurdiores Philippo de perſona & officio Chriſti, de cauſis juſtificationis, nihil quicquam norunt.

Olim Paulus, Athenis aram inveniebat, quam ignoto Deo conſecraverant, Act. 17. v. 23. ſed hodie in media reperitur Eccleſia, ut pauci ſint, qui Deum rectè agnoſcant, & quamvis una die centum audiant conciones, tamen ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus hujus vitæ impliciti, ſuffocant ſemen verbi divini, Luc. 8. verſ. 14. ſemper diſcentes, ad agnitionem verò nunquam pervenientes, 2. Tim. 3. v. 7.

O dedecus ingens, quo vocationem noſtram afficimus! Certè Ethnici, qui nihil de Chriſto audiverunt unquam, accuſabunt nos olim, Matt. 12. v. 41. Luc. 11. v. 31. imò verbum ipſum, quod audivimus, & non ad uſum tranſtulimus, judicabit nos, Joh. 12. v. 48.

2. *Informatorium.* Qui me videt, inquit porrò Chriſtus, videt etiam Patrem. Quomodo dicis igitur, oſtende nobis Patrem? Non credis quod ego in Patre, & Pater in me eſt? &c. quibus verbis divinitatem ſuam obſtruit, quod ejusdem ſit cum Patre & Sp. S. eſſentiæ, voluntatis & majeſtatis. Hoc probat

1. *à Conſubſtantialitate.* Non credis, inquit, quod ego in Patre, & Pater in me ſit? qui igitur me videt, videt etiam Patrem, Ego enim ſum ſplendor gloriæ & character perſonæ illius, Ebr. 1. v. 3. imago Dei inconſpicui, Col. 1. v. 15.

2. *à doctrinæ æqualitate.* Verba quæ ego loquor vobis, inquit, à me ipſo non loquor, ſed verba Patris ſunt, quæ vobis è ſinu & pectore ejus profero, Joh. 1. v. 18. His verbis doctrinæ ſuæ authoritatem aſtruit, ut credamus, quod ipſe locutus eſt nobis, Patrem per ipſum locutum eſſe, confer Joh. 7. v. 16. c. 8. v. 38.

3. *à miraculorum communitate.* Pater qui

qui in me manet, ipſe facit opera. Credite quod ego ſum in Patre, & Pater in me, ſin minus propter opera mihi credite, q. d Ego facio opera Patris, hoc nemo negabit, unde liquet, quod ego in Patre, & Pater in me ſit. Si vobis hoc videtur impoſſibile, propter formam ſervilem, quam veſtri gratiâ jam indui, reſpicite ſaltem opera, quæ facio, & propter illa verbis quoque meis fidem adhibete, quæ loquor non ut Phariſæi & alii puri puti homines, ſed ὡς ἐξουσίαν ἔχων, Luc. 4. v.32. Marc.1. v.22. Joh.7. v.46. ubi igitur ταυτότης in operibus & operandi modo, ibi etiam ταυτότης eſſentiæ ſit oportet, quia opera & operandi modus potentiam præſupponunt, potentia autẽ divina & eſſentia divina realiter unum eſt, confer Joh. 5. v.17. 18.19. ſeqq.

Facit hoc *ad refutationem*

1. *Tritheitarum* qui tot Deos eſſe dixerunt, quot perſonæ ſunt in SS. Trinitatis myſterio. Nam Pater & Filius eſſentia unum ſunt, ut docet hîc Chriſtus, & conſonãt dicta Scripturę Eph. 4. v. 6. Deut. 6. v. 4.

2. *Sabellianorum*, qui unicam tantùm in eſſentia divina perſonam eſſe tradiderunt, quæ pro diverſitate operum modò Pater, modò filius, modò Spiritus S. appelletur. Sed perperam. Filius quidem in Patre, & Pater in filio eſt, nihilominus diſtinctio clara manet, quâ perſonarum Trinitas cognoſcitur, inprimis apud Jordanem, ubi Pater in voce, filius in homine, & Spiritus S. in columba apparuit, Matth. 3. verſ. 16. 17. confer etiam Matth. 28. verſ. 19. Joh. 14. v. 15.16. verſ.26. Gal. 4. verſ. 4. 1. Johan. 5. v. 7. & alibi.

3. *Arianorum*, Deitatem Chriſti impugnantium, quæ variis hîc argumentis ſtabilitur. Omnes aliæ creaturæ ſunt extra divinam eſſentiam, ſed Chriſtus eſt in Patre, id eſt, in eſſentia ipſius, genitus non creatus, Pſalm. 2. v. 7. verbum ejus eſt verbum Patris, opera ejus ſunt opera Patris, egreſſus ejus eſt à diebus æternitatis, Mich. 5. verſ. 2. & ut paucis multa complectamur, eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſeculum, Rom. 9. verſ. 5. qui igitur filium non honorat, non honorat Patrem, Johan. 5. verſ. 23. & qui filium negat, non habet Patrem, 1. Joh. 2. verſ. 23. nam Pater & Filius unum ſunt, Joh. 10. verſ. 30.

3. *Conſolatorium.* Nam Amen amen dico vobis, inquit tandem Chriſtus, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora iis faciet, nam ego vado ad Patrem, & quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.

Duo Chriſtus his verbis promittit Apoſtolis & omnibus fidelibus, & quidem duplici juramento, ut de veritate promiſſionis non dubitent:

1. *Virtutem in operando* τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ, κἀκεῖνος ποιήσει, faciet opera meis ſimilia. Quæ verba non intelligenda ſunt de opere creationis, redemptiõis, & aliis ἀμιμήτοις, ſed de operibus ad fructuoſam miniſterii functionem, ſalutarem que hominum per Evangelii præconium converſionem ſpectantibus, ibi μείζονα τούτων promittit. Qũd impletum primò liter aliter in Apoſtolis, Chriſtus in Judæa ſolùm docuit, Matt. 15. verſ. 24. Apoſtoli verò in toto orbe terrarum, Marc. 16. v. 15. 16. & gentes ad fidem converterunt, qui nullam veri Dei notitiam habuerunt, Rom. 1. v. 21. 22. 23. huc pertinet etiam, quod Petrus una concione 3000. animas convertit, Act. 2. verſ. 41. quod de

Chriſto non legitur. Majora etiam in certo reſpectu miracula patrarunt Apoſtoli, quàm ipſe Chriſtus. Non enim tàm mirabile fuit, quod vivus miracula fecit, quàm quod ipſo mortuo alii in nomine ejus majora operati ſunt, & vel umbrâ ut Petrus, Act. 5. v. 15. vel ſudariolo, ut Paulus, Act. 19. v. 12. infirmos ſanarunt, ut inquit Chryſoſtomus. Secundò impletur adhuc ſpiritualiter in omnibus fidelibus. Nam fides mundum vincit, 1. Joh. 5. v. 4. hominem juſtificat, Gal. 2. v. 16. ignita Diaboli tela illidit, Eph. 6. verſ. 16. gratiam Dei conciliat, Rom. 5. verſ. 1. Chriſto hoſpitium in corde noſtro præparat, Eph. 3. v. 17. ad ſalutem nos cuſtodit, 1. Pet. 1. v. 5. vitam æternam conſequitur, Joh. 3. v. 16. imó omnia poteſt, Marc. 9. v. 23. Hæc ſunt opera fidelium, quæ Chriſtus certo reſpectu, ſuis operibus & miraculis majora eſſe dicit, Ratio eſt, quia ſancti etiam ſine miraculorum dono ſalvari poſſūt, ſed nō ſine fide, Marc. 16. v. 16.

2. *Efficaciam in precando.* Nam quicquid petieritis in nomine meo, inquit Chriſtus, faciam ego, & repetit hæc verba ad majorem certitudinem, v. 14.

Unde patet, quid oratio in nomine Chriſti facta ponderis habeat, nimirum facere vult Chriſtus quod petimus, noſtrasque in caſſum non ſinit ire preces, modò ea petamus, quæ ad Patris glorificationem, & noſtram ſalutem promovendam requiruntur, aliàs repulſam patiemur cum matre filiorum Zebedæi: neſcitis quid petatis, Matt. 20. verſ. 22.

O igitur Vos mei, ad orationem in omnibus neceſſitatibus tanquam ad ſacram anchoram confugite. Afflicti oratio penetrat nubes, Sir. 35. v. 21. Dominus facit voluntatem timentibus ipſum, Pſ. 145. v. 18. 19. & ex omnibus tribulationibus potenter eripit, Pſal. 54. v. 9. ipſi ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum,

Amen.

In Die Johannis Baptiſtæ.

Evangelium Luc. 1. v. 57. 80.

IN V. T. celebris eſt Elias non ſolùm propter vitæ auſteritatem, ſiquidem zona pellicea velut cilicio ad renes accinctus erat, 2. Reg. 1. v. 8. & à corvis paſtus in deſerto nōn niſi frigidam de flumine Crith bibebat, 1. Reg. 17. v. 4. ſeqq. ſed etiam propter zeli pietatem, quo cultum divinum inſtaurabat, & peccata in magnis & parvis ita arguebat, ut neque Achabo & conjugi ejus parceret, 1. Reg. 18. & 19. ſimilem omninò hodie N. T. Eccleſia producit, cui nomen Johan. Baptiſta, de quo ipſe Chriſtus vaticinium Mal. c. 4. v. 5. interpretatur, Matth, 17. v. 10. ſeqq. Marc. 9. v. 11. ſeqq. & Angelus nativitatem ipſius annuncians ita explicat, quod in ſpiritu & virtute Eliæ Meſſiam præceſſurus ſit, ut convertat corda Patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam, Luc. 1. v. 17. Conveniunt ambo

1. *Quoad officium.* Elias erat Propheta. Joh. plus quàm Propheta, Matt. 11. v. 9. quia non è longinquo prophetavit Chriſtū poſt aliquot ſecula eſſe venturum, ſed ipſum præſentem & jam tum exhibitum digito monſtravit, Joh. 1. verſ. 29. & novum baptiſmi ritum

ritum divino mandato inſtituit, Matth. 3. verſ. 6. 11.

2. *Quoad zelum.* Elias Ahabum Regem & ſanguinariam Jeſabelem inſolentes & delinquentes caſtigavit, 1. Reg. 18. & 19. Joh. Phariſæos increpavit, Mat. 3 v. 7. & adverſus Herodis inceſtum coarguendo inſurrexit, Marc. 6. v. 18.

3. *Quoad victum.* Elias à corvis in deſerto paſtus eſt, 1. Reg. 17. v. 6. Johannes Baptiſta locuſtis & melle ſylveſtri, quod apes illi præparabant, in ſolitudine victitavit, Mat. 3. v. 4.

4. *Quoad amictum.* Elias zonâ pelliceâ cinctus erat, 2. Reg. 1. v. 8. Johan. habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & zonâ pelliceam circa lumbos ſuos, Matth. 3. v. 4.

5. *Quoad mundi præmium.* Elias multas perſecutiones paſſus eſt à Jeſabele, 1. Reg. 19. v. 3. Johannes plura à Synagoga Iudaica paſſus Iohan. 11. v. 18. 17. v. 12. 13. & tandem ex mandato Herodis in favorem Herodiadis decollatus eſt, Matth. 14. v. 9. ſeqq.

Memoriam hujus myſtici Eliæ recolit hodie ſancta mater Eccleſia, & non immeritò, ſiquidem Chriſtus ipſe tanti eum æſtimat, ut ſingulari elogio inter natos mulierum majorem Iohanne Baptiſta non ſurrêxiſſe conſtanter aſſerat, Matth. 11. v. 11. Luc. 7. verſ. 28.

Nos ſine ulteriori verborum circuitione hiſtoriam ipſam ad manus ſumemus, quæ tribus partibus abſolvitur. Occurrit enim

I. Eliſabethæ partus.

II. Zachariæ Hymnus.

III. Conſequens eventus.

J. J.

EXEGESIS.

ERat Abrahamus Patriarcha centum annorum & Sara Uxor nonaginta, cum Iſaacus ipſis naſceretur. Miraculoſa profectò nativitas, quam Sara his verbis excipit: Riſum mihi fecit Deus, & quicunque audierit, corridebit mihi, Gen. 21. v. 6. Pari modo de Iohanne Baptiſta refertur in Hiſtoria Evangelica, quod ex parentibus ſterilibus & effœtis, Zacharia videlicet & Eliſabetha natus fuerit. Riſit Zacharias, riſit Eliſabeth, riſerunt vicini, ridet adhuc tota Eccleſia, & ſuper nativitate viri tanti gaudet, quem uncto ſuo, id eſt, Chriſto Deus Pater cœleſtis lucernam præparavit, Pſ. 132. v. 17.

Facit hoc

1. *Gratioſa nativitas*, de qua Lucas: Eliſabethæ impletum eſt tempus pariendi. Remittit nos his verbis ad præcedentem hiſtoriam, de conceptione Iohannis Baptiſtæ, quam Pater credere nolebat, v. 5. ſeqq. ſed enim quamvis Zacharias non crederet, ipſius tamen incredulitas fidem Dei non evacua verite Rom. 3. v. 3. Eliſabetha juxta angeli prædictionem concepit, & cum impletum eſſet pariendi tempus, filium quoque peperit.

Hoc non fruſtrà notavit Spiritus S. Eſt enim certum concipiendi, pariendi & naſcendi tempus, Eccl. 3. v. 2. quod prævertit Sichem & Dina, Gen. 34. v. 2. ſeqq. & adhuc prævertunt omnes illi, qui antequam legitimo jungantur matrimonio, vel ſtatim poſt ſponſalia ad illicitum properant concubitum, non expectatâ nuptiarum die, & ſolenni eccleſiaſticâ benedictione, unde fit, ut τέλμηνα ſæpe παιδία cum Livia Auguſti Imperatoris conjuge pariant. Luculentum enim inter ſponſalia & nuptias diſcrimen eſt, Gen. 19. v. 14. 24. v. 49. 53. ibi ſponſalia, & v. 54. 55. 58. 65. 67. ubi nuptiæ deſcribuntur. Gen. 29. verſ. 18. 19. & verſ. 21. 22. Iof. 15. verſ. 16. 17. 18. Iud 14. v. 5. 6. 7. & v. 8. 10.

Matth.1. v.18.20. Ergò honorabile ſit conjugium ἐν πᾶσι, ſcortatores autem & adulteros Deus puniet, Ebr.13.v.14.

Hanc nativitatem gratioſam voco

1. *Reſpectu matris*, quæ ſterilis fuit & effœta, adeoque ad pariendum inhabilis. Nihilominus fœcundat ipſam Deus præter naturæ ordinem, ut non ſolùm commendaret hoc miraculo naſcituram prolem ad officium quoddam ſingulare & eximium deſtinatam: ſed oſtenderet etiam, quod ipſe ſit, qui ſterilem in domo habitare facit, matrem filiorum lætantem, Pſ.113.v.9.

2. *Reſpectu Patris*, qui Zacharias dicitur, & Sacerdos fuit ex tribu Levi oriundus, ſenex etiam, & naturaliter ad generandum ineptus. Ex hoc parente natus eſt Johannes Baptiſta, ut conſtaret omnibus, ipſum non eſſe Meſſiam, qui ex tribu Juda naſci debebat, Gen.49. verſ.10. ſed Meſſiæ præcurſorem, ſub cujus adventum ſacerdotium Leviticum antiquandum & abrogandum erat, Ebr.8. v.13. Nam Lex & Prophetæ usq; ad Johannem, Matth.11.v.13.

3. *Reſpectu prolis.* Nam peperit filium, inquit Evangeliſta, & quidem talem filium, quo major inter natos mulierum non ſurrexit, dicente Chriſto, Matth.11. v.11. quare gratulantur parentibus vicini & cognati, & hoc ipſo præbent nobis

Primò *Exemplum charitatis*, ut & nos rebus amicorum ſecundis & felicitari proximi congaudeamus juxta præceptum Apoſtoli, Roman.12. verſ.15. hæc eſt natura vera charitatis, 1.Cor.13. v. 4. 5. 6. Exempla vide Gen.24.v.60. Ruth.4. v.11.14. Tob.7. v.15. 9. v.9. Hoc non oretenus tantùm ſed ex animo fieri debet, 1.Joh.3. v.18.

Secundò *Exemplum pietatis.* Quicquid enim factus eſt, Deo aſcribunt, deprædicantes miſericordiam, quam in grandævis iſtis parentibus magnificaverat. Ita benedictionem divinam agnoſcere debent pii parentes, quando augemur aliquâ prole. Nam Dei opus eſt, qui magnificat hoc modo ſuam erga parentes miſericordiam. Sunt qui murmurant adverſus Deum, quando multos liberos ſuſcipiunt, & vaccam libentius prægnantem & parientem vident quàm uxorem. Sed graviter peccant, condignas aliquando pœnas daturi, utpote qui Deum contemnemur, & libidinis ergo ducunt uxores, ſuper hos Diabolus regimen habet, Tob.6.v.16. Filii autem ſunt hæreditas Domini, & fructus ventris merces, Pſ.127. v.3.

Tertiò *Exemplum fidelitatis.* Inter tria pulcherrima, quæ Deo & hominibus perplacent, medio loco, qui honoratior eſſe conſuevit, ponit mutuum inter vicinos amorem, Sir. cap.25. v.1. & Salomo Rex ſapientiſſimus, fidelem vicinum pretioſum theſaurum eſſe pronunciat. Prov.17, v.10. Hanc fidelitatem ipſo opere declarant vicini Zachariæ, dum ocyus convolant, & ob felicem Eliſabethæ partũ congaudent. Tales fideles vicini ſub pane quotidiano in quarta petitione comprehenduntur, & à Deo petendi ſunt, qui ſolus corda hominum in manu ſua habet, Pſ.33,v.15. & inimicos quoque ad pacẽ convertere poteſt, Prov.16.v.7.

II. *Circumciſionis feſtivitas*, quam ſtatim octavo die poſt nativitatem inſtituunt juxta ordinationem divinam, Gen.17. v.11. & hortantur nos hoc ſuo exemplo, ut liberos etiam, quos Dei gratiâ ſuſcepimus, quamprimùm fieri poteſt Chriſto apportemus, nec baptiſmum in dies plures, aut menſes aliquot, ut nobilibus & Principibus placet, malitioſè differamus. Quãdiu enim ſine baptiſmo jacet infans, tãdiu eſt ſub poteſtate tene-

te tenebrarum. Hinc Chriſtus: niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum cœlorum, Joh. 3. v. 5. Multa autem notabilia circa hunc actum ponderanda veniunt, quæ tamen ad duas claſſes principaliores redigi poſſunt.

1. *Nominis impoſitio*, quæ eſt

1. Religioſa. Nam videmus ex prælecta pericope, quod Judæi etiam in uſu habuerint infantibus circumciſis nomina imponere, ac proinde non ſine fundamento hic mos ad noſtras quoque Eccleſias devenit. Hoc autem utilitatis habent nomina in baptiſmo accepta, ut nos admoneant

Primò, *noſtræ renovationis*, Tit. 3. v. 5. quia enim novæ creaturæ facti ſumus in baptiſmo, 2. Cor. 5. v. 17. æquum eſt, ut novum etiam nomen accipiamus, ſicut Abrahamo etiam datâ circumciſionis lege nomen Deus mutavit, Gen. 17. v. 5.

Secundò, *debitæ obligationis*, quâ Chriſto nomen dedimus abjurato Diabolo & omnibus operibus ejus. Serviendum igitur non mundo & Diabolo, ſed uni & ſoli Chriſto in juſtitia & ſanctitate, quâ delectatur, Luc. 1. v. 74, 75. non enim convenit ſigno Chriſti & Diaboli, caſtris lucis & tenebrarum, 2. Cor. 6. v. 15.

Tertiò *neceſſariæ conſolationis*, quando ſub onere crucis & calamitatum querulamur cum Eccleſia: Nunquid in æternum projiciet Deus & non amplius placabilis erit? num finis erit omninò miſericordiæ ejus? &c. Pſ. 77. v. 8. 9. tunc utile erit meminiſſe nominis in baptiſmo impoſiti, quo in cœlis aſſcripti, Luc. 10. v. 20. & in libro vitæ conſignati ſumus, Apoc. 22. v. 19. Phil. 4. v. 3. non oblitus eſt tui non etiam derelinquet te, ſed nomen tuum novit, Eſa. 43. v. 1. in manibus teſcripſit, Eſa. 49. v. 16. in libro monimenti conſignavit, Mal. 3. v. 16. Eſto igitur bono animo, Dominus tecum eſt in omnibus neceſſitatibus, & auxilium ſuum opportuno tempore tibi præſtabit, Pſ. 91. verſ. 14.

2. Scrupuloſa. Nam concertatio oritur de nomine, dum cognati & vicini ex nomine Patris Zachariam ipſum appellari volunt, ſed reclamat mater, & neutiquam, inquit, Johannes vocabitur. Unde apparet, quod non parùm interſit, quæ & qualia liberis tuis nomina imponas. Hodie delectantur multi nominibus ethnicis, & Hectores, Alexandros, Hannibales, Helenas, Cleopatras, &c. filios & filias appellitant, nonnunquam etiam complura, eaque diverſa ac diſcrepantia nomina coacervant abſque ulla rei utilis commonefactione, ex inani ſaltem oſtentatione. Chriſtus ſeparavit nos ab ethnicis proprio ſuo ſanguine, proinde communionem illorum qualemcunque etiam averſari, & talia nomina liberis noſtris imponere debemus, quæ commonefactionem ad pietatem ipſis præbere poſſunt, ne cum omnibus ethnicis, ethnicorum quoque molliciem & impietatem ſectari videamur, quod Maccabæorum tempore Judæis accidiſſe hiſtoria illa abundè teſtatur.

3. Ominoſa. Quia enim nomen hoc mirum videtur cognatis & viciniſ, eò quod nemo erat in tota cognatione Zachariæ, qui ita vocabatur, res defertur ad parentem, qui poſtulato codicillo ſcribit & dicit ſimul: Johannes eſt nomen ejus, q. d. non dedimus ſed accepimus nomen hoc jam pridem ab angelo, cum nativitas hujus infantis annunciaretur, quare non opus eſt concertatione, ſtat ſententia, Johannes appellabitur. Hoc ipſo Johannis officium connotatur, Johannes enim gratioſum ſignificat. Talis verè

erat Johannes, quia gratiam Dei prædicavit, & agnum peccata mundi tollentem extento digito monſtravit, quem magno hactenus deſiderio pii Patres expectaverant, Joh. 1. verſ. 29. Luc. 10. v. 24.

Hortantur nos pientiſſimi parentes ſuo exemplo, ut verbo & mandato divino conſtanter inhæreamus, nec avelli nos patiamur

1. *Conſuetudinem.* Nam conſuetudo ſine veritate error eſt, inquit Cyprianus. Reformanda igitur juxta verbum Dei exemplo Chriſti, Matth. 19. v. 8.

2. *Neceſſitudinem.* Qui enim amat Patrem & matrem, filium aut filiam plus quàm me, non eſt me dignus, inquit Chriſtus Matth. 10. v. 37. exemplo ſit Abraham, Geneſ. 12. verſ. 1. ſeqq. ſecus fecit Radoldus Dux Friſiæ, qui recordatione majorum pedem è baptiſterio retraxit. O ſtultitiam!

Sit maledictus amor, pax & concordia quævis,
Quæ violat ſummi juſſa verenda Dei.

2. *Miraculi deſcriptio.* Non quidem à Johanne factum eſt miraculum, Johan. 10. verſ. 41. nihilominùs quia futurus erat vir eximius ſingularibus Sp. S. donis inſtructus & mirabilium operum executioni deſtinatus, ideò conceptio & nativitas ejus miraculis claruit. Ne tamen extra limites vagemur, ſed in textu nos contineamus, circumciſionem hâc vice contemplabimur, quæ miraculoſa eſt, ſi ſpectes

1. *Zachariam loquentem.* Mutus erat hactenus, quia verbis Angeli de futura conceptione & nativitate Johannis non crediderat, ſed jam incipit loqui, nimirum emendatâ incredulitate tollitur pœna. Nemo igitur deſperet: Novit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum, inquit Ambroſius. Vulnerat & medetur, Job. 5. verſ. 18. & ſi receſſerimus à malo, pœnitebit ipſum mali, quod locutus eſt adverſus nos, Jer. 18. v. 7. 8.

Hoc magnum eſt miraculum, & inſigne opus divinæ omnipotentiæ. Quis enim poſuit os in homine? vel quis ponit ſurdum vel mutum, vel videntem vel cœcum? nonne ego Jehova? Exod. 4. verſ. 11. quod ſi igitur conceſſit tibi Deus uſum ſermonis, vide ne obmuteſcas Paſtor in Eccleſia, Eſa. 56. verſ. 10. Magiſtratus in curia, Pſalm. 58. verſ. 2. Chriſtianus quilibet in communi vita, Pſalm. 15. verſ. 2. aut ſcurrilia tractes & obſcœna loquaris, quæ Chriſtianis dedecent, Eph. 4. verſ. 29. ſed de Deo colloquium inſtitue, Pſalm. 19. verſ. 15. & non loquere niſi quæ vera pudica, juſta ſunt, Phil. 4. verſ. 8. qui enim cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit animam ſuam, Prov. 13. verſ. 3. mors & vita in poteſtate ejus, Proverb. 18. verſ. 21.

2. *Viciniam obſtupeſcentem.* Scribit enim Lucas: Factum eſſe timorem magnum ſuper omnes vicinos, & poſuiſſe omnes, qui audiverunt, in corde ſuo, dicentes: Quidnam puer hic erit? manum enim Domini fuiſſe cum illo.

Ita bene ominati ſunt de hoc puerulo, utpote quem manus Domini mirabiliter rexit ante partum, cum ſaltaret in utero, in partu, cum naſceretur ab effœta ſterilique matre, & poſt partum, cum vocaretur eodem nomine, quo vocatus pridem erat ab Angelo. Apparet hinc, quod in infantibus etiam futuræ ætatis ἰχμήγια quædam Deus interdum oſtendat. Etſi enim prudentia non venit ante annos, tamen indoles naturæ occultari non poteſt, ſed Spiritus Sanctus etiam in pueris negotioſus eſt, & ma-

& maturè molitur, quod per ipſos progreſſu temporis operari cogitavit.

Eſau & Jacob in utero materno calcibus ſe invicem petebant, Gen. 25. v. 22. Phares & Zaran cùm jamjam in lucem edendi eſſent, unus manum utero exercuit, cui obſtetrix filum coccineum alligavit, Gen. 38. verſ. 28. ſeqq. De Athanaſio Epiſcopo Alexandrino memorant hiſtoriæ, quod in pueritia ludens cum aliis pueris per ludum & jocum Epiſcopus creatus fuerit, qui & reliquos ordinavit, Diaconos & Presbyteros conſtituit. Omen hoc fuit, quod Epiſcopus olim futurus erat. Tradunt alii ſancto Ambroſio nato & in cunis poſito, examen apum advolâſſe, & cunas circumſepſiſſe, quo mellea ipſius eloquentia denotata eſt. S. Nicolaus vix in mundum venerat, quin jejunium & abſtinentiam ſectatus diebus Mercurii & Veneris ubera ſugere noluit. Hinc rectè Salomo: Ex ſtudiis intelligitur puer, num munda & recta ſint opera ejus, Prov. 20. v. 11.

De Secundo.

FUit Eliſabethæ partus, ſequitur Zachariæ hymnus, qui duabus partibus abſolvitur, ut ſunt

1. *Doxologia.* Hæc enim eſt piorum indoles & natura, ut gratias agant ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri, Epheſ. 5. verſ. 20. Exod. 15. verſ. 1. 2. Judic. 5. verſ. 3. 1. Sam. 2. verſ. 1. Imitemur hæc exempla, & quando benedicimur in terris, iterum benedicamus Domino in cœlis, hæc eſt voluntas Dei in Chriſto Jeſu in vobis, 1. Theſſ. 5. v. 18.

Tria verò maximè notabilia in δοξολογίᾳ iſta occurrunt:

1. *Objecti celſitudo.* Nam ad Deum verum & vivum ſe convertit, qui eſt principalis author omnium beneficiorum tàm corporalium quàm ſpiritualium, Jac. 1. verſ. 17. & Deum Iſraelis vocat, non quod alius ſit Iſraelis, & alius gentilium Deus, Rom. 3. verſ. 29. ſed tum propter patefactionem, quia poſteris Iſraelis ſeſe peculiariter in verbo manifeſtavit, Pſalm. 147. verſ. 19. Eſa. 31. verſ. 9. tum propter fœderis pactionem, quod cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo inierat, Gen. 17. verſ. 7. tum etiam propter Meſſiæ promiſſionem, qui ex ipſorum proſapia oriundus erat, Geneſ. 22. verſ. 18. 26. verſ. 3. 28. verſ. 13. 14. hodie verò Deus eſt omnium illorum, qui veſtigiis Abrahæ inſiſtunt, Rom. 4. verſ. 11. ſeqq. & ſpirituales Iſraelitæ ſunt, Rom. 2. verſ. 29. quod ſolatium certè efficaciſſimum eſt in omnibus tribulationibus. Eſt quidem Deus Salvator omnium hominum, maximè tamen fidelium, 1. Tim. 4. v. 10. Cur ergò trepidemus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. verſ. 31.

2. *Beneficiorum magnitudo*, quorum tria Zacharias deprædicat, ut ſunt:

1. *Gratioſa viſitatio.* In græco habetur vocabulum ἐπεσκέψατο, quo propriè talis viſitatio ſignificatur, qualis eſt Medici, quando venit ad ægrotum. Totum genus humanum in lethali peccatorum morbo, imò in ſpirituali morte latebat, ſed venit Chriſtus tanquam verus Medicus, & aſſumpta humana carne proprio ſuo ſanguine medicinam paravit. Hæc eſt gratioſa viſitatio quam Zacharias hîc tantoperè extollit. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & per livorem ejus ſanati ſumus, Eſa. 53. v. 4. ſeqq.

2. *Glorioſa liberatio.* Nam redemptionem præſtitit plebi ſuæ, inquit porrò Zacharias, & in præterito loquitur, more Prophetarum, qui non rarò futura ob immotam certitudinem per præterita deſcribunt. Redemptio illa clamat captivitatem, in qua detinebamur à Diabolo, 2. Tim. 2. v. 26. Col. 1. v. 13. ſed Deus redemptionem fecit, mittendo filium in carnem, & ſubmittendo legi, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, Gal. 4. v. 4. 5. videtur Zacharias hoc deſumpſiſſe ex Pſ. 111. v. 9. ubi Meſſias in abſtracto redemptio vocatur, quod Paulus etiam imitatus eſt, 1. Cor. 1. v. 30. non ſine peculiari emphaſi, quia per ſeipſum nos redemit, Act. 20. v. 29. Ebr. 1. verſ. 3. c. 9. verſ. 12. Hoc agnoſcamus & gratâ mente celebremus, ingeminantes, illud Pauli 1. Corinth. 15. verſ. 57.

3. *Victorioſa propugnatio.* Non derelinquet nos orphanos, poſtquam opus redemptionis perfecit, ſed maſculè deſcendet contra omnes adverſitates, hinc Zacharias addit: Erexit nobis cornu ſalutis in domo David pueri ſui. Per cornu illud Chriſtus intelligitur, qui eſt

1. *Cornu virtutis*, Ein Machthorn. Cornua propriè ſunt animalium, quorum robur, virtus & pulchritudo in iisdem potiſſimùm conſiſtit. Hinc in Scripturis per cornua denotatur.

1. *Regnorum eminentia*, quia animalia, quæ magnis cornibus inſtructa ſunt, reliquis dominantur, Dan. 7. v. 21. 8. v. 7. Apoc. 17. verſ. 3.

2. *Robur & potentia*, quia robur animalium eſt in cornibus ipſorum, quibus ſe defendunt & contra adverſarios pugnant: Ita Sedekias Pſeudopropheta cornua ſibi ferrea conficiebat, cum indicare vellet Ahabo, quod robore ſuo Syros debellaturus ſit, 1. Reg. 22. v. 11.

Hæc omnia ad Chriſtum pulcherrimè applicari poſſunt, quem Zacharias ideò cornu appellat, (1.) quia eſt Rex Regum & Dominus Dominantium, Apoc. 19. v. 16. & regnum cepit ἀδιάλυτον, quod reliqua omnia comminuit, Dan. 2. v. 44. (2.) quia infinitam habet potentiam ab æterno ut Deus, & in tempore accepit ut homo, Matt. 28. verſ. 18. Hinc cornu illud non dicitur jacere, ſed erectum eſſe, quo promptitudo Chriſti denotatur. Sicut enim animalia cornua ſua erigunt, quando pugnare volunt: Ita Chriſtus erectus eſt ad pugnandum pro nobis, quem igitur timebimus? Portæ inferorum non prævalebunt contra nos, Matth. 16. v. 18.

2. *Cornu ſalutis*, Ein geiſtlich Kirchenhorn. Per cornua etiam decor & pulchritudo in Scripturis exprimitur, quam cornua etiam ex parte animalibus conciliant. Ita legitur de Moſe, quod ſplenduerit cutis faciei ejus, ubi in hebræo & vox Keren, ex cujus ſpuria interpretatione originem duxit, quod Moſi vulgò cornua appinguntur, cum tamen nihil aliud quàm ſplendor & fulgor faciei denotetur, quem ex 40. dierum converſatione cum Deo contraxerat. Quò ſine dubio etiam Jobus reſpexit, dum filiæ ſuæ perquàm ſpecioſæ à cornu nomen dedit Kerenhabuch, quod cornu converſionis ſignificat, Job. 42. v. 14.

Hoc itidem Chriſto congruit, qui eſt ſplendor gloriæ paternæ, Ebr. 1. v. 3. candor lucis æternæ, Sap. 7. v. 26. lux mundi, Joh. 8. v. 12. & ſpecioſiſſimus formâ præ filiis hominum, Pſ. 45. v. 3. non ſolùm propter exteriorem corporis pulchritudinem, ſed etiam, ac vel maximè propter interio-

rem

rem ſanctitatem, Dan. 9. v. 24. propter gloriam & decorem, quo Pater cœleſtis ipſum coronavit, Pſ. 8. v. 6. & propter acquiſitionem juſtitiæ, quæ noſtra coram Deo pulchritudo eſt, Pſ. 45. v. 14. 15. hinc non ſimpliciter cornu vocatur, ſed cornu ſalutis erectum in domo David, quia verus Jeſus eſt, ſalvans populum ſuum à peccatis, Matt. 1. v. 21. Domus David eſt typus Eccleſiæ. Sicut enim Meſſias Davidi peculiariter promiſſus, & ex ejus ſemine in tempore natus eſt: Ita nemini conferuntur beneficia Meſſiæ, niſi qui in domo David, id eſt, in Eccleſia verſatur, ibi cornu illud erectum eſt. Si igitur virtutem & ſalutem, protectionem & benedictionem ab eo impetrare deſideras, ad domum Davidis te confer, ut ſis membrum Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus. Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16.

3. *Fontis amplitudo*, qui trina ſe ſcaturigine exonerat:

Prima eſt *divina veritas*, v. 70. 71. Promiſerat Deus ſemen benedictum contriturum caput ſerpentis, Geneſ. 3. verſ. 15. quam promiſſionem repetiit à ſeculo per os Prophetarum, & multis modis B. Patribus confirmavit. Quia igitur verax eſt, imò ipſa veritas, ideò voluit hanc promiſſionem benigniſſimè implere, & per Meſſiam ex manu ſpiritualium noſtrorum hoſtium nos potentiſſimè liberare. Cœlum & terra tranſibunt, ſed verbum Domini manet in æternum, Luc. 21. v. 33.

Gaudete pii, præſtabit Dominus quod promiſit. Timete verò impii, infliget pœnas, quas prædixit; in utroque verax eſt, tum in pollicendo, tum in comminando, nec ullum unquam verbum in terram cecidit, quod locutus eſt, 1. Reg. 8. v. 56.

Secunda, *divina bonitas*, ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, inquit porrò Zacharias. Nihil meriti erant Judæi vel Patres eorum niſi iram & ſupplicium. Solius igitur miſericordiæ fuit, quod eos in peculium ſuum adoptavit, & Meſſiam ex illorum ſemine naſci voluit. Ergò miſericordia Dei fons eſt, ex quo ſpiritualis liberatio ad nos deſcendit. Vidit Deus noſtram miſeriam, vidit nos jacere oppreſſos æterno malo, vidit neminem angelorum vel hominum poſſe nobis auxiliari, inde tactum eſt miſericordia cor ejus, & ſine ullo noſtro merito talem invenit redemptionem, quâ neque juſtitia, neque miſericordia ejus violata eſt, Ebr. 9. verſ. 12. Hinc cum Jeremia exclamare poſſumus: Miſericordiæ Domini, quod non conſumpti ſumus, quia non defecerunt miſerationes ejus, Thr. 3. v. 22.

Tertia, *divina fidelitas*, quàm confirmat

1. *Teſtamentum*, quod cum Abrahamo erexit, Geneſ. 17. verſ. 4. quomodo hujus fœderis ſui poſſet oblviſci, cùm de eo ſcriptum ſit, memor eſt in æternum teſtamenti ſui, Pſ. 111. v. 9.

2. *Juramentum*. Sufficiſſet nuda promiſſio, ſed ex abundanti ſacramentum addidit, Gen. 22. v. 16. 17. 18. Cordatus homo ſervat, quod juratâ fide promiſit; quantò magis Deus, qui ipſa veritas eſt, & non mutatur, Mal. 3. v. 6.

Nobiſcum quoque pactum iniit Deus in baptiſmo, & nos cum illo: hinc baptiſmus à Petro ſtipulatio bonæ conſcientiæ vocatur, 1. Pet. 3. v. 21. ut recordemur ſtipulationis reciprocæ, & bonam conſcientiam retineamus.

mus, in quibus illud fœdus conſiſtit. Nec tantùm iniit, ſed inſuper jurejurando voluntatem ſuam benevolam confirmavit, Ezech. 33. verſ. 11. Johan. 16. verſ. 23. quis igitur ambigeret? Ebr. 6. v. 17. 18.

4. *Finis vectitudo*, qui conſiſtit in hoc, ut ſine timore de manu inimicorum liberati, ſerviamus Deo in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ. Hoc fine Chriſtus nos redemit, ut eſſemus λαὸς περιούσιος, zelotes bonorum operum, Tit. 2. v. 14. & membra noſtra exhiberemus Deo arma juſtitiæ, Rom. 6. v. 13. Hoc fieri debet

1. Lætanter, absque timore ſervili, ſpiritu hilari, & ſpontaneo. Nam timor non eſt in amore, 1. Johan. 4. verſ. 18. & quia nos ſervi non amplius ſumus, ſed amici, Johan. 15. verſ. 15. ſervilis timor meritò à nobis exulare debet, ſpontanea Deo obedientia probatur, Pſalm. 110. verſ. 3. Pſalm. 51. verſ. 14.

2. *Amanter*, ita ut modum obſervemus, quo ipſe ſibi ſerviri vult, nimirum in ſanctitate & juſtitia. Per ſanctitatem cultus divinus & virtutes primæ tabulæ, per juſtitiam autem charitas erga proximum, & virtutes ſecundæ tabulæ intelliguntur. Ut enim erga Deum ſanctos, ſic erga proximum nos juſtos eſſe oportet, ut faciamus aliis, quod nobis fieri volumus, Matth. 7. verſ. 12.

3. *Conſtanter*, πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν, omnibus diebus vitæ noſtræ, ut inquit Zacharias, tempore proſpero & adverſo. Quid enim juvat manum aratro admovere, & poſteà retroſpicere? Luc. 9. v. 62. Perſeverantia opus eſt, ſine qua nemo ſalvus erit, Matth. 10. v. 22.

Tantum de doxologia. Sequitur

II. *Prophetia*, de officio Johannis Baptiſtæ, cujus deſcribitur hîc

I. *Deſignatio*. Et tu puer, inquit Zacharias, Propheta altiſſimi vocaberis. Prophetæ aliàs ſunt in Scripturis, qui futura annunciant, & partem etiam muneris politici ſuſtinent, ut Moſes, Samuel, &c. in genere tamen omnes qui Scripturam purè explicant, & myſteria fidei utiliter proponunt, hoc titulo inſigniuntur, Act. 13. v. 1. 1. Cor. 13. v. 2. Epheſ. 4. v. 11. Priori modo Johannes non fuit Propheta, quod expreſsè fatetur, Joh. 1. verſ. 21. Poſteriori verò modo fuit Propheta, & plus quàm Propheta, Matth. 11. verſ. 9. (1) quia exaltatione ſua Chriſtum prænunciavit adhuc in utero concluſus. (2) quia habitus fuit ab omnibus Propheta, Matth. 21. verſ. 26. (3) quia fuit interpres V. T. & ejus vaticinia ac typos expoſuit, dicens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. v. 29.

En Vos mei, Zacharias gloriatur in iſto titulo, quod filius ejus Propheta altiſſimi futurus erat. Quinam erant Prophetæ? abjecti & deſpecti coram mundo. Hoc probat Eliæ exilium, Eſaiæ contemptus, & martyrium, Jeremiæ præcipitium, Michæ colaphus, Ezechielis ludibrium, 1. Reg. 19. verſ. 3. Eſa. 57. verſ. 4. Jerem. 11. verſ. 19. 38. verſ. 6. 1. Reg. 22. verſ. 24. Ezech. 33. v. 31. nihilominus exultat hîc Zacharias, ob id cumprimis, quod filiolus recens natus ad officium propheticum à Deo ſegregatus erat. Hodie pauci inveniuntur, qui ita affecti ſunt. Valet jam πολυθρύλλητον illud:

Dat Galenus opes, dat Juſtinianus honores,
Pontificat Moſes cum ſacco per civitatem.

Nemo eſt ex ditioribus, qui filium aliquem Deo ad officium Propheticum conſecret, ſed paupertate & contumelia deterrentur

rentur omnes, hinc heroum filiæ noxæ, pauperes verò gubernant mundum tàm in choro, quàm in foro, 1. Cor. 1. v. 26. 27.

II. *Operatio*, quæ duplex, Erit enim

1. *Præcurſor*, qui viam Domino parare debet. Hoc ipſum præſtitit Johannes, juxta vaticinia, Mal. 3. v. 1. Eſ. 40. v. 3. Primò pœnitentiæ prædicatione. Secundò, baptiſmi inchoatione. Tertiò, Chriſti demonſtratione.

Si Chriſtus adhuc hodie in corda noſtra ingredi debet, oportet ei viam parari per concionem pœnitentiæ. Non ingreditur Chriſtus per gratiam, niſi Johannes viam ipſi paret per pœnitentiam. Proinde ſi fideles Johannis Baptiſtæ ſucceſſores conciones pœnitentiæ acuunt, ſtatuamus per illas viam Chriſto parari, qui libenter in corde humiliato & contrito habitare ſolet, Eſa. 66. v. 2. & corpus peccatis ſubditum non introibit Sap. 1. v. 4.

2. *Præceptor*, qui ſcientiam ſalutis dabit plebi ejus, ut porrò inquit Zacharias. Hoc effectum dedit Johannes, quando per verbum Evangelii homines ad verum Dei ſalutare h. e. ad Chriſtum deduxit, & veram ſalutis viam ipſis commonſtravit. Illa ſcientia ſalutis conſiſtit

1. *In peccatorum remiſſione*. Conſentit Paulus Rom. 4. verſ. 6. 7. 8. Hoc contra Pontificios probè notandum eſt, qui ſalutem noſtram conſiſtere docent in juſtitia propria inhærente, vel actuali. Sed illa profectò imperfecta eſt, & contaminata, tanquam pannus menſtruatæ, Eſa. 64. verſ. 6. adeoque coram Dei judicio conſiſtere non poteſt, Pſalm. 143. verſ. 3. Manet ergò concluſum Pauli Epheſ. 2. verſ. 8. gratiâ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Si autem ex gratia, jam nō ex operibus, aliàs gratia nō eſſet gratia, Rom. 11. v. 6.

2. *In meriti Chriſti applicatione*. Id quod Zacharias innuit, quando viſcera miſericordiæ divinæ deprædicat, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Hic oriens ex alto Chriſtus eſt, ſol juſtitiæ, Malach. 4. v. 2. nos ſedebamus in tenebris & regione mortis, Eſa. 9. verſ. 1. amiſeramus lucem divinæ cognitionis & juſtitiæ, concluſi in carcere peccati, & mortis tenebris adjudicati: Sed viſcera miſericordiæ divinæ ſuper nos commota ſunt, noluit nos Deus æterno exitio relinqui, ſed miſit filium, qui tanquam oriens ex alto nos viſitavit, & ſpiritualem non minus quàm æternam lucem nobis attulit, Johan. 1. verſ. 9. 8. verſ. 12. quisquis igitur credit in filium non peribit, ſed vitam æternam habebit, Joh. 3. v. 16.

3. *In via pacis ambulatione*. Via juſtitiæ eſt via pacis. Nulla enim major pax conſcientiæ, quàm cum per fidem in Chriſtum Deo reconciliati ſumus, & conſcientiam habemus pacatam, quæ non reprehendit nos, 1. Iohan. 3. verſ. 21. hoc juge convivium eſt, Proverb. 15. verſ. 15. In hac via pacis non curremus absque offenſa, pedes ſæpe labaſcunt, & titubant, requiritur ergò ut Deus nos dirigat, ne lapſu aliquo præoccupemur, Galath. 6. verſ. 1. & ſi fortè cadimus, quod juſtis etiam contigit, Prov. 24. verſ. 16. protinus tamen reſurgemus, juxta promiſſionem, Pſalm. 37. verſ. 24. tunc aliquando ſedebimus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ, & in requie ſecuritatis, Eſa. 32. v. 18.

De Tertio:

Reſtat pars III. nimirum *conſequens eventus*, ubi deſcribitur

1. Modus

1. *Modus educationis.* Ponitur enim hîc

1. *Ætatis augmentum*, quod creverit indies,& ſtaturam tandem virilem aſſecutus ſit. Hoc Dei opus eſt. Primus homo in ſtatura perfecta conditus eſt, ſed hodie naſcimur infantes, & cum tempore creſcimus, donec robur & ſtaturam attingimus, quæ viros decet.

Agnoſcite Vos mei, hoc ætatis noſtræ augmentum, & pro eo Deo grates agite, ut Hiob cap. 10. verſ. 9. ſeqq. & David Pſ. 139. verſ. 14.

2. *Spiritus incrementum.* Non ſolùm crevit corpore, ſed etiam ſpiritu, cujus dona habuit eximia, quæ cum annis diſcretionis ſe magis & magis exercuerunt. Hoc hodie promovetur per diſciplinam ſcholaſticam & œconomicam, ad exemplum Salomonis, quem miſit Pater ejus David in manu Nathanis, 2. Sam. 12. v. 25. confer Prov. 22. v. 15.

II. *Locus commorationis.* Nam in deſerto fuit, ut inquit Evangeliſta. Hoc arripiunt Pontificii, & Johannem primum Anachoretam fuiſſe contendunt, ut vitam monaſticam aliquo argumento fulciant, quæ in tota Scriptura nullum aliàs fundamentum habet. Sed perperùm. Johannes habuit peculiarem eam ad rem vocationem, Prophetarum oraculis præſertim, Eſa. 40. v. 3. & ipſius Dei mandato confirmatam. Sed Monachi in Papatu omni Dei mandato, verbo & vocatione deſtituuntur. Siquidem nullibi eis præceptum eſt, ut hominum relictâ converſatione in eremum ſecedant, eo cumprimis animo, ut monaſticâ vitâ ſua Dei gratiam & delictorum veniam conſequantur. Ita alligatur Chriſti gratia, & remiſſio peccatorum ad loca deſerta & penetralia, quod Chriſtus de falſis Doctoribus prædixit, Matth. 24. verſ. 23. 26.

III. *Tempus emigrationis*, ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτȣ͂, donec veniret tempus, quo oſtendendus erat apud Iſrael. Licet enim divinitùs ad miniſterium ſegregatus, & ante ſuam nativitatem voce Prophetarum & Angelorum declaratus eſſet Doctor populi hebræi, tamen ad docendum prodire voluit, donec ipſe Deus aliquo ſingulari indicio tempus deſignaret, quo faciendum eſſet prædicationis initium.

Diſcant igitur Eccleſiarum miniſtri, ne ſine divina vocatione in tam arduum & amplum munus ſeſe ingerant, nemo quippe ſumere ſibi debet hunc honorem, ſed qui vocatus eſt, ut & Aaron, Ebr. 5. v. 4.

Neceſſaria eſt hæc admonitio, ut certi ſint miniſtri de vocatione ſua, ac nôrint, ſe non aliunde irrupiſſe in ovile Dei, ſed mediante legitimâ vocatione intrâſſe per verum oſtium, ut & auxilium Sp. S. eò certiùs ſibi polliceri, & tentationum tempore firmius conſiſtere poſſint, ſuâ hâc ordinariâ vocatione freti & fiſi, quæ etſi non eſt immediata ut Johannis Baptiſtæ fuit, divina tamen eſt, ſi fiat Eccleſiæ conſenſu, & authoritate Presbyteri. Tales etiam à Spiritu Sancto conſtituti dicuntur, Actor. 20. verſ. 28. ſufficiant hæc. Faxit Deus T. O. M. ut quod audivimus, bono corde conſervemus, & fructum afferamus in patientia per Jeſum Chriſtum, Amen.

In Die

In Die Petri & Pauli.

Evangelium Matth. 16. v. 13. 19.

FAciebat olim Moſes ex Dei mandato duos Cherubinos, & collocabat eos ſuper arcam propitiatorii, qui alis obumbrarent, & vultibus etiam converſis intuerentur illam, Exod. 25. verſ. 18. 19. ſeqq.

In N. T. hanc figuram adimpletam videmus. Chriſtus eſt verum illud ἱλαςήριον, Rom. 3. v. 25. per Cherubinos intelligo Petrum & Paulum, quorum hodie memoriam Eccleſia celebrat. Sicut enim Cherubini legis antiquæ ex auro puriſſimo conflati erant, & arcam propitiatorii non tantùm obumbrabant, ſed etiam intuebantur: Ita duo hi Apoſtoli alas doctrinæ ſuæ, quæ præſtat auro, Pſ. 119. v. 72. per totum mundum quaſi extenderunt, & oculos in Chriſtum unicè convertentes Judæos & gentes per concionem Evangelii ad Chriſtum perduxerunt. Petrus dixit: Non eſt in alio quoquam ſalus, &c. Act. 4. v. 12. Paulus 1. Cor. 2. v. 2. non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Chriſtus unicus ſcopus eſt, quem in concionibus & actionibus ſuis uterque intendit. Quod autem memoriam eorum conjunxit pia antiquitas, ideò factum eſt, quia uno in loco, una die, ſub uno perſecutore, Nerone ſcilicet, martyrio coronati perhibentur.

Petrus nomen ſuum à Chriſto accepit, Joh. 1. v. 42. aliàs Simon dictus fuit, quod auditorem ſignificat. Patria ejus, fuit Bethſaida, Joh. 1. v. 44. Pater Jonas ſive Joannas, Matth. 16. verſ. 17. Joh. 21. v. 16. Frater Andreas, Matth. 4. verſ. 18. Profeſſio piſcatura, à qua ad piſcaturam hominum vocatus eſt, Matth. 4. v. 18. 19. Luc. 5. v. 10. Chriſtus ipſum libenter ſecum habuit, quod è negotiis gravioribus liquet. Confer Matth. 14. v. 29. 17. v. 1. ſeqq. Luc. 8. v. 51. Matth. 26. v. 37. hinc primas inter Apoſtolos non immeritò obtinet. Poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus ipſi in ſpecie apparuit, Luc. 24. v. 34. & oves ſuas paſcendas trinâ vice ob trinam præcedentem abnegationem commendavit, Joh. 21. v. 15. ſeqq. Quantâ fide & induſtriâ officium ſibi demandatum adminiſtraverit, teſtantur Acta Apoſtolica à cap. 2. ad 16. Itemque prior ad fideles in Ponto, Gallatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia, Epiſtola. Tandem martyrio coronatus, & capite quod petiit, deorſum verſo crucifixus eſt, ne Domino ſuo Jeſu æqualis videretur, ut Hieronymus teſtatur.

Paulum quod attinet, Saulus is anteà dictus eſt, Act. 7. v. 58. ſed poſt converſionem Paulum ſe nominavit, quia minimus erat Apoſtolorum, ut ipſe dicit 1. Cor. 15. v. 9. ad reprimendam ſuperbiam, & tollendam Dei gratiam, ut Auguſtinus loquitur. Patria fuit Tharſenſis, Act. 22. v. 3. Familia Judæus è tribu Benjamin, Act. 22. verſ. 3. Phil. 3. v. 5. profeſſione Phariſæus, Act. 26. v. 5. Literis operam dedit in Academia Patria, itemque Hieroſolymis ad pedes Gamalielis, Act. 22. v. 3. Legit etiam Græcos Poëtas, ut patet ex allegatione Arati, Act. 17. v. 28. Menandri, 1. Cor. 15. v. 33. Epimenidis,

Tit. 1. v. 12. in juventute addidicit etiam artem ſcenofactoriam, Act. 18. v. 3. quam horis ſucciſivis in Apoſtolatu etiam poſteà exercuit, Act. 20. v. 34. 2. Theſſ. 3. v. 8. Fuit prius magnus perſecutor Chriſtiani nominis, ſed ex gratia Dei mirabiliter converſus eſt, Act. 9. v. 1. ſeqq. & prædicavit Evangelium paſſim ab Hieruſalem per Circuitum usque ad Illyricum, Rom. 15. v. 19. tandem juſſu Neronis tyranni ob invictam fidei conſtantiam ſecuri percuſſus & capite multatus eſt, ut hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtantur.

Nos prælectam pericopen ad manus ſumemus, quæ tribus partibus abſolvitur, ut ſunt

I. Diſcipulorum examinatio.
II. Examinatorum reſponſio.
III. Reſponſionis approbatio.

J. J.

EXEGESIS.

CHriſtum noſſe conſummata juſtitia eſt, Sap. 15. v. 3. & omnem ſuperat ſcientiam, Eph. 3. v. 19. Hæc notitia fidem accendit. Chriſtus enim eſt Dominus, qui fidem confirmare & augere poteſt, Marc. 9. v. 24. Luc. 17. v. 5. Hæc notitia ſpem fovet, quod ſi enim Chriſtus pro nobis eſt mortuus, cum adhuc peccatores eſſemus, multò magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum, Rom. 5. v. 8. 9. Hæc notitia vitam æternam parit, Joh. 17. v. 3.

Hinc adeò ſollicitus eſt Chriſtus, ut veram ſui notitiam in Collegio Apoſtolorum ſuorum plantet & conſervet, quò pertinet examen, quod in præſenti pericope inſtituit, ubi tria potiſſimùm conſideranda nobis occurrunt:

1. *Temporis notatio.* Ut enim ſeries hiſtoriæ docet, paulò ante paſſionem factum eſt, cum jam opus redemptionis aggredi vellet, & diſceſſum ex hoc mundo meditaretur. Inde pulchram Eccleſiæ Doctores allegoriam nectere ſolent. Sicut enim tum temporis variæ opiniones de perſona Chriſti fuerunt in Eccleſia; Ita Diabolus circa finem mundi ſuos mores non emendabit, ſed de perſona Chriſti, de cœna, de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo, & aliis articulis varia ſchismata excitabit, quibus ſi poſſibile eſſet, electi etiam in errores ſeducerentur, Matth. 24. v. 24. hinc clamat vox de cœlis, Apoc. 12. v. 12. væ habitatoribus terræ & maris, quia deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.

Noſtrum eſt ſub hac opinionum varietate fidem & bonam conſcientiam retinere, ne ſcandalizemur, & naufragium patiamur ſalutis, 1. Tim. 1. v. 19. colligamus autem firmiter, quod finis mundi propè ſit, juxta vaticinium Chriſti, Luc. 18. v. 8.

2. *Loci ſpecificatio.* Ubi Quæſtio hæc à Chriſto propoſita ſit, nimirum in partibus Cæſareæ Philippi, quæ in Ituræa ad eam montis Libani partem ſita eſt, ubi fluvii duo Jor & Dan commiſcentur & Jordanem conſtituunt. Olim Dan appellata eſt, Jud. 18. v. 12. ſed poſteà Philippus Tetrarcha Itureæ & Trachonitidis in honorem Cæſaris illam amplificavit, & ſplendidis ædificiis exornavit, unde Cæſarea Philippi dicta eſt, ad differentiam Cæſareæ Palæſtinæ, quæ in honorem Octavii Imperatoris ab Herode ad mare mediterraneum non procul à Joppe inſtaurata eſt. Diſtantia ejus ab Hieroſolymis fuit 26. milliarium.

Apparet hinc, quantâ Chriſtus ſeduli-

tate

tate officium ſuum Propheticum adminiſtraverit, dum longinquum iter hic conficit, & ad gentes etiam commigrat, ut Evangelii ſui prægustum ipſis ſuppeditet. Hortatur autem nos ſuo exemplo, ut partes officii nobis demandati fideliter exequamur, juxta illud Pauli Rom. 12. v. 7. 8.

Tu ſupplex ora, tu prodege, tuque labora,
Officium peragat quilibet ordo ſuum.

3. *Argumenti enarratio*, quod duplex

1. *Generale.* Quem dicunt homines, inquit, eſſe filium hominis? Per filium hominis ſeipſum intelligit, quia carnis & ſanguinis particeps factus erat ſicut pueri excepto peccato, Ebr. 2. v. 14. quærit autem non ex ignorantia, ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine, Joh. 2. v. 25. multò minus ex arrogantia, à qua erat alieniſſimus, Joh. 8. v. 50. Sed

Primò *propter noſtram informationem*, ut cognoſcamus, quis ſit articulus doctrinæ Chriſtianæ maximè omnium neceſſarius, videlicet articulus de Chriſto, unde divus Paulus omnem ſuam ſapientiam & notitiam in Chriſti notitia unicè collocat, 1. Cor. 2. v. 2. & noti ſunt verſiculi:

Si Chriſtum bene ſcis, ſatis eſt ſi cætera neſcis,
Si Chriſtum neſcis, nihil eſt ſi cætera diſcis.

Non enim eſt in alio quoquam ſalus, nec aliud nomen datum hominibus, in quo poſſint ſalvari, præter nomen Jeſu, Actor. 4. verſ. 12.

Secundò *propter exempli commendationem*, ut nos etiam examen inſtituamus inter domeſticos, & progreſſus ipſorum in doctrina Catechetica diligenter exploremus. Hoc eſt officium boni Patrisfamilias, quo nomine Abraham commendatur, Gen. 18. v. 19. confer Pſalm. 34. verſ. 12. 78. v. 3. ſeqq. mandatum divinum extat Deut. 6. verſ. 6. ſeqq.

Videant igitur Paſtores, Præceptores, parentes & omnes illi, qui aliis regendis & gubernandis præfecti ſunt, ut examina ejusmodi frequenter inſtituant, ut quilibet inde diſcat paratus eſſe ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quam concepit, ſpe & fide 1. Pet. 3. v. 15. Qui ſegnis eſt & negligit hoc ſuum officium, ſubjicitur maledictioni, Jer. 48. v. 10.

2. *Speciale.* Nam pergit Chriſtus, poſtquam judicia vulgi de ſe perceperat, & Vos autem, inquit, quem me dicitis eſſe? Docet hâc quæſtione, fidem implicitam, qua quis credit, quod Eccleſia credit, ad ſalutem non ſufficere, ſed cuilibet propriam fidei propriæ rationem eſſe reddendam, vide Hab. 2. verſ. 4. Hinc ita deſcribitur fides in Scripturis, quod ſit *σύνεσις*, Matth. 13. v. 19. & *ἐπίγνωσις ἀληθείας*, Col. 3. v. 10. Tit. 1. verſ. 1. imò nec ſola juſtitia ſufficit, ſed fiducia quoque requiritur, ut cum Apoſtolo quis dicere poſſit: ſcio cui credidi, 2. Tim. 1. v. 12. talis fides Dei opus eſt, Joh. 6. v. 29. & per verbum accenditur, Rom. 10. v. 17.

De Secundo.

Sicut Chriſtus diſtinctim quærit: Ita diſtinctim reſpondent Apoſtoli, & recenſent

I. *Vulgi opinionem*, quæ quadruplex:

1. *Quidam dicebant ipſum eſſe Johannem* Baptiſtam, qui nuper decollatus erat ob reprehenſum à ſe inceſtum Herodis & Herodiadis, Matth. 14. verſ. 10. Cum verò Chriſtus Johannis prodromi ſui veſtigia legeret, & in concionibus præſertim legalibus iisdem ferè formalibus uteretur, Matth. 4.

 verſ. 17.

Digitized by Google

v.17. conceperunt hinc multi iſtam opinionem, Johannem reſurrexiſſe à mortuis, in qua ſententia fuit ipſe Herodes, Luc. 9. v. 7.

2. *Quidam opinabantur ipſum eſſe Eliam*, quem Deus populo ſuo ſe miſſurum promiſerat, antequam veniret dies Iehovæ magnus & terribilis, Mal. 4. v. 5. Quod vaticinium ipſi literaliter intelligebant de Elia Thesbita, in qua opinione etiam Siracides fuit c. 48. v. 10. ſed perperam. Jamdum enim in Johanne Baptiſta, Chriſti prodromo adimpletum erat, Matth. 11. v. 14. Luc. 1. verſ. 17.

3. *Quidam putabant ipſum eſſe Jeremiam.* Sicut enim Jeremias libero Spiritu invehebatur in peccata populi, præſertim verò Sacerdotum errores graviſſimis concionibus taxabat, & propterea deſolationem templi, urbis & regni Judaici ipſis denunciabat: Ita Chriſtus pari zelo corruptelas Phariſæorum & Sadducæorum & Scribarum refutabat, & ob præfractam gentis impœnitentiam ultimum excidium ipſis minabatur, Matth. 23. v. 38.

4. *Quidam certi nihil definiebant*, ſed in genere ſtatuebant, eſſe ipſum quendam ex antiquis Prophetis, quemadmodum dicunt Luc. 7. v. 16. Ioh. 6. v. 14.

Apparet ex hac opinionum varietate nihil eſſe novi, quando adhuc diſcrepantes de Chriſti perſona opiniones in Eccleſia inveniuntur, ſiquidem inter Chriſtum & ſerpentem antiquum perpetuæ ſunt inimicitiæ, Gen. 3. v. 15. oportet hæreſes eſſe inter vos, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant, inquit Paulus 1. Cor. 11. v. 19. hinc Chriſtus dicitur lapis offenſionis & petra offendiculi, cui contradicentes plurimi colliſi ſunt, & in hodiernum usque diem colliduntur, Es. 8. verſ. 14. propterea nemo ſcandalizetur propter tot ſchismata, quibus Eccleſia hodie turbatur, ſed Chriſto adhæreat, qui via eſt ne collabamur, veritas, ne aberremus, vita ne moriamur, Ioh. 14. v. 6.

II. *Propriam confeſſionem*, quam Petrus reliquorum Apoſtolorum nomine edit tum ratione decoris, quia unum loqui conveniebat, ut vitaretur confuſio: tum ratione ardoris, quo fervebat præ reliquis Petrus, & ad faciendum, & ad reſpondendum paratiſſimus, ut Cyrillus ait, tum etiam denique ratione honoris, quia ſenior erat, os quaſi Apoſtolorum, & vertex ſive coryphæus totius conſortii, dicente Chryſoſtomo.

Nulla igitur hinc juriſdictio papalis vel monarchica poteſtas evinci poteſt quam Petrum in alios habuiſſe Pontificii autumant. Sed præter Scripturam. Ex prælocutione certè tale nil ſequitur. Aaron dicitur Os Moſis, Exod. 4. v. 16. ſed propterea tamen papalis ipſi dominatio in Moſen non tribuitur, imò Principatum in Moſe, miniſterium in Aarone hinc potius agnoſcimus, ſicut Magnates hujus ſeculi oratores ſuos habent, qui cauſas ipſorum coram Imperatore exponunt, nec tamen propterea dominium aliquod ſibi acquirunt. In concilio Hieroſolymitano Iacobus tulit definitivam ſententiam, Act. 15. v. 13. num propterea Pontifex erit? Petrus ipſe talem dominatum ſibi nunquam arrogavit, ſed ablegari ſe paſſus eſt, à reliquis Apoſtolis in Samariam, Act. 8. v. 14. & expreſsè συμπρεσβύτερον ſe appellat, 1. Pet. 5. v. 1.

Duo autem confeſſio illa Petri membra principaliora continet, quibus totum ſalutis negotium abſolvitur, ut ſunt

I. *Perſonæ ſublimitas.* Nam filius Dei vivi nominatur, origine non adoptione, ut ſancti dicuntur filii Dei, Rom. 8. v. 16. veritate non

non nuncupatione, quomodo impii nonnunquam dicuntur filii, exemplo divitis epulonis, Luc. 16. verſ. 25. nativitate non creatione, ſicut Angeli, Job. 38. verſ. 7. ut Hilarius mentem Petri explicat, Eſt enim filius Dei proprius, Rom. 8. v. 32. quem ex ſubſtantia ſua ab æterno genuit Pater, Pſ. 2. v. 7. unde ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως αὐτȣ̃, Ebr. 1. v. 3. & imago Dei inconſpicui dicitur, Col. 1. v. 15. Conſequitur hinc

1. *Quod Chriſtus ſit verus Deus etiam ſecundùm humanam naturam*, non quidem proprietate eſſentiæ & generatione æternâ, ſed unione perſonali, quia humana natura in Chriſto propria hypoſtaſi deſtituta, in perſona τȣ̃ λόγȣ ſubſiſtit. Hinc Petrus dicit: Filius hominis eſt filius Dei vivi, & Archangelus Gabriel: Quod natum eſt ex te, filius altiſſimi vocabitur, Luc. 1. v. 35.

2. *Quod Filius Dei ſit etiam filius Mariæ, perſonaliter*, h. e. propter unionem perſonalem, quia hypoſtaſis naturæ divinæ filii Dei non ſubſiſtit extra hanc humanitatem, ſed eſt non tantùm ſuæ divinæ, verùm etiam hujus humanæ naturæ hypoſtaſis, unde Maria rectè Θεότοκος appellatur, Luc. 1. verſ. 35.

3. Conſequitur etiam hinc *idiomatum communicatio*, ut quicquid carni evenit, ipſi filio Dei accedat, tàm verè & realiter, quàm verè carnis illius ὁ λόγος particeps factus eſt. Sic dicitur in Scripturis: Dominus gloriæ crucifixus eſt, 1. Cor. 2. v. 8. autor vitæ interfectus eſt, Act. 3. v. 15. Deus proprio ſuo ſanguine Eccleſiam ſibi acquiſivit, Act. 20. verſ. 28.

4. *Communicatio majeſtatis.* Quod ſi enim filius hominis eſt filius Dei vivi, verè ac realiter omnis ipſi poteſtas in cœlo & in terra data eſt, Matth. 28. verſ. 18. nihil omiſſo, Ebr. 2. v. 8.

Si filius hominis eſt filius Dei vivi, utique verè & realiter omnes in eo theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi jacent, Col. 2. v. 3. ut omnia ſciat, Joh. 21. v. 17. nec opus ſit, ut quis teſtimonium ipſi perhibeat, de homine, Joh. 2. v. 25.

Si filius hominis eſt filius Dei vivi, utique verè & realiter vitam habebit in ſeipſo, ſicut Pater habet vitam in ſeipſo, idque quia filius hominis eſt, Joh. 5. v. 26. 27. verè habebit poteſtatem remittendi peccata in terris, Marc. 2. v. 10. & judicium faciendi, quia filius hominis eſt, Joh. 5. v. 27. verè habebit nomen quod eſt ſupra omne nomen, Phil. 2. verſ. 9.

Hæc & alia ſecundùm D. N. de Chriſto dici & accipi non poſſunt, quæ non indiget honoribus ſublimari, aut dignitatis profectibus augeri, ſed immutabilis eſt & manet in æternum, Pſ. 102. v. 27. 28. Mal. 3. v. 6. Jac. 1. v. 17.

II. *Officii dignitas*, quæ per nomen Chriſti exprimitur. Chriſtus enim unctum ſignificat. Quemadmodum enim Reges, Prophetæ & Sacerdotes in V. T. ungi & ita inaugurari ſolebant: Ita Chriſtus unctus eſt non oleo externo, ſed Spiritu S. præ conſortibus ſine menſura, Pſ. 45. v. 8. Joh. 3. v. 34. Act. 10. v. 38.

1. *Tanquam Propheta exoptabilis*, qui voluntatem Patris cœleſtis nobis revelaret, Ioh. 1. v. 18.

2. *Tanquam Sacerdos venerabilis*, qui ſeipſum pro nobis in ara crucis offerret in hoſtiam Deo placentem, Eph. 5. v. 2. ſemperque pro nobis ad Patrem intercederet, Rom. 8. v. 34. Ebr. 9. v. 24.

3. *Tanquam Rex laudabilis*, qui nos

Digitized by Google

ſceptro virtutis ſuæ verbo ſcil. & Sp.S. regeret, Pſ. 2. v. 6. & adverſus omnes hoſtes noſtros ſpirituales & corporales defenderet, Zach. 9. v. 9.

Præbet nobis hæc doctrina

1. *Egregiam conſolationem*, quia participamus de hoc unguento, conf. Pſal. 133. v. 2. Joh. 1. v. 16. Act. 11. v. 26. contemnat nos mundus, & rejiciat tanquam περιφήματα ϗ καθάρματα, 1. Cor. 4. v. 13. ſumus tamen uncti Dei, & compaſſi cum Chriſto, tandem etiam cũ Chriſto regnabimus, 2. Tim. 2. v. 12.

2. *Exhortationem.* Unxit nos Chriſtus in Prophetas, ut doceremus impios viam Domini, Pſ. 51. v. 15. in Sacerdotes, qui offerrent Deo hoſtiam placentem vitulos labiorum, Oſ. 14. v. 3. ſpiritum contritum & humiliatum, Pſ. 51. v. 19. & gratiarum actiones, Pſ. 69. v. 32. in Reges, qui dominarentur concupiſcentiis carnis, & peccatum non ſinerent regnare in mortali ſuo corpore, Rom. 6, v. 12. qui enim peccatum facit, peccati ſervus eſt, Joh. 8. v. 34. Faciamus igitur officium noſtrum, ut quod hîc ſumus ſpe, conſequamur ibi re, nimirum regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini, Sap. 5. v. 17.

De Tertio.

Reſtat pars ultima *de Chriſti approbatione*, qua

I. *Petrum beatificat.* Beatus es, inquit, Simon Bar Ionæ. Simon vocaris, quod eſt auditor, & certè nomen & omen habes, ſiquidem verbum meum cum fructu audiviſti, & exinde veram mei cognitionem addidiciſti. Licet igitur humili ſtirpe ſis prognatus, Patre Iona homine ſimplice & obſcuro, tamen hæc confeſſio te nobilitat, & ad æternam ſalutem promovet.

Notate hôc Vos mei in veſtram exhortationem, & Simones eſſe, hoc eſt, exemplo Petri verbum Dei libenter audite, fidem roborare, & confeſſionem veſtram publicè edere non erubeſcire, ſi æternam quoque cum Petro beatitudinem conſequi velitis. Eſte etiam filii Ionæ, & columbinam ſimplicitatem (Ionas enim columbam ſignificat) imitamini, ut verbo Dei unicè adhæreatis, ultra ſapere non audeatis, ſed illud Davidicum frequenter ingeminetis:

Simplicitas rectumq; tuum me Chriſte gubernet,

Pſ. 25. v. 21. nam parvulos Deus cuſtodit, Pſalm. 116. v. 6. ſed ſuperbos diſſipat, Luc. 1. v. 51.

II. *Confeſſionem* prædicat

1. *Ratione autoris*, quem non carnem & ſanguinem, ſed Patrem ſuum cœleſtem eſſe diſertis verbis affirmat. Per carnem & ſanguinem ratio carnalis vel humana intelligitur, quæ non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, 1. Corinth. 2. verſ. 14. ſic Naamano abſurda erat ſeptena in Jordane ablutio, 2. Reg. 5. v. 11. Sadducæis mortuorum reſurrectio, Matth. 22. v. 25. Nicodemo hominis regeneratio, Johan. 3. verſ. 4. Capernaitis ſpiritualis Chriſti manducatio, Johan. 6. verſ. 52. & adhuc hodie mundus per ſuam ſapientiam Deum non poteſt cognoſcere, 1. Cor. 1. v. 21.

Captivanda eſt hæc ratio noſtra ſub obſequium Chriſti, 2. Corinth. 10. v. 5. ut Pater cœleſtis ſuam agnitionem in nobis accendere poſſit, quod non facit per raptus Enthuſiaſticos, ſed beneficio verbi & Sacramentorum, Eſa. 8. v. 20. Johan. 5. verſ. 39. Actor. 10. verſ. 17. in quibus mediis acquieſcere debemus, utpote ad omne bonum opus inſtructis, 2. Tim. 3. v. 17.

2. Ratio-

Digitized by Google

2. *Ratione valoris*, quem indicat

1. *Eccleſiæ ſuperſtructio.* Nam tu es Petrus inquit Chriſtus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, q. d. tu non temerè jam pridem à me nominatus es Petrus, Ioh. 1. v. 42. id eſt, rupes ſive ſaxum, revera enim es tanquam petra ſeu rupes, quia per veram fidem mihi veræ petræ, Eſa. 28. v. 16. 1. Cor. 10. v. 4. 1. Pet. 2. v. 6. unicè inniteris, id quod confeſsio tua, jam de me edita, innuit, quæ & ipſa inſtar turpis & ſaxi immutabiliter ſubſiſtet, in quo Eccleſiam meam ædificabo tanquam immoto fundamento, quod ſummam doctrinæ Chriſtianæ complectitur, in cujus agnitione cardo perpetuæ beatitudinis verſatur.

His verbis nequiter abuſi ſunt Pontificii ad eminentiam papalem aſtruendam. Nugantur enim Petrum Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe annos 35. & vi horum verborum ſummum in univerſam Chriſti Eccleſiam primatum & dominatum accepiſſe, qui in omnes ejusdem ſucceſſores Pontifices puta Romanos, in hunc usque diem derivatus ſit. Sed horribilis & Antichriſto digna eſt verborum Chriſti depravatio. Nam Reges gentium dominantur, inquit Chriſtus ad ſuos Apoſtolos, cum de primatu contenderent, vos autem non ſic, Luc. 22. v. 25. Si verò hîc Petrum conſtituiſſet papam & caput viſibile Eccleſiæ ſuæ, poterat ipſos ad hanc conſtitutionem revocare, & dicere: Non opus eſt ut litigetis amplius de primatu. Noſtis enim Petro hanc prærogativam à me conceſſam eſſe. Sed hoc non facit Chriſtus, verùm omnem ipſis primatum & Dominatum ſimpliciter denegat.

Verba igitur Chriſti attendenda ſunt. Non dicit ſuper hunc Petrum, ſed ſuper hanc petram, quæ petra Chriſtus erat, ſuper quod fundamentum ipſe etiam Petrus ædificatus eſt, ut explicat Hieronymus. Et Auguſtinus ſcribit: ſuper hanc petram, quam tu Petre cognoviſti, & jam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam, id eſt, ſuper meipſum filium Dei vivi, ædificabo Eccleſiam meam, ædificabo te ſuper me, non me ſuper te. Eodem modo exponit illa verba Chryſoſtomus, Ambroſius, Hilarius, Theophylactus. Nam aliud fundamentum & caput Eccleſiæ Scriptura non novit præter Chriſtum, aliàs monſtrum eſſet biceps, quod abſurdum, 1. Cor. 3. v. 11. Col. 1. v. 18.

2. *Perpetua defenſio.* Nam portæ inferorum non prævalebunt ei, ſubjicit Chriſtus, & intelligit hoc nomine per metaphoram omnes omnium Diabolorum, tyrannorum & hæreticorum, machinas, quas irritas fore ait, ſi contra Eccleſiam dirigantur. Hoc Petrus nunquam præſtare potuiſſet, quia erat homo labilis, & ſæpiſsimè graviter peccavit, Matth. 18. v. 1. Marc. 9. v. 34. Luc. 22. v. 24. Matth. 26. v. 51. 52. 70. ſeqq. 16. v. 22. Gal. 2. v. 14. Quomodo ergò fundamentum eſſe poterit, Eccleſiæ? Ergoné Chriſtus ſuper Satanam ædificavit Eccleſiã ſuam? Abſit!

Notate conſolationem, Vos mei, Deus Eccleſiam ſuam non deſeret, ſed perpetuò contra portas inferorum tueri vult. Ergò cum Davide exultare poſſumus, dicendo ex Pſ. 46. v. 1. ſeqq. Dominus noſtrum refugium & virtus, &c.

III. *Claves commendat.* Per claves denotatur poteſtas. Quemadmodũ enim Oeconomo claves committuntur, ut plenariã directionem totius domus ſibi datam eſſe ſciat: Ita Chriſtus Petrum & reliquos Apoſtolos conſtituerat œconomos in domo ſua, quæ eſt Eccleſia, 1. Timoth. 3. verſ. 15. proinde duas ipſi claves committit, quarum altera ligans,

ligans, altera ſolvens eſt, illâ clauditur cœlum, hâc verò panditur & aperitur. Eſt autem poteſtas illa non civilis & politica, ſed Eccleſiaſtica, ut ligare idem ſit, quod peccata retinere, ſolvere quod peccata dimittere, ut Ioh. 20. v. 23. explicatur, idque non autoritate propria, ſed miniſterialiter tantùm ex mandato Dei, cujus eſt peccata remittere, Marc. 2. v. 7.

Ieſuitæ hîc iterum pro Petri primatu dimicant. Sed fruſtrà. Quod enim hîc Petro promittitur, idipſum reliquis Apoſtolis, alibi ad unum omnibus exhibetur, Ioh. 20. v. 22. 23. imò omnibus Eccleſiæ Doctoribus in nomine Chriſti congregatis, Matt. 18. v. 18.

Interim habent hîc quod diſcant

1. *Paſtores*, quia œconomi à Deo conſtituti ſunt, ut juſta fidelitate officium hoc exequantur, & ſine reſpectu perſonarum impœnitentibus peccatorum detentionem annuncient, ut Samuel, 1. Sam. 28. v. 18. Nathan & Gad, 2. Sam. 12. v. 7. & 24. v. 13. Daniel, c. 5. v. 22. 23. Elias, 1. Reg. 21. v. 21. &c. In œconomo enim præter fidelitatem nihil magis requiritur, 1. Cor. 4. v. 2.

2. *Auditores*, ut diſcant hinc, quanti facien'dæ ſint paſtorum ſuorum conciones legales, ne exiſtiment eſſe fulgur ex pelvi, aut inane terriculamentum, ſed verbis Chriſti edocti firmiter ſtatuant, illas cum indubitato effectu ſempiternæ damnationis eſſe conjunctas apud omnes eos, qui hujusmodi commonefactionibus obſecundare detrectant, non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis hanc poteſtatem dedit, inquit Chryſoſtomus. Qui ergò contemnit, non contemnit homines, ſed Deum, 1. Theſſ. 4. v. 8.

Econtra quando miniſter Evangelii clavem ſolventem exercet, & pœnitentibus remiſſionem peccatorum annunciat, de veritate & efficacia nil quicquam ambigant. Quicquid enim Sacerdos agit in terris, à Deo ratum habetur in cœlis, inquit rurſum Chryſoſtomus. Siquidem legatione Chriſti fungitur, & Deus obſecratur per illum, ut ipſi reconciliemur, 2. Cor. 5. v. 20.

Sufficit! Deo ſit laus & gloria nunc & in ſecula ſeculorum, Amen.

In Die Viſitationis Mariæ.

Evangelium Luc. 1. v. 39. 56.

ARca teſtamenti, cum trimeſtri tantùm ſpatio in domo Obed-Edom divertiſſet, tantam ei felicitatem attulit, ut benedictionibus omnigenis exinde repletiſſima fuerit, 2. Sam. 6. v. 11.

Hodiè non arca tantùm, ſed Angelus & Dominus fœderis, Mal. 3. v. 1. in utero B. Mariæ virginis adhuc deliteſcens apud Zachariam Sacerdotem divertit, inibique tres menſes commoratur. Ecce quanta benedictione cumulat domum illam, infans exultat in utero, Eliſabetha ipſa Sp. S. inſtinctu de Chriſto vaticinatur, & agnoſcit ipſum non tantùm pro fructu ventris Mariæ, ſed etiam dominum ſuum appellat. O beata domus, in qua præſtantiſſimæ perſonæ conveniunt, quales Sol nunquam vidit. Maria gerit in utero filium Dei, Eliſabetha Iohannem Baptiſtam, Sacerdos Zacharias mutus aſtat plenus interim æquè ac Maria &

Digitized by Google

Eliſabeth Spiritus S. O beata converſatio! quæ tribus fere menſibus duravit in amica jucunditate, & jucunda unanimitate.

Videbimus ipſam hiſtoriam, quæ tria membra complectitur:

I. Mariæ itinerarium.

II. Amicabile colloquium.

III. Dulciſſimum canticum. J.J.

EXEGESIS.

Inſtitutum eſt præſens hoc feſtum anno CHriſti 1441. in concilio Baſilienſi ſub Eugenio Pontifice, in honorem B. Mariæ Virginis, quam invocandam ſtatuit, ut ſicut olim pedibus ſuis montes conculcaverat: Ità Turcam viribus ſuis conculcet, qui eo tempore magno ſucceſſu contra Chriſtianos bella gerebat. Felicem quidem res hæc primò eventum habuit, dum anno ſequente Hunniades Heros præſtantiſſimus aliquoties Turcam vicit & Amurathem eò coëgit, ut pacem peteret à Ladislao Ungarorum Rege. Tandem verò pacem frangere juſſit Eugenius, & Ladislaum à perfidia abſolvit, quo factum eſt, ut Ladislaus bellum innovans gravi clade occumberet Anno 1443. & decennio pòſt Conſtantinopolis caperetur. Ita Deus punivit & perjurium & idololatriam.

Nos alio fine hoc feſtum celebramus:

1. *Tanquam feſtum gratiarum actionis*, quo magnalia, quæ nobis in filio ſuo Pater cœleſtis exhibuit, gratia mente agnoſcimus & deprædicamus.

2. *Tanquam feſtum informationis*, quo exemplum pulcherrimum virtutum omnibus hominibus, inprimis verò ſexui fœmineo ad imitationem propoſitum intuemur.

3. *Tanquam feſtum conſolationis*, quo beneficia Mariæ exhibita nobis quoque applicamus, & fidem noſtram ſub cruce iiſdem confirmamus, ut ipſa docebit ἐξήγησις circumſtantiarum, quibus iter Mariæ à Luca deſcribitur. Occurrit enim

1. *Tempus*, quando ſuſceperit iter ſuum, nimirum in diebus illis, ut inquit Evangeliſta, per quos intelliguntur dies conceptionis, nuncium Mariæ ab Angelo allatum proximè inſecuti, quod verborum præcedentium cohærentia evidenter docet. Quia enim Angelus hoc ipſi ſignum dederat ut facilius crederet, quod Eliſabetha cognata non ſterilis tantùm, ſed etiam effœta itidem Dei benedictione gravida ſit, itinere ſatis longinquo novendecim (alii plura numerant) vel circiter milliarium fidei ſuæ confirmationem acquirit, & hoc ſuo exemplo nos quoque hortatur, ut occaſiones fidei confirmandæ divinitùs monſtratas nequaquam prætermittamus. Quemadmodum enim lucerna nutritur oleo, & ignis ligno: Ita fidei lux nutrienda eſt verbi patefacti meditatione & Sacramentorum adminiſtratione, quæ omnia ad fidei noſtræ confirmationem divinitùs inſtituta ſunt, Rom. 4. v. 11. Rom. 10. v. 17.

2. *Locus*. Nam abiit in montana in civitatem Judæ. Fuit hæc civitas Hebron, ut ex Joſ. 15. v. 13. colligi poteſt, & ſita eſt in vicinia illius loci in quo olim habitarunt S. Patriarchæ, Gen. 35. v. 27.

Præbet hæc circumſtantia pulcherrimam meditationem. Sanctis Patribus in iſto loco repetita erat promiſſio de ſemine, in quo benedicendæ erant omnes Gentes, Gē. 26. v. 4. Jam in eodem loco conveniunt Maria & Eliſabeth, & teſtantur, promiſſionem illam impletam eſſe. Ita Deus differt quidem ſuā promiſſionem, ſed quod differt nō aufert. Proinde ſi morā fecerit Dominus

 expe-

Google

expecta illum, veniens veniet non tardabit, Hab. 2. v. 3. Interim cum Maria ad montana conſcendamus, obliviſcentes quæ retrò ſunt, & cœleſtia appetentes. Hi facilè obtinent petitiones cordis ſui, Pſ. 37. v. 4.

3. *Modus*, quomodo iter ſuum perfecerit, nimirum μετὰ σπουδῆς, cum feſtinatione. Solent aliàs mulieres initio conceptionis plurimas ſentire moleſtias, ſed Maria eo tempore magnâ alacritate conſcendit montana, quia ſine peccato conceperat, & portabat tale onus, à quo ipſa portabatur. Feſtinare eam faciebat Spiritus Sanctus, cujus ipſa erat templum. Spiritus Sancti autem gratia neſcit tarda molimina, ſed agit quos inhabitat, ut pietatis opera ferventer exequantur, Rom. 8. v. 14.

De virginibus Iſraeliticis conqueritur Deus Eſa. 3. v. 16. quod pedibus ſuis compoſito gradu incederent. Nulla hîc pompa, nulla φαντασία, Actor. 25. v. 23. pro comitibus habet angelos, pro ornatu charitatem, humilitatem, verecundiam ac induſtriam. Sequantur noſtræ virgines hoc potius exemplum Mariæ, quam Dinæ, Geneſ. 34. v. 1. ſeqq.

4. *Scopus*, qui duplex

1. *Salutatio.* Nam cognatam Eliſabetham ſalutaſſe dicitur, quod & nos imitari decet, juxta Matth. 10. v. 12.

2. *Miniſtratio.* Inde ſub finem Evangelii dicitur, quod manſerit cum Eliſabetha cognata ſua circiter tribus menſibus. Sine dubio hoc tempore grata ipſi præſtitit ſervitia in rebus œconomicis, quia Zacharias mutus erat, & ipſa provectioris ætatis negotia domeſtica pro dignitate adminiſtrare non poterat. Poſteà verò, cum adveniret tempus partus Eliſabethæ, & magna hominum multitudo ad ejus ædes confluxura eſſet, ex virginali pudore iterum reverſa eſt in domum ſuam. Unde non ſolùm humilitas Mariæ eluceſcit, ſed ſumma etiam officioſitas, quam omnes Chriſtiani meritò imitari debent, ut per caritatem alter alteri inſerviat, juxta præceptum Pauli, Gal. 5. v. 13.

5. *Effectus.* Statim enim ad ſalutationem Mariæ infans in Eliſabetha præ gaudio exultat. Hæc exultatio non fuit motus naturalis ſed ſupernaturalis ab ipſo Spir. S. profectus, ut oſtendit oratio Eliſabethæ, qua exultationem illam tanquam effectum ſalutationis Mariæ allegat.

Colligimus inde, Sp. S. etiam in infantibus accendere lucem fidei. Anabaptiſtæ & Calviniani ideò nolunt credere quod infantes fidem habeant, quia verum rationis uſum non habent. Sed qualis uſus rationis in Johanne B. in utero matris adhuc deliteſcente, qui præſentiam Salvatoris ſui agnoſcit, & præ gaudio exultat? proinde ratio non obſtat, quò minus infantes credere poſſint. Imò quia ratione nondum uti poſſunt, ideò Spiritus Sanctus fidem in ipſis facilius accendere poteſt, quæ eſt rerum non apparentium, Ebr. 11. v. 1. & rationem non attendit, ſed captivari jubet ſub obſequium Chriſti, 2. Cor. 10. v. 5. ſiquidem ex ore infantium & lactentium Deus ſibi laudem perficit, Pſalm. 8. v. 3.

De Secundo.

A*micabilis Colloquii*, tres ſunt partes:

I. *Colloquentium autoritas*, nimirum conveniunt hîc duæ eximiæ & præſtantiſſimæ fœminæ, Maria & Eliſabetha, quarum illa filium Dei, hæc præcurſorem ejus Johannem Baptiſtam in utero geſtabat, contra naturæ ordinem, ſiquidem illa virgo adhuc erat illibata, hæc verò ſterilis & effœta nihil hacte-

hactenus Zachariæ pepererat, ſed coram mundo lampas erat contempta, Job.12.v.5.

Eodem modo Eccleſia eſt grex electus coram Deo, ſed grex deſpectus coram mundo. Interim ſatius eſt à mundo deſpici, quàm à Deo rejici. Quod ſi enim peccaverit vir in virum, judicabunt Dii, ſed in Dominum ſi vir peccaverit, quis orabit pro eo? inquit Eli, 1.Sam.2.v.25.

II. Directoris ſublimitas, qui eſt Spiritus S. cujus inſtinctu hæ perſonæ conveniunt, & loquuntur, quicquid loquuntur, v.14.47.

Apparet hinc quod mulieres etiam ſint cohæredes gratiæ vitæ 1.Petr.3.v.7. & templa Spiritus Sancti, 1.Cor.3.v.16. Ergò quisquis es, ſive mas ſive fœmina, Deum time, & in domo Zachariæ, id eſt, Eccleſia libenter te ſiſte, & Deum habebis tibi propitium, non enim eſt apud eum reſpectus perſonarum, Act.10.v.34.

III. *Materiæ gravitas*, quæ duplex:

I. Encomium. II. Teſtimonium.

Encomium quod attinet, Mariæ illud tribuit, & prædicat illam

1. *Benedictam*, quia præ omnibus mulieribus hæc dignitas ſibi obtigit, quod mater Meſſiæ facta eſt, & benedictum illud ſemen Patriarchis promiſſum concepit & peperit.

2. *Beatam*, quia credidit verbis angeli. Unde ſatis evidenter elucescit, quod Maria licet præ omnibus mulieribus ſit honorata, non tamen aliter niſi per fidem ſalvata ſit. Nec enim præter Chriſtum aliud nomen datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri, Act.4.v.12.

Teſtimonium ad Chriſtum ſpectat, quo ſtabilitur.

1. *Vera ipſius humanitas.* Vocatur enim fructus ventris Mariæ, ex Pſ.132.v.11.

2. *Vera ipſius divinitas*, quia mater ipſius vocatur mater Domini ex Ier.23.v.5.

3. *Perſonæ unitas*, quia fructum ventris Mariæ Eliſabetha vocat Dominum ſuum, Ergò non eſt alius Dei, alius Mariæ filius, ſed idem qui eſt Mariæ filius in unitate perſonæ, eſt etiam Dei filius. Deſumptum hoc eſt ex Jerem.31.v.22.

4. *Fidei dignitas*, quod illa ſit unicum conſequendæ ſalutis medium, quo beneficia per Chriſtum parata apprehendimus, quia Maria per fidem beata prædicatur. Deſumptum hoc ex Gen.15.verſ.6. Unde concludit Apoſtolus Gal.3.v.9. qui ergò ſunt ex fide, benedicuntur cum fideli Abrahamo.

5. *Fidei proprietas*, quod ſit manus Chriſtum Salvatorem ſibi in individuo applicans, ut fecit Eliſabetha dicendo Chriſtum ſuum Dominum.

En hæc & alia fidei myſteria ventilantur in Synodo, quam Spiritus Sanctus ſub Exordio N.T. coegit. Noſtrum erit ex verbo Dei colloquia inſtituere, & diligenter cavere, ne ſermo corruptus ex ore noſtrò egrediatur, ſi Spiritus Sancti aſſiſtentiam conſervare velimus, quia cjusmodi verbis otioſis & ſcurrilibus triſtitiâ afficitur, imò planè exturbatur, Eph.4.v.29.30.

De Tertio.

Cantici Mariæ impulſivæ ſunt

I. Animi gratitudo. Quia enim per Eliſabethæ Concionem in fide ſua plurimum confirmata erat, incaleſcit anima, exultat Spiritus, imò omnia viſcera quaſi ebulliunt præ gaudio, ut ſe non poſſit continere, ſed dulciſſimo cantico magnalia Dei prædicat, adeoque gratitudinem ſuam declarat.

1. *Externè*, dum os aperit, vocem attollit,

linguam movet, & laudibus Dei decantandis valdè occupata eſt. Ita prævivit nobis ſuo exemplo. Non patiamur eam ſolam canere, ſed noſtras quoque voces, aliter ac multi multæque ſolent, conjungamus ad præſcriptum Pauli, Eph. 5. v. 19.

2. *Internè*, dum animam & ſpiritum, id eſt, omnes interiores ſenſus & affectus ad laudem Dei celebrandam excitat. Ita non ſimus hypocritæ, canentes ore, & peregrinantes corde, ipſa anima, ipſe ſpiritus, & quicquid intra nos eſt, magnificet Dominum, exemplo Davidis, Pſ. 103. v. 1. ralis decora & jucunda eſt laudatio, Pſ. 147. v. 1.

3. *Supernè.* Audiverat ab Eliſabetha, celebrari ſuam fidem, beata quæ credidiſti; ſuam humilitatem, unde mihi hoc quod mater Domini mei ad me venit? ſuam dignitatem, benedicta tu inter mulieres. Sed illa nihil ex his donis omnibus ſibi arrogat, ſed Deum propter illa glorificat: Ita nos quoque ob dona Dei non ſuperbire, ſed propter illa Deum glorificare debemus. Quid habes homo, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? 1. Cor. 4. v. 7.

Hoc fieri debet ad Exemplum Mariæ

Primò *magnificando.* Magnificat anima mea Dominum. In græco eſt *μεγαλύνει*, quod non abſolute intelligendum eſt, quaſi Deus, qui in ſe & per ſe maximus eſt, à nobis adhuc major fieri poſſit, ſed ſumitur manifeſtativè, ut ſit idem, quod Dei magnitudinem & gloriam admirari, annunciare, deprædicare. Hoc modo Deum magnifacere debemus non ſolùm in rebus ſecundis, ſed etiam in rebus adverſis, ut Iob. c. 1. verſ. 21. Aſſaph, Pſalm. 43. verſ. 26. Paulus, Phil. 3. verſ. 7. 8.

Secundò *exultando.* Exultat ſpiritus meus in Deo meo. Noli gaudere cum mundo in divitiis, deliciis, &c. ſed in Deo, & ſequetur gaudium æternū cum angelis & archangelis, de quo Pſaltes Regius, Pſ. 16. v. 11.

II. *Beneficiorum multitudo*, quæ ſunt

I. Perſonalia. II. Univerſalia.

Perſonalia tria ſunt:

1. *Beneficium gratuitæ exaltationis.* Ait enim, Deum reſpexiſſe humilitatem ancillæ ſuæ. Confert Dei majeſtatem & ſuam vilitatem, ipſe Dominus eſt, ego abjecta ancilla. Fatetur igitur ſe non propter merita ſua, ſed ex mera gratia electam, ut eſſet mater Domini Salvatoris. Proinde inepti ſunt Pontificii qui ex his verbis meritum operum extruere volunt, quaſi Maria per humilitatem ſuam tantam Dei gratiam promeruiſſet, cum tamen illa non loquatur de *ταπεινοφροσύνη*, ſed de *ταπεινώσει*, non de ipſa virtute humilitatis, ſed de ſtatu ſuo miſero & abjecto.

En vos mei, Deus in alto quidem habitat, ſed alta plerunque deſpicit, & humilia reſpicit, Pſ. 113. v. 5. ſeqq. ſi velit reſpicere ſupra ſe, neminem videt, quia ipſe eſt ſummus, Pſ. 83. v. 19. ſi juxta ſe itidem neminem videt quia nemo illi æqualis, Pſ. 35. v. 10. 89. v. 7. Ergò reſpicit infrà ſe ad humilem ſpiritum, Eſa. 66. v. 2. Proinde cum Maria à conſideratione noſtræ miſeriæ laudem Dei ſemper auſpicari debemus, dicentes cum David non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, Pſ. 115. v. 1.

2. *Beneficium perpetuæ prædicationis.* Ecce enim beatam me prædicabunt ex hoc omnes generationes, inquit porrò virgo Maria, quia nimirum concepi in utero virginali eum, in quo omnes gentes benedicendæ

Digitized by Google

cendæ ſunt, Gen. 22. v. 18. Non dicit adorabunt me, quod ſoli Deo competit, Matt. 4. v. 10. ſed beatam prædicabunt. Hunc honorem ipſi debemus, quia ex omnibus mulieribus ſola delecta eſt, ut Meſſiæ mater eſſet. Pontificii non manent in hiſce terminis, ſed ex prædicatione illa adorationem conficiunt, non ſine grandi idololatria. Hinc Epiphanius, qui vixit anno Chriſti 350. ſit in honore Maria. Pater, Filius & Sp. S. adoretur, Mariam nemo adoret, ſoli Deo hoc competit, qui gloriam ſuam alteri non dabit, Eſ. 42. v. 8.

3. *Beneficiũ mirificæ operationis*, de quo canit v. 49. & reſpicit iterum his verbis ad magnum illud opus, quod Angelus Gabriel ipſi annunciaverat, cujus veritatem jam ſatis perſpiciebat, quia ſine læſione virginitatis conceperat, & ipſum Dei filium jam ſub corde geſtabat. Propterea celebrat Dei poteſtatem, quia non erat opus naturæ, ſed Divinæ omnipotentiæ ἐνέργημα. Celebrat etiam Dei ſanctitatem, quia ab Angelo audiverat Luc. 1. verſ. 35. ſanctum quod ex te naſcetur, filius Dei vocabitur.

Videmus inde, quod Deus μεγαλεῖα ſua plerunq; ſoleat expedire per contempta organa, ut laus penes ipſum ſola recumbat. Nos nihil facimus, nihil poſſumus, ſed Dei gratiâ ſumus, quicquid ſumus, 1. Cor. 15. v. 10. ejus enim virtus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. v. 9.

Univerſalia beneficia itidem *tria* commemorat, ut ſunt

I. *Divina clementia,* verſ. 50. Hanc ideò celebrat, quia illa vel maximè in incarnatione filii eluxit, Rom. 5. v. 8. deſcribitur autem

1. *Secundùm longitudinem,* quod duret εἰς γενεὰς γενεῶν, id eſt, in ſeculum. Inde coronæ comparatur, Pſ. 5. v. 13. & ſicut Corona nec initium habet nec finem, ita miſericordia Dei non includitur terminis hujus vitæ, ſed durat in ſeculum, 2. Paral. 5. v. 13. confer Sir. 2. v. 23. Theren. 3. verſ. 23.

2. *Secundum latitudinem*, quod ſuper omnes ſe extendat, qui Deum timent. Nemo hîc excluſus eſt. Miſericordia Dei ſuper omnia opera ejus, Pſ. 145. v. 9. inprimis tamen reſpicit timentes ſe, & miſericordiam ſuam ipſis præſtat. Superbi Phariſæi operum meritis turgentes, ſecuri item Epicuræi, non timentes Dei judicium & in peccatis malitioſè pergentes, miſericordiæ hujus non fiunt participes ſed iram & indignationem experientur ſempiternam, Rom. 2. v. 89.

II. *Immenſa potentia*, v. 51. 52. quam declarat tripliciter:

1. *Superbos diſſipando.* Tales ſunt omnes illi, qui per ſapientiam & ſcientiam ſuam Deum ipſum in verbis & operibus ſuis reformare ſibi præſumunt, & licet convincantur, in opinione præconcepta tamen pertinaciter hærent, & diligunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei, Iohan. 12. v. 43. ſed quid facit Deus? Diſſipat illos, inquit Maria, & ſapientiam illorum confundit, ſicut linguas architectorum turris Babylonicæ, Gen. 11. v. 5. ſeqq. dum ſapientes ſe exiſtimant, ſtulti fiunt, Rom. 1. v. 22. Teſtantur hoc exempla Olympii, Arii, Neſtorii & aliorum, qui mente cordis ſui veritatem Evangelicam oppugnarunt, ſed miſerè omnes interierunt. Ita ſemper contemptibiles reddidit Deus elatos, & tandem deſtruxit, Sir. 10. v. 18.

2. *Tyrannos deturbando.* Hoc Deo eſt longè facilimum. Fecit ſæpe, ut docet exemplum Pharaonis, Sennacherib, Nebucadnezaris, &c: Facit adhuc, ut teſtatur

experientia. Non confringit ſedem, quia magiſtratus officium bonum & ab ipſo Deo ordinatum eſt, Roman. 13. verſ. 1. ſed eos qui abutuntur poteſtate ſibi conceſsâ, de ſede deponit, & alios in ipſorum locum evehit, eſt enim Dominus, qui Reges removet, & Reges conſtituit, Dan. 2. v. 21. qui dominatur ſuper regna hominum, & dat illa cuicunque voluerit, Dan. 4. v. 22.

3. *Humiles exaltando.* Si quis humilitatem ſuam agnoſcit, & in timore filiali ſe coram Deo humiliat, adeoque omnia bona, quæ habet & poſſidet Deo unicè adſcribit, hunc Deus exaltat ſuo tempore, ut docet exemplum Ioſephi, Moſi, Davidis, Eſther, Danielis, &c. Hoc eſt quod David etiam prædicat, Pſ. 113. v. 8. 9.

Jactent igitur hoſtes noſtri ſua brachia. Nos Deum habemus à latere, qui brachium habet fortius, quo inimicos noſtros diſpergit, Pſ. 89. v. 11.

III. *Spiritualis beneficentia*, quâ

1. *Famelicos ſaturat*, illos nimirum, qui Spiritu pauperes juſtitiam eſuriunt & ſitiunt Matth. 5. v. 3. 6. Hos ſaturat cœleſti manna Evangelii & vivificæ conſolationis, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Ioh. 10. v. 11. qui verò divites ſunt in oculis ſuis, & indigentiam ſuam non agnoſcunt, illos Deus inanes dimittit, Apoc. 3. v. 17. nam qui non habet, & quod putat ſe habere, auferetur ab eo, Luc. 8. v. 18. in vacua vaſa oleum gratiæ infunditur, 2. Reg. 4. v. 6.

2. *Lapſos ſublevat.* Nam ſuſcepit, inquit, Iſrael puerum ſuum, ut memor eſſet miſericordiæ. Per Iſraelem intelligitur Eccleſia quæ tum temporis ferè collapſa erat, propter corruptelas Phariſæorum pauci admodum erant, qui regni Chriſti modum rectè intelligebant, & hi maximam partem latebant in domo Zachariæ, unde apparet, Eccleſiam ſæpe in anguſtias redigi, ut fiat grex puſillus, Luc 12. verſ. 32. ſed non derelinquitur tamen à Domino. Ipſe eſt, qui Eccleſiam collapſam ſemper reſtauravit, & Iſraëlem puerum ſuum per Chriſtum tum temporis ſuſcepit, dum lapſuro manum quaſi porrexit ad erigendum, ut græcum vocabulum ἀντιλαμβάνεσθαι hanc emphaſin importat. Ipſe etiam eſt, qui adhuc Eccleſiam ſuam contra omnes portas inferorum defendit, & defendet ad conſummationem ſeculi, Matth. 16. v. 18.

3. *Promiſſionem roborat.* Ita enim Maria concludit hymnum ſuum: Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham & ſemini ejus in ſecula. Reſpicit his verbis ad promiſſionem Abrahæ factam, & poſteà omnibus Patriarchis repetitam, de benedicto ſemine. Hanc dicit impletam eſſe in miſſione Filii, & proinde veritatem DEI celebrat, quam in æternum ſervat, Pſalm. 146. v. 6. Nec enim obliviſcitur ſuarum promiſſionum, ſed vegetam habet memoriam, ſervat, quod promiſit, implet, quod prædixit, Eſ. 46. v. 29. Impoſſibile eſt ipſum mentiri, Ebr. 6. verſ. 18.

Confide igitur promiſſionibus divinis, & noli abjicere animum, quando differuntur, veniens veniet, & non tardabit, Hab. 2. v. 3.

Veritas ejus tandem nos deducat
in vitam æternam,
Amen.

In Die

In Die S. Jacobi.

Evangelium Matth. 20. verſ. 20. 23.

CElebrat hodie ſancta mater Eccleſia memoriam ſancti Jacobi, qui natus eſt Patre Zebedæo, matre verò Salome, quæ germana fuit Ioſephi, Sponſi Mariæ Deiparæ. Fratrem habuit Johannem Evangeliſtam, & dictus eſt cognomento major, ad differentiam Jacobi minoris ſive Alphæi, Matth, 10. v. 3. idque vel ratione ætatis, vel ratione ſtaturæ, vel etiam ratione vocationis ad Apoſtolatum, quâ Jacobum alterum anteceſſit. Fuit prius piſcator, ſed poſteà ad Apoſtolatum & hominum piſcaturam una cum Iohanne vocatus, Matt. 4. v. 21. 22. Luc. 5. v. 11. & ad illuſtriora miracula, ſecretioresque actiones, præ aliis adhibitus eſt. Confer Matth. 17. v. 1. Marc. 5. v. 37. Matth. 26. v. 37. Interim homo fuit, & non ſolùm de regno Chriſti terreno ſuum habuit ſomnium, unde hîc primatum per matrem affectat: ſed etiam, privatæ vindictæ cupiditate percitus, ultionem ingratorum Samaritanorum medicatur, Luc. 9. v. 54. ſeqq.

Poſt acceptum in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum in Iudæa præcipuè & Samaria Evangelium docuiſſe perhibetur. Beda ſcribit, ipſum etiam in Hiſpaniam abiiſſe, ſed, cum exilem laboris fructum ibi animadverteret, in Iudæam reverſum eſſe, ubi tandem anno Chriſti 45. ab Herode Agrippa in gratiam Iudæorum gladio interfectus eſt, Act. 12. v. 2.

Quod Evangelium concernit, cujus explicationem veneranda antiquitas ipſius memoriæ conſecravit, duabus illud partibus abſolvitur, ut ſunt:

I. *Matris petitum.*
II. *Chriſti reſponſum.*

J. J.

EXEGESIS.

DEmoſthenes, Athenienſium Orator, dixiſſe fertur, ſi quis duplex iter, quorum hoc ad mortem, illud ad imperium, aliosque mundanos honores, viatorem deduceret, mihi oſtendens, alterutrius eligendi poteſtatem faceret, prius potius, quod ad mortem, quàm poſterius, quod ad honores deduceret, ineundum eligerem. Ita non affecti ſunt Iacobus & Iohannes, qui matrem ſubornant, ut προκαθεδρίαν ſive ſummam in regno Chriſti præeminentiam ipſis ſupplicando impetrare ſtudeat.

Deſcribitur enim

I. *Supplicantis perſona*, quæ mater dicitur filiorum Zebedæi, quos ſecum Chriſto adduxit, Marcus expreſsè Iacobum & Iohannem addit, cap. 10. verſ. 35. Sollicitudo hæc materna, quam erga filios declarat, eſt

1. *Laudabilis*, Hoc enim incumbit piis parentibus, ut de liberorum ſalute ſolliciti proſpiciant ipſis

1. *In Spiritualibus*, Eph. 6. v. 4. Coloſſ. 3. v. 21. 2. Tim. 1. v. 5. 3. v. 15.

2. *In corporalibus*, 1. Tim. 5. v. 8. 2. Cor. 12. verſ. 14. Gen. 24. verſ. 4. ſeqq. Hæc eſt optima procurandi liberos ratio, de qua

quid

quid doceat etiam Siracides, vide cap.30. v. 1.ſeqq.

2. *Deteſtabilis ſeu culpabilis.* Nam in ſcopo errat Salome, dum feliciſſimè liberis ſuis proſpectum putat, ſi in regno Chriſti ad ſummos ipſos honores promovere poſſit. Tales parentes adhuc hodie multos invenies, qui de magna opum vi ſuis liberis maturè proſpiciunt, quomodo autem boni fiant & pii, ne ſemel quidem cogitant, ſed ad peſſima quæq; ſcelera ipſis connivent, ſicut Eli, 1.Sam.3. verſ.13. Simiis æquales, quæ fœtum ſuum nimis exoſculando enecant. Sapientia pauperis evehit illum, & ad Principum latus ponit, inquit Siracides, cap.11. verſ.1. Hoc non credunt parentes ejusmodi, ſed, neglectis bonis artibus, *in Galliam ſuos filios ablegant*, ut levitatem addiſcant: *vel ad aulas Principum promovere ſtudent*, & ſi hunc præfixum ſcopum contingere poſſint, ſe beatos prædicant. Sed *exeat aulâ, qui volet eſſe pius*, inquit Poëta, quod germanicè ita efferri ſolet: Lang zu Hof / lang zur Hölle. *Ad ſcholas igitur potius deducant liberos ſuos*, quàm ad aulas, exemplo Hannæ, 1.Sam.2. v.22.ſeqq. & Davidis, 2.Sam.12.v.25.

II. *Supplicandi forma.* Nam προσῆλθεν αὐτῷ προσκυνοῦσα, inquit Evangeliſta, acceſſit ad eum adorans, & petens aliquid ab eo, quibus verbis indicatur

1. *Geſtuum decentia*, quâ ſuam reverentiam declaravit. Idem nos, preces facturi, obſervare debemus. Hoc fecit Abraham, Gen.18. verſ.3. præcepit David, Pſalm. 95. v.6. ſuo exemplo comprobavit CHRISTUS, Matth.26. verſ.39. Luc. 22. verſ. 41. Superbi enim Deo non placent, ſed humilium deprecationem ſuſcipit, Iudith.9. verſ.16.

2. *Animi confidentia.* Quia enim ſoror erat germana Ioſephi, Curatoris Chriſti, id ſibi ſumit audaciæ, & Chriſtum recto pede accedit, non metuens repulſam, propter ſanguinis propinquitatem, quâ Chriſto cum filiis ſuis conjuncta erat. Eodem modo nos quoque orare decet, quia Chriſtus eſt frater & conſanguineus noſter, Ebr. 2. v.14.ſeqq. c.4.v.16.

3. *Supplicationis materia.* Poſtquam enim CHRISTUS quærit: Quid vis? Non quaſi ignoraret, ſed ut reſpondere compulſa ulcus ſubaperiat, quod ſanare CHRISTUS intendebat, notante Chryſoſtomo, explicat deſiderium ſuum, & dic, inquit, ut ſedeant iſti duo filii mei, unus ad dextram tuam, & alter ad ſiniſtram tuam in regno tuo. Quibus verbis primatum conſeſſus in regno Chriſti terreno pro filiis ſuis à Chriſto petit, ut alter Proregis, alter Cancellarii vicem gerat, nec alius quiſquam hoc in caſu ipſos antevertat.

Diſcimus hîc exemplo Salomes & filiorum ejus, quàm terrum ſit vitium *ambitio.* Hæc una ſiquidem efficit, ut nemo ſua ſorte contentus eſſe velit, ſed

Id, quod habet numeret tantum, quod non habet, optet:

& plus ultra tendat, dum capillis illicitarum concupiſcentiarum in quercu perditionis hæret, 2.Sam.18. v.9. Proximior Jovi, proximior fulmini. Ergò in manſuetudine opera tua perfice, hoc ſuperat omnia, quæ ab hominibus diliguntur, aut deſiderantur. Quantò major es, eò magis humilia te in omnibus, & coram Deo gratiam invenies, &c. Sir.3. v.19. ſeqq.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisque manere ſuam.

DE

De Secundo.

Vidimus matris petitum, videbimus etiam *Chriſti reſponſum*, quod eſt

I. *Reprehenſorium.* Nam exprobrat ipſis ſtultitiam ſive inſcitiam ſuam, quod, quæ & qualia petant, ignorent. Neſcitis, quid petatis. Neſciebant utique regni Chriſti conditionem, quod de hoc mundo non erat, Johan. 18. verſ. 36. Neſciebant officii ſui rationem, quod in docendo, non in politica dominatione conſiſtebat, Lucæ 22. verſ. 25.

Ita nos quandoq; aliquid petimus à Deo, ſed neſcimus, quid petamus, ideò nihil accipimus. Iac. 4. v. 3.

Multi petunt, ſed *abſque intelligentia*, Matth. 6. verſ. 7. Illi neſciunt, quid petant: Nam in Spiritu & veritate orationem ſuam perficere debebant, Joh. 4. v. 23. aliàs fruſtrà Deo ſerviunt, Eſ. 29. v. 13.

Multi petunt, ſed *abſque pœnitentia.* Hi neſciunt, quid petant. Nam peccatores DEUS non exaudit, Johann. 9. verſ. 3. ſed oratio ipſorum eſt abominatio, Prov. 28. verſ. 9.

Multi petunt ſed *abſque confidentia.* Hi neſciunt, quid petant, proinde nihil accipiunt, Iac. 1. verſ. 6. 7. Sine ira enim & hæſitatione manus ad Deum ſunt elevandæ, 1. Tim. 2. verſ. 8.

Multi petunt, ſed *abſque reverentia*, ut Phariſæus ille, Luc. 18. v. 11. ſeqq. Hi iterum neſciunt, quid petant, proinde nihil accipiunt, nam ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, 1. Petr. 5. v. 5.

Multi denique petunt, ſed ſine *differentia*, non attendentes, quod aliter bona ſpiritualia, aliter bona corporalia à Deo petendæ ſint. *Corporalia cum conditione*, ſi Deus velit, & ſaluti noſtræ conveniat, quod petimus. *Spiritualia verò ſine conditione*, quia de illis non eſt dubium, quod ad ſalutem nobis conducant, & DEUS etiam ſine conditione nobis ea promiſit. Hinc vult CHRISTUS in Oratione Dominica, quod ante petitionem panis quotidiani dicere debeamus: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, ita & in terra. Qui diſcrimen hoc non obſervat, neſcit, quid petat, & non exauditur, quia non petit ſecundùm voluntatem Dei, 1. Joh 5. v. 14.

Inſerviat hoc noſtræ conſolationi, quando non ſemper exaudimur ad noſtram voluntatem. Deus eſt Pater noſter, & melius novit, quid nobis, liberis ſuis, utile vel inutile ſit. Si ergò non ſemper dat, quod petimus, cogitemus cum Auguſtino, dabit id, quod eſt utilius, & ſortem noſtram manibus ipſius in ſolidum committamus, ipſe faciet, Pſal. 37. v. 4.

II. *Interrogatorium.* Nam, ut monſtret ipſis petitionis ſuæ vanitatem, & ſimul ab iſta dominandi cupiditate, quâ faſcinati erant, eos avocet, quæſtionem inſtituit, &, poteſtisne, inquit, culicem bibere, quem ego biviturus ſum, & baptiſmate baptizari, quo ego baptizor. Quæ verba allegorica ſunt, & duplici metaphorâ crucem & calamitatem fidelium adumbrant:

I. *Sub imagine Potionis*, quam Medicus ægroto propinat. Illa quidem ingrata eſt propter amaritudinem, ſed quia tamen ad ſanitatem recuperandam inſervit, amaritudo non curatur: Talem calicem Deus omnibus Chriſtianis propinat exhauriendum, Pſalm. 75. verſic. 9. Hinc infundit *vinum tribulationis*, Pſalm. 60. verſ. 4. illi vinum lene, & caſtigat ipſum in judicio, ne

Digitized by Google

videatur ſibi innoxius, Ierem.30. verſ.21. Iſti *vinum abſynthium*, & cum ſpiritualibus ipſum tentationibus confligere permittit, ut David expertus eſt, Pſ.38. Aliis propinat *calicem vino rubro plenum*, ex quo B. Martyres biberunt, Apoc.12. verſ.11. Alios *felle* potat, Thren.3. v.19. alios lachrymis, Pſalm.80. v.6. Quicquid igitur tibi Deus infundit, audacter bibe, nihil tibi nocebit, ſed operabitur

1. *Fidei probationem.* Sicut enim Magnates, exploraturi ingenium ſuorum miniſtrorum, pocula frequentant, tunc eſt in lingva ebrii, quod erat in corde ſobrii, ut dicitur in proverbio: Ita Deus quoque probat ſuos fideles per calicem tribulationis, &c. Eſ.28. v.19. Sir.34. v.10.

2. *Chriſti conformationem.* Hauſtus vini mutat colorem hominis, & genas pingit amicabili rubore: Ita, ſi quis ex calice tribulationis bonum hauſtum traxerit, mutationem coloris brevi experietur, id eſt, vitam ſuam emendabit, & quod ſibi adhuc vivendo ſupereſt, in quiete & juſtitiâ, Deo placente, transiget, 1.Petr.4. verſ.2. Ita fiet, ut, quemadmodum hîc ſtigmata Chriſti in corpore noſtro portamus, Galat.6. v.17. in revelatione gloriæ ejus gaudentes exultemus, 1.Petr.4. v.12.13.

3. *Carnis mortificationem.* Sicut enim is, qui modum exceſſit in bibendo, omnem appetitum amittit, & ad olfactum etiam cibi & potus nauſeat: Ita calix tribulationis laſciviam carnis reprimit, & frenat quaſi, ut obliviſcentes quæ retrò ſunt, extendamus nos ad ea quæ priora ſunt, Phil.3. v.13. nam qui in carne patitur, deſinit à peccatis, 1.Pet.4. v.1.

Hæc omnia faciunt *ad excitandam noſtram ſub cruce patientiam.* Quid horres? *Calicem vides*, non urnam, non cupam, non dolium. Dimenſum hauſtum vides, quem facilè evacuare potes. Adhæc *Deus qui infudit, fidelis eſt*, & neminem ultra vires tentari permittit, 1.Cor.10. v.13. *Chriſtus prægustavit calicem* hunc, & mucorem iræ divinæ, qui ſupernatabat bibendo ſuſtulit, quod ſupereſt in medio vinum optimum & puriſſimum eſt. *Neque ſoli ſumus*, quibus hic calix propinatur, omnes fideles ab origine mundi in præſentem uſque horam ex eo biberunt, bibunt adhuc, & bibent in poſterum ad finem uſque ſeculi, eadem ſors eſt omnium Chriſtianorum, 1.Pet.5. v.9. videtur tibi portio hæc amara, quæ lachrymas exprimit? cogita, quod nemo piorum ſine fletu & lachrymis unquam ex hoc calice biberit. Quid igitur mirum, ſi tu quoque lachrymas profundis? Hoc autem firmiter tibi perſuade, quod omnis diſciplina quidem in præſenti non videtur eſſe gaudii ſed mœroris, poſteà autem fructum tranquillum juſtitiæ reddet exercitatis per eam, Ebr.12. v.11.

II. *Sub imagine lotionis.* Quando aliquis in contumeliam ſuffunditur aquâ. Hic eſt baptiſmus tribulationis, quem Chriſtus in paſſione expertus eſt, Luc.12. verſ.50. & adhuc omnes ejus genuini diſcipuli experiuntur, quando aquæ intrant uſque ad animam, & in altitudinem maris cum Davide demerguntur, Pſ.69. v.2. ſeqq. conf. Pſ.18. v.17. 32. v.6.

Quemadmodum enim baptiſmus quandoque idem eſt, quod lotio, quâ nemo carere poteſt, Marc.7. v.4. Ita crux omnibus Chriſtianis communis eſt, 2.Tim.3. v.12.

Infantes in primitiva Eccleſia toto corpore in aquam demergebantur & ſine damno extrahebantur: Ita toti aliquando in

pro

profundum aquarum tribulationis à Deo conjicimur, ubi abyſſus abyſſum invocat, Pſalm. 42. verſ. 8. & nihil niſi mors nobis ob oculos verſatur, exemplo diſcipulorum, Matth. 8. v. 25. ſed liberatio tamen oportuno tempore ſequitur, Pſ. 91. v. 15.

Qui aquis immergitur, totis viribus reluctatur, ut rurſum emergat: Ita ſub cruce media arripimus, quibus eluctari poſſimus. Præcipuum eſt oratio: ſicut enim neceſſitas docet natare: ita neceſſitas etiam docet orare, Eſa. 26. v. 16.

Qui aquis immerſi madeſiunt, poſtea extracti & Soli expoſiti facilè exſiccantur: Ita baptiſmo crucis immerſi non ſubmergimur, ſed extrahimur rurſus & refocillamur. Nam poſt nubila Phœbus, Tob. 3. v. 23.

Videte vos mei, quomodo omnes veri Chriſtiani duplici baptiſmo opus habeant lucis & crucis. Quod ſi igitur poſteriori baptiſmo etiam quandoque baptizaris conſolare te, quod priori etiam baptizatus & Chriſto inſertus es, ibi nomen tuum in cœlo ſcriptum eſt, Luc. 10, v. 20. quod neque tribulatio, neque mors, neque Satanas unquam delere poterit, Rom. 8. v. 35.

III. *Informatorium.* Poſtquam enim reſpondent: *Poſſumus*, & ita ſibi extra periculum admodum videntur fortes, ſuamque incogitantiam produnt, levi pendentes afflictiones & pericula, quæ & Domino & ipſis imminebant, corrigit illos, & calicem meum, inquit, bibetis, & baptiſmate quô ego baptizor, baptizabimini, at ſedere à dextris & ſiniſtris meis non eſt meum dare, ſed quibus paratum eſt à patre meo. Hæc eſt finalis reſponſio ad diſcipulorum poſtulatum, quâ perſpicuè declarat, paratam quidem eis certam afflictionum menſuram in hoc ſeculo, ita ut poculi & baptiſmatis tribulationum Domini ſui futuri ſint participes. Ut autem illorum alterum ad dextram, alterum ad ſiniſtram collocet in terreno aliquo regno, quale ſibi imaginentur, id verò ſe in mandatis à Patre non habere, ſed iis competere hujuſmodi terrenas dignitates, quibus pater cœleſtis illas deputaverit: Suis verò diſcipulis & Apoſtolis eſſe demandatum munus longè aliud, quod non in dominatu politico, ſed in eccleſiaſtico miniſterio conſiſtat. Sunt verba D. Hunnii.

Monſtrat igitur loco προκαθεδρίας, quam flagitabant:

1. *Gloriæ conſequendæ rationem*, quæ per anguſta ducit ad auguſta, non per auguſta ad anguſta. Nemo enim poteſt gaudere in utroque ſeculo, inquit Auguſtinus. conf. Luc. 6. v. 21. Act. 14. v. 22.

Volebant hi diſcipuli ad dextram & ſiniſtram Chriſti ſedere in regno aliquo terreno: Sed ipſe contra crucis calicem ipſis propinat, & de baptiſmate paſſionis & tribulationis concionatur: Ita nemo ſibi imaginetur, quod in terrena felicitate dies ſuos in hoc mundo ducere velit, vincula & tribulationes ubique nos manent, Act. 20. verſ. 23. confer Iob. 7. v. 9. 2. Cor. 7. v. 5. hoc incipit ab utero, & durat in ſepulchrum, Sir. 41. v. 1. pugnandum igitur & decertandum eſt, nemo coronatur, niſi qui rectè pugnavit, 2. Tim. 2. v. 5.

2. *Officii ſui determinationem.* Nam expreſſè ait: Sedere ad dextram meam, & ad ſiniſtram meam non eſt meum dare: His verbis abutuntur Calviniani ad impugnandam majeſtatem Chriſto homini per unionem perſonalem communicatam, ſic inferentes: Si Chriſtus ut homo non habet poteſtatem dandi quod petitur, non habet omnem poteſtatem in cœlo & in terra, & proinde locus

Digitized by Google

Matth. 28. v. 18. de ſola divinitate intelligendus eſt. Sed verba ſunt accipienda ſecundùm ſubjectam materiam de primatu conſenſus in regno terreno, cujus certè diſtributio ad officium Chriſti non pertinebat. Ut taceam quod tum, cum hæc diceret, in forma ſervi Chriſtus erat, & in ſtatu exinanitionis, ubi communicatæ majeſtatis uſum verè evacuavit, Phil. 2. v. 7.

Interim hoc loco Epilogi notandum eſt. Quemadmodum Chriſtus in mandatis non habebat à Patre, ut officia mundana inter ſuos aſſeclas diſtribueret: Ita nec ullum ex Apoſtolis ſuis ad hanc ſublimitatem evectum voluit, ut vel ipſe regnaret in modum Principum atque Regum hujus ſeculi, vel aliis regna hujus mundi conferret ac diſtribueret. Dixit enim apertè: Sicut me miſit Pater: Ita & ego mitto vos. Jam verò Pater non miſit Chriſtum, ut invaderet regna hujus mundi, & politicam adminiſtrationem populorum ac gentium tractaret. Quare nec ipſe Apoſtolos ſuos eo miſit & ordinavit modo. Unde colligimus, quod Papa nullo jure hanc poteſtatem ſibi vendicet tractandi utrumque gladium politicum ſimul & eccleſiaſticum, diſtribuendi provincias & regna terræ, quo ſe non Chriſti Vicarium, non Petri ſucceſſorem, non Apoſtolorum hæredem, ſed Antichriſtum eſſe probat, cujus propria nota hæc erat futura, ut his qui Deum ſuum Maozim firmarent, conferret gloriam multam, & terram inter eos diſtribueret, Daniel, 11. verſic. 39. Hic finis eſto per JEſum Salvatorem noſtrum, Amen.

In Die S. Bartholomæi.

Evangelium Luc. 22. verſ. 24. 30.

GEneſ. 39. verſ. 12. commendatur Joſephus, quod heræ ſuæ lenociniis ad laſciviam ſollicitatus pallio illius in manibus relicto fugâ ſibi conſuluerit, ne adulterio ſe pollueret, fidemq; hero datam ſanctam inviolatamque conſervaret.

Sed Bartholomæum videte dilecti, cujus memoriam hodie S. mater Eccleſia celebrat, quia in ſacris paginis Apoſtolorum numero accenſetur. Is mundi perſecutionibus infeſtatus non pallium ſed propriam pellem in tyrannorum manibus reliquit, ne fortè in idololatriam, quæ ſpiritualis quædam fornicatio eſt, prolaberetur & Domino ſuo ac Magiſtro Jeſu CHriſto fidem integram & intemeratam ſervaret.

De origine & proſapia ejus nil certi conſtat. Petrus de natalibus è regia ſtirpe ipſum oriundum fuiſſe jactat, ſed dubia fide. Poſt effuſionem Spir. Sanct. viſibilem in die Pentecoſtes Evangelium prædicavit in India, ubi filiam Polymnii à Diabolo liberavit, & per hoc miraculum ipſum cum conjuge ad Chriſtianam fidem convertit. Sed ægrè tulerunt hunc Evangelii ſucceſſum Sacerdotes Aſſaroth & Berith, quibus idolis homines iſti ſerviebant, & accuſarunt Bartholomæum coram Aſtyage, qui fuſtibus verberatum excoriari juſſit, Anno Chriſti 80.

Nos ſine ulteriori præloquio ad ordinariam Evangelii pericopen deſcendemus, quæ duobus membris abſolvitur, ut ſunt

I. Lit-

I. Litigatio.
II. Placatio.

J. J.

EXEGESIS.

INter ſuperbos ſemper ſunt jurgia, inquit Salomo Prov.13. v.10. quod comprobatur exemplo Apoſtolorum. Quia enim ſuperbos alebant ſub piſcatorio pallio cogitationes, & quilibet primatum in regno Chriſti, quod ſibi mundanum fore imaginabantur, aſpirabat, ad contentiones tandem res delabitur. Nam facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maximus, inquit Evangeliſta. Damnabilis certè litigatio, ſi ſpectes

I. *Temporis impertinentiam.* Nam ut patet ex præcedentibus, orta eſt Hieroſolymis in cœnaculo eo ipſo temporis momento, quo propter perceptæ S.S. Euchariſtiæ Sacramentum, & inſtantem Chriſti paſſionem, de qua multis jam ipſis concionatus erat, devotionem ſuam conteſtari debebant, verſ.19.20.21.22.

Unde apparet

1. *Diaboli hoſtilitas*, qui eo tempore omnium maximè nobis inſidiatur, quando vel ad ſacram cœnam nos præparamus, vel poſt præparationem, quod in votis habebamus, effectum dedimus, ut devotionem noſtram impediat, vel in peccata quibus valediximus, nos iterum præcipitet: Hoc eſt Diaboli ſtudium, quo occupatur unicè, Job.41.v.13.

2. *Hominum perverſitas*, qui ſpiritualia nimis ſomnolenter tractant, & in medio curſu deficiunt. O quàm multi inveniuntur hodie, qui ab uſu S. cœnæ ſtatim revertuntur ad volutabrum peccatorum, & vel popinas viſitant, vel in choreis decurſitant, vel blaſphemias in Deum evomunt, & aliis peccatis ſe contaminant. Tales non ſunt verè Chriſtiani, ſed ad ſues & canes qui foris ſunt pertinent, 2.Pet.2.v.22.

II. *Perſonarum eminentiam.* Nam Apoſtoli ſunt, qui litigationem hanc incipiunt, & perſequuntur, neglectâ admonitione, quam paulò ante de mutuo charitatis affectu Dominus inſtituerat.

Eandem cum Apoſtolis ſortem experiuntur ſancti ad unum omnes quamdiu hoc corpus peccati circumferunt, Rom.7.v.19. confer Job.15.v.14.15. Pſal.143.v.2. Pſal.32.v.6. Matth.6.v.12.

Non igitur ſimus ſecuri, ſed in timore & tremore ſalutem noſtram operemur, Philip.2.v.12. Lapſus majorum ſit tremor minorum, inquit Auguſtinus. Interim hoc agamus, ut lapſu aliquo præoccupati per pænitentiam ſtatim reſurgamus, & carnis actiones per ſpiritum mortificemus, Rom. 8.v.13. ne petulanter & ex propoſito peccemus, talibus enim non relinquitur pro peccatis hoſtia, Ebr.10.v.26.

III. *Contentionis vehementiam.* Dicitur enim inter ipſos facta φιλονεικία, unde ſequitur, quod non ſimpliciter verbis alternis ſinguli cauſæ ſuæ juſtitiam defendere conati ſint, ut in placidis diſputationibus fieri ſolet, ſed intempeſtiva procul dubio æmulatio concertantium animos ita exſtimulavit, ut omnia concitatis clamoribus impleverint, & quilibet aliquam ſibi prærogativam præ cæteris aſſignare & vindicare allaboraverit.

Iſta contendendi de qualibet re nihili prurigo multos invaſit. Sed pugnat contra Chriſtianiſmum, vide 1.Cor.13. v.4. ſeq. Eph. 4. v.2. Simus manſueti ad exemplum Chriſti, Matt.11. v.29. Abrahami & Lothi,

Digitized by Google

Geneſ.13. v. 8. ſic multa peccata vitabimus, Sir.28.v.10.

IV. *Materia peſtilentiam.* Nam de primatu contendunt, quis Pontifex inter ipſos & cæterorum Dominus futurus eſſet. Unde videmus, quamdiu Satanas nobis incubuerit, dum Antichriſtus natus eſt. Hic Domino adhuc præſente tentat Apoſtolos, ut de primatu litigent, id quod pluries antehac ab ipſo factum, Matth.18.v.1. 20.verſ.20. Ibi monſtrum hoc conceptum eſt, de cujus libidine dominandi Daniel.cap.12. vaticinatur. Conſentit Paulus 2.Theſſ.2.v.7. ubi clariſſimè ait: myſterium jam operatur iniquitatis, ſicut fœtus in utero motu indicat, quod vitam acceperit. Similem motum vel potius exultationem hujus maledicti fœtus experta eſt Eccleſia Anno 196. Ubi victor Epiſcopus Romanus omnes Aſiaticas ob jejunii & paſchatis diverſitatem anathemate percuſſit, ſed cauſa principalis erat, quod ipſi præeminentiæ faſtigium, quod ambiebat, concedere nolebant. Succeſſit Conſtantini Imperatoris donatio, qui multas Baſilicas extruxit, & munificentiſſimè dotavit, unde Epiſcopi & Eccleſiæ Doctores impinguati & incraſſati relinquerunt Deum factorem ſuum, & pro fatuo habuerunt petram ſalutis ſuæ, Deut.32. v.15. quâ occaſione via ad Papatum quaſi ſtrata eſt, & Antichriſtus in lucem prodiit, eo tempore, quo vox audita eſt de cœlo: Hodie venenum infuſum eſt Eccleſiæ. Poſteà An. Chriſti 607. Bonifacius III. primatum, qui hactenus in medio poſitus erat, Phocæ Cæſaricidæ autoritate ſibi arrogavit, & Epiſcopus Oecumenicus ſive univerſalis omnium Eccleſiarum appellati voluit. Ibi Antichriſtus virilem ætatem conſecutus eſt, & ſuperbiam, avaritiam & tyrannidem ſuam magnâ audaciâ continuavit, dum tempore Lutheri ad ſenectam pervenit, quæ ipſa morbus eſt, & vires conſumit, quas Jeſuitæ quidem & alii fideles ſubditi in regno Antichriſti variis adhibitis medicamentis reſtaurare tentant, ſed fruſtrà, quia tempus imminet, quo Chriſtus ipſum interficiet ſpiritu oris ſui, 2.Theſſ.2. verſ.8.

Eluceſcit autem ex hac contentione

1. *Apoſtolorum ignorantia*, quod non intelligunt conditionem regni CHriſti, in quo magis crux quam politicum regimē locum habet, Matth.16.v.24. Luc.14.v.27. Act.14. v.22. 2.Tim.3. v.12. Hoc Apoſtolis non arridebat, hinc quicquid Chriſtus dicat, opinionem ſuam præceptam de regno terreno mordicus tenent, & omnia ipſius verba juxta imaginationes cerebri ſui interpretantur. Ita nos omnes affecti ſumus non cogitantes illud Ebr.12.verſ.11. confer Jac.5. v.7.ſeqq.

2. *Apoſtolorum arrogantia.* Erant iſti homines à piſcatoria fece & arena ſelecti ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium; nihilominus eo ſtatu non ſunt contenti, ſed cogitationibus ſuis altius evolant, & primatum ambiunt. Ita ſub pertuſo & ſordido nonnunquam pallio ambitio latet. O teterrimum vitium, in quo omnis perditio initum ſumpſit, Tob.4.v.14. probant exempla lapſorum Angelorum, Protoplaſtorum, Core, Datan & Abirami, Abſolonis, Hamanis & aliorum. Nolite ergò vos mei, aliquid facere per inanem gloriam, &c. Phil.2.v.3.4. Deus enim reſiſtit ſuperbis, 1.Pet.5.v.5.

De Secundo.

FUit Apoſtolorum litigatio, ſuccedit à CHRiſto inſtituta placatio, quæ tribus conſtat argumentis. Nam conſiderandam ipſis proponit 1. Re-

Google

I. *Regni ſui diſcrepantiam.* Reges gentium, inquit, dominantur, & qui poteſtatem habent, benefici vocantur, vos autem non ſic. Quibus verbis omnem dominatum politicum diſcipulis ſuis derogat, ex hoc fundamento, quia inter regnum ſuum, & inter regna mundi ingens eſt diſcrepantia. Quanquam enim Chriſtus Rex eſt, tamen regnum ejus non eſt de hoc mundo, Joh.18.v.36. nec venit miniſtrari, ſed miniſtrare, Matth.30. v.28. ideoq; regnum mundanum fugit, Johan.6.verſ.15. Quid facit igitur Romanus Pontifex, quando tollit iſtam diſcrepantiam, & duos gladios uſurpat politicum & Eccleſiaſticum? Chriſtus non ſic! Apoſtoli non ſic! Eorum ſucceſſores in primitiva Eccleſia non ſic! Antichriſtus igitur eſt, qui ſe hoc modo effert, 2.Theſſ.2.v.4.

Interim confirmatur his verbis Chriſti, magiſtratus politici

1. *Honos*, vide Rom.13.v.1. Pſal.82.v.6. Exod.22.v.28. 1.Petr.2.v.13.14. Sap.6.v.5. Reſultat hinc

1. *Conſolatio pro piis magiſtratibus*, contra Anabaptiſtarum & quorumcunque aliorum fanaticorum calumnias, ac ſi in regimine politico viventes Deo non ſint accepti, aliud probant exempla, Matth.8.v.9. Luc.23.v.50. Joh.4.v.47. Actor.13.v.12.

2. *Exhortatio*, ut ſubditi obediant magiſtratui tanquam ordinationi Dei, Rom.13. v.1. & pro ſalute ipſius deprecationes inſtituant, hoc ęquum & juſtũ eſt, 1.Tim.2.v.2.3.

2. *Onus*, quod duobus verbis hîc à Chriſto exprimitur, quorum alterum eſt dominari, alterum beneficum dici. Conſiſtit igitur magiſtratus politici officium

1. *In dominandi rectitudine*, ut malos puniant, & bonos defendant juſta ſeveritate, Prov.20.v.30. citra munerum & perſonarum reſpectum, Exod.23.v.8. citra commiſeratione͂, Deut.19.v.13. citra cunctationem exemplo Davidis, Pſal.101.v.9. ut audientes cæteri timorem habeant, Deut.19.v.20. qui in hac parte officium ſuum non exequuntur, Deum ad iram commovent, & pœnas experientur, Eſ.9.v.14. 1.Reg.20.v.42.

2. *In juvandi promptitudine*, ne ſint nimis moroſi erga ſubditos ut Rehabeam, 1.Reg. 12.v.14. ſed nomen εὐεργετῶν tueantur, & patienter audiant pauperes & parvos, Deut.1. v.17. nam miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & clementia thronus ejus roboratur, Prov.20.v.28. Caveant etiam, ne rapinis, exactionibus, & oneribus nimiis ſubditos deglubant, hoc boni paſtoris non eſt, ut Tiberius olim dicere ſolebat, & graviſſimã pœnam meretur, Mich.3.v.3.4. ſed exemplum Jobi ſibi imitandum proponãt, Job.29.v.12. ſeqq. & 31.v.7. ſeqq. non etiam ſint nimis juſti, Eccl.7.v.17. nam ſumum jus ſuma injuria, ſed pro circumſtantiarum ratione quandoque remittant, Eccl.10.v.4. qui enim nimiũ emungit, elicit ſanguinem, Prov.20.v.33.

II. *Exempli præſtantiam*, v.27. hoc modo: Ego ſum Magiſter & Dominus veſter, vos diſcipuli & miniſtri: Nihilominus ita me humiliavi, ut pedes veſtros lavare, & in aliis vobis miniſtrare non erubuerim. Quantò magis vos decebit talis humilitas, ut honore alius alium præveniat, Rom.12.v.10. & dono quod accepit, proximo inſervire ſtudeat, 1.Pet.4.v.10. nihil faciens per contentionem vel inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi quoſvis alios arbitretur, Phi.2.v.3.

Notate hoc exemplum vos mei, & quando ſuperba de corde aſcendit cogitatio, Chriſti humilitatem vobis ante oculos ponite, qui fuit Dominus Dominorum, & propter nos factus eſt ſervus ſervorum; quę ſuper-

ſuperbia ſanari poteſt, ſi humilitate filii Dei non ſanatur? inquit Auguſtinus. *Putei profundiores aquas habent dulciſſimas*: Ità quo quis humilior, eò gratior eſt Deo & hominibus, 1. Petr. 5. v. 6. Jac. 4. v. 10. *Stella in cœlo minima videtur, & nihilominus in rei veritate totum terrarum orbem magnitudine ſuperat*. Ita humilis in mundo parvus & abjectus eſt, ſed apud Deum magnus habetur, qui licet in altiſſimis habitet, tamen humilia ſemper reſpicit, Pſ. 113. v. 5. 6.

III. *Præmii elegantiam*, cujus promisſione ipſos erigit, ne ſpe Dominii mundani jam plenè ipſis præreptâ cogitarent ſibi pro labore, odio & invidia hactenus ſuſcepta, nil boni expectandum ſupereſſe: Vos autem, inquit vos eſtis, qui mecum in tentationibus permanſiſtis, & ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, &c.

Quibus verbis largiſſimam compenſationem & æternam gloriam ipſis pollicetur

1. *Sub imagine regni.* Regnum in hoc mundo ſummum eſt majeſtatis faſtigium, propterea ſub hoc typo ſumma gloria vitæ æternæ nobis adumbratur, vide Sapient. 5. verſ. 17.

Vide igitur, ut in omnibus tribulationibus apud Chriſtum perſeveres, & ſic tandem cum ipſo regnabis, 2. Timoth. 2. v. 11. 12.

2. *Sub imagine convivii.* Regnum quidem Dei non eſt eſca & potus, Rom. 14. v. 17. erimus enim ἰσάγγελοι, Matth. 22. v. 30. interim metaphoricè hâc loquendi formulâ lauticiæ vitæ æternæ nobis aliquo modo adumbrantur, quod Scriptura ſæpius in uſu habet, Eſ. 25. v. 6. 65. v. 13.

Fit hoc

1. *Reſpectu lautiſſimæ tractationis*, Eſ. 25. v. 6. Joh. 6. v. 35. c. 4. v. 14. Pſal. 36. v. 9. 10. Cibus & potus noſter, dicente Auguſtino, erit viſio Chriſti & SS. Trinitatis. Hac viſione ſatiabimur, Pſal. 17. v. 15.

2. *Reſpectu jucundiſſimæ converſationis*, vide Matth. 8. verſ. 11. Apoc. 5. v. 11. Math. 17. v. 4. Eſ. 6. v. 3.

3. *Reſpectu diſparatæ collocationis.* In menſa regis quidem honoratiores honoratiori loco collocantur, apparatus autem autem ciborum omnibus convictoribus unus & idem eſt: Ita quidem in convivio cœleſti una erit ſanctorum omnium vita æterna ſed diſpar gloria, 1. Cor. 15. v. 41. Dan. 12. v. 3. nulla tamen ibi regnabit invidia. Nam maxima inter ipſos virtus erit charitas, 1. Cor. 13. verſ. 13.

3. *Sub imagine judicii.* Nam ſedebitis inquit, ſuper thronos, & judicabitis duodecim tribus Iſrael. Ibi poteſtas judiciaria Sanctis Apoſtolis promittitur non quidem authoritativa, quæ ſolius CHRISTI eſt, ſed 1. teſtificativa doctrinam ſuam mundo ſcriptis relictam: 2. Approbativa, quâ ſubſcribent ſententiæ quam ſupremus Judex ſuper juſtos & injuſtos feret, Apoc. 19. v. 1. 2.

Hæc magna erit gloria, quæ continget omnibus fidelibus in noviſſimo die, ubi ſtabunt in magna confidentia adverſus anguſtiatores ſuos, Sapient. 5. verſ. 1. Ad hanc gloriam & felicitatem nos perducat CHRiſtus JESUS, Amen.

Digitized by Google

In Die S. Matthæi.

Evang. Matth. 9. v. 9. 13.

DE Abrahamo legimus Gen. 12. verſ. 1. ſeqq. quod exire jubetur de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui, quæ idololatriæ dedita erat, in terram, quam ipſi Dominus monſtraturus erat. Nec mora. Surrexit Abraham per fidem & exivit, neſciens quo iret, Ebr. 11. v. 8.

Parem hiſtoriam habemus in prælecta pericope, ubi Chriſtus Matthæum vocat à telonio ad Apoſtolatum, cui ipſe vocationi promptus obtemperat, ſuperatis obſtaculis, quæ propoſito ſuo remoram aliquam injicere poterant. De familia ejus nil conſtat in ſacris literis, præterquam quod à Marco & Luca Levi, & quidem Alphæi cujusdam filius appellatur, Marc. 2. verſ. 14. Luc. 5. v. 27. unde quidam è tribu Levi ipſum oriundum ſuſpicati ſunt, cum multi ex Levitis duro paupertatis onere preſſi agriculturam exercere coacti fuerint, quod conſtat ex Nehem. 13. verſ. 10. Poſt aſcenſionem Chriſti ad cœlos immediatis Sp. S. donis cum reliquo Apoſtolorum cœtu exornatus, Evangelium prædicavit Judæis & Hebræis. Deinde Aſiam & Pontum peragravit, & tandem in Æthiopiam devenit, ubi Præfectus Reginæ Candaces, quem Philippus baptizaverat, Act. 8. v. 38. ipſum hoſpitio excepit. Antequam tamen ex Judæa diſcederet, hiſtoriam Evangelicam conſcripſit Hebræo idiomate, ut multi ex veteribus opinantur, quanquam id quidam noſtratium non abs re in dubium vocant, quia teſtimonia è V. T. allata non ex fontibus Hebraicis, ſed ex tranſlatione LXX. Interpr. deſumpta proferuntur.

In Æthiopia, ut ſcribit Euſebius, Regem Ægyppum, & Conjugem ejus Euphroſynen, cum filio Ephitone, quem à mortuis excitavit, & filia Iphigenia ad Chriſti cognitionem perduxit. Contigit autem, ut Dux quidam gentilis ambiret illam, quod diſſuaſit Matthæus, & proinde ante aras trucidatus eſt Anno Chriſti 76.

Nos prælectam pericopen ad manus ſumemus, cujus duæ ſunt partes:

I. Matthæi vocatio.

II. Phariſæorum murmuratio.

J. J.

EXEGESIS.

MAl. 3. v. 1. de Angelo Teſtamenti, id eſt, de Meſſia dicitur, quod purificaturus ſit filios Levi, quaſi aurum & quaſi argentum, ut idonei fiant, ad offerenda Domino ſacrificia in juſtitia. Impletionem hujus vaticinii videmus in Evangelio noſtro, quod annuæ S. Matthæi memoriæ conſecratum eſt, quia aliàs Levi dicitur, & à telonio in Chriſti ſcholam vocatur, in qua ita purificatus & perpolitus eſt, ut poſteà cum reliquis exierit in univerſum mundum, ſacrificans Evangelium DEI inter gentes, ut gentes etjam fierent oblatio accepta & ſanctificata in Spir. Sancto, Rom. 15. v. 16. Hanc hiſtoriam Matthæus ipſe conſignavit, juſtus enim eſt accuſator ſui, Proverbor. 18. verſ. 17. & qui confeſſus fuerit peccata ſua, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur, Prov. 28. v. 13.

Duo igitur hîc potiſſimùm conſideranda occurrunt:

 I. *Per-*

I. *Perſona vocans*, cujus hîc deſcribitur

1. *Nominalitas.* Nam Jeſus dicitur, quod eſt nomen Salvatoris noſtri proprium, & ipſo opere hîc verificatur in Matthæo, quem Chriſtus à telonio avocatum in numerum Apoſtolorum ſuorum adoptat, & ab omnibus peccatis ſuis juſtificat.

Idem adhuc hodie vocat nos per miniſtros ſuos ad pœnitentiam, 2.Cor.5. verſ.20. Ergò vocantem ſequere. Nam Jeſus tuus eſt, qui non venit perdere animas hominum, ſed ſervare, Luc.9. v.56.

2. *Sedulitas.* Nam digrediebatur illinc, ait Evangeliſta, nimirum ex civitate Capernaum, & ſpeciatim ex illa domo, in qua jamjam paralyticum ſanaverat, ad mare Tyberiadis, ut turbam doceret, teſtante Marco cap.2. v.13. finitâ autem concione telonium præterit, ubi Matthæus ſedebat. Ita adhuc obambulat in mundo, & per miniſterium verbi Eccleſiam ſibi colligit. Imprimis eò digreditur, ubi peccatores ſedent, ut in viam juſtitiæ eos reducat. Non enim vult ullos perire, ſed omnes ad agnitionem veritatis pervenire, 1.Timoth.2. v.4. hinc miſericordia ſua pervenit peccatores, ut oſtenderet patientiam ſuam ad informationem eorum, qui crediturі ſunt ad vitam æternam, 1.Tim.1. v.16.

3. *Benignitas*, quam declarat

1. *Aſpectu.* Nam vidit hominem, inquit Evangeliſta, in telonio ſedentem, hoc aſpectu pœnitentiam in corde Matthæi operatur. Ita videt adhuc quoscunque peccatores qui in abſcondito tenebrarum opera perpetrant, Sir.23. v.28. Pſalm. 49. v.9. & quamvis in momento ipſos perdere poſſet, tamen patienter agit, & non vult quemquam perire, 2.Petr.3. v.9. interim hoc probè conſiderandum eſt, ne voluntariè peccemus, ſed ſemper cogitemus, oculos Domini apertos eſſe ſuper omnes vias filiorum hominum, Jer. 32. v.19. qui enim voluntariè peccat, & intuitum CHriſti amicabilem, quo nos ad pœnitentiam invitat, malitiosè contemnit, non habet amplius hoſtiam pro peccato, ſed experietur olim vultum iræ divinæ, à quo fugiet ad petras & colles, & tamen non effugiet, Apoc.6. v.16.17.

2. *Affatu.* Nam ſequere me, inquit, & hiſce verbis ipſum non tantùm ad fidem, ut Zachæum, ſed etiam ad Apoſtolatum efficaciter vocat. Vox illa adhuc quotidie ſonat in Eccleſia, jubens ut ſequaris in patientia, in humilitate, in charitate, &c. Felix qui ſequitur, Apoc. 14. v. 4.

II. *Matthæus obtemperans.* Nam verbum Chriſti non fuit irritum, ſed vivum & efficax, quo Matthæus ſtatim quaſi mutatus & emendatus eſt. Hoc ipſe oſtendit.

1. *Surgendo*, dum à telonio vocatus ſtatim ſurgit, & vitæ anteactæ turpitudinem execratur. Hoc ipſo nobis exemplum reliquit, quod omnes peccatores imitari debent, qui hactenus in ſcabello uſurariorum, maledicorum, Epicuræorum, adulterorum & ſcortatorum, ebrioſorum, &c. ſederunt, tunc Dominus non amplius recordabitur iniquitatum quas operatus eſt quilibet eorum, Ezech. 18. v. 22.

2. *Sequendo.* Non enim ſurrexit tantùm, ſed etiam ſecutus eſt Chriſtum, inquit Evangeliſta. Idem nobis quoq; incumbit. Unusquisque habet vocationem ſuam, cujus vi Chriſtum ſequi tenetur. Sequamur ergò, nec revocet nos victus indigentia, Luc. 9. v. 58. Matth. 6. v.32. non termini ignorantia, Gen.12. v.1. ſeqq. non mundi truculentia, quoniam diligentib⁹ Deum omnia cooperantur in bonum, Rom. 8. v.28.

3. Con-

Digitized by Google

3. ***Convivium inſtituendo*** , quo declarat

1. *Gratitudinem erga Chriſtum.* Vocaverat ipſum Chriſtus ad cœnam ſpiritualem, & beneficiorum cœleſtium participem fecerat, utpote ſunt remiſſio peccatorum, juſtitia, vita & ſalus æterna. Hinc ad gratitudinem ſe obligatum agnoſcit, & quia nihil habet aliud, quo animum ſuum explicet, convivium inſtituit, & Chriſtum cum ſuis invitat diſcipulis. Ita fidem ſuam factis demonſtrat, quod ab omnibus verè Chriſtianis requiritur, Jac.2. v.18.

Pari gratiâ donati ſumus. Ergò Chriſtum invitate Vos mei, corda aperiendo, & CHRIſtum pulſantem intromittendo, Apoc.3. verſ.20. pauperibus benefaciendo, Luc.14. verſ.13. Paſtoribus tuis pro cibo ſpirituali in verbo & Sacramentis, neceſſariam alimentationem ſuppeditando, tunc ipſe olim in vita æterna convivio pinguium medullatorum, & vini defecati iterum te excipiet, Eſa.25.v.6.65.v.14.

2. *Charitatem erga proximum.* Nam multos etiam publicanos & peccatores invitat, ut ſuo ipſos exemplo ad conſimilem vitæ emendationem alliceret, & Chriſto occaſionem ſubminiſtraret ad cœterorum, quoque ſui ordinis hominum publicanorum & peccatorum converſionem, quam ex frugifera converſatione colloquioque Chriſti ſecuturam non temere divinabat.

Hæc eſt natura & proprietas fidei ſalvificæ, ut per charitatem in apricum prodire ſoleat, Gal.5. v.6. Gratiâ ergò Dei converſus, converte etiam alios, id quod David ſpondet Domino, Pſalm.51. verſ.15. Chriſtus Petro præcipit, Luc.22. verſ.32. Paulus monet, Gal.6. v.1. hoc eſt optimum beneficium, quod proximo exhibere poſſumus, & ſuperat omnes theſauros quibus mundus inhiat, & operiet multitudinem peccatorum, Jac.5. v.ult.

De Secundo.

FUit Matthæi vocatio, ſuccedit *Phariſæorum murmuratio.* Poſtquam enim vident Chriſtum cum publicanis & peccatoribus in convivio Matthæi accumbere, & humaniter converſari ἐγόγγυζον οἱ γραμματεῖς, inquit Lucas, c.5. v.30. & dicebant ad diſcipulos ejus: Cur cum publicanis & peccatoribus veſcitur Magiſter veſter?

Ubi nobis obſervanda venit

I. *Calumniæ atrocitas*, quæ ſatis apparet

1. *Ex modo.* Non enim CHriſtum ipſum adoriuntur, quia timent confuſionem hactenus ſæpe reportatam, ſed apud diſcipulos ſe inſinuant, qui infirmi adhuc erant, ut authoritatem Chriſti vel minuant, vel planè proſtituant, ipſosque ad ſuas iterum partes pertrahere ſtudeant. Habemus hîc vivam imaginem omnium hypocritarum & calumniatorum, quibus à tergo proximum maledictis & conviciis proſcindere volupe eſt. Hi in Scriptura ſunt infames, Sir.5. v.16. ſeq. & regnum Dei non hæreditabunt, 1.Cor.6. v.10.

2. *Ex ſono.* Nam quid eſt, inquiunt, quod Magiſter veſter cum publicanis & peccatoribus veſcitur? q.d. noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe. Hoc argumentum pulcram habet ſpeciem. Ideò enim Cananæos planè extirpari voluit Dominus, ne fortè peccare facerent Iſraëlitas, & fierent ipſis in ſcandalum, imò prohibuit, ne fœdus inirent, aut amicitiam jungerent cum ipſis Exod. 23. verſ. 32. 34. verſ. 12. Huc pertinent dicta, Pſalm.1. verſ.1. 50. verſ. 18. Eſa.52. verſ.11. Sir.13. verſ.1. Sed omnia

 illa

illa dicta Chriſtum non feriunt, qui converſatur cum publicanis & peccata eorum probet, ſed ut ipſos in viam juſtitiæ reducat. Eodem modo adhuc hodie nobis cum impiis & ſinceræ religionis hoſtibus converſari licet, Pſalm. 51. v. 15. 1. Petr. 2. v. 12. Obſtinati verò poſt duas vel tres admonitiones fugiendi, Tit. 3. verſ. 10. cavendi, Matt. 7. v. 15. & velut Ethnici habendi ſunt, Matt. 18. v. 17. Quod qui non obſervat, ſed jugum trahit cum infidelibus, 2. Cor. 6. v. 14. videat ne propter ipſum nomen Dei malè audiat, Rom. 2. v. 24. & peccatorum alienorum particeps evadat, 2. Johan. verſ. 11. Epheſ. 5. verſ. 11.

II. *Apologia nervoſitas*, quam pro defenſione perſonæ ſuæ & officii, criminationi Scribarum & Phariſæorum opponit, aliàs periculum fuiſſet, ut vel diſcipuli vel reliquum auditorum vulgus in fide vacillare inciperet. Tria autem potiſſimùm adhibet argumenta, quibus calumniam Phariſæorum retundit:

1. *Deſumitur à ſimili congruo.* Nam qui valent, inquit, non opus habent medico, ſed qui malè habent. Sententia huc redit: De Meſſia prædictum eſt quod Medicum acturus ſit in terris, alligaturus contritos corde, & peccatorum vulneribus ſaucios ſanaturus, Eſa. 61. verſ. 1. Quando igitur operam do, ut peccatores & publicani homines ſpiritualiter ægri & morbidi ſanentur & convertantur, usque adeò nihil facio contra officium Meſſiæ, ut potius hoc ipſo me verum eſſe Meſſiam publicè probem & demonſtrem.

Notate hanc Chriſti ſententiam vos mei *in conſolationem.* Omnes poſt lapſum miſeri ſumus & ægroti, Eſa. 1. v. 6. *laborat anima,* 1. Cor. 2. v. 14. *laborat cor,* Gen. 6. v. 5. *laborat voluntas,* Rom. 7. v. 19. *laborat intellectus,* 2. Cor. 3. v. 5. ægri ſumus & infirmi *corporaliter & ſpiritualiter.* Sed confidite vos mei, Medicum habemus, qui omnes infirmitates noſtras ſanare poteſt, Pſ. 103. verſ. 3. per verbum quod omnia ſanat, Sap. 16. v. 12. Hoc igitur agamus, ut curæ & regimini ejus non ſpontè & promptè in omnibus ſubjiciamus, & non ſolùm medicamentis utamur, ſed etiam juxta diætam nobis præſcriptam vitam noſtram inſtituamus, Mich. 6. v. 8. ne patiamur prius ſanati recidivam, quæ pejor ſolet eſſe radice, juxta Medicorum ſententiam, & Chriſti ipſius effatum, Joh. 2. v. 14.

2. *à dicto Prophetico.* Nam euntes, inquit, diſcite quid ſit, miſericordiam volo, & non ſacrificium, v. 13. Teſtimonium hoc deſumptum eſt ex Oſ. 6. verſ. 6. quo tacitè Chriſtus Phariſæorum ſuperſtitionem perſtringit, quâ ſacrificiis inhærebant, & opera interim moralia charitatis, miſericordiæ & beneficentiæ erga proximum negligebant. Senſus argumenti talis eſt: Deus ipſe præfert miſericordiam omnibus Leviticis ſacrificiis Oſ. 6. verſ. 6. ſed majus charitatis & miſericordiæ opus excogitari vix poteſt, quàm errantem peccatorem in viam reducere. Ergò iniquè agitis, dum me propterea reprehenditis, quod peccatores & publicanos converſatione mea in viam ſalutis revocare ſtudeo. Agnoſce hinc ſummam operum charitatis & miſericordiæ neceſſitatem. Nã charitas maxima eſt inter virtutes, ſine qua nullum opus, aliàs bonũ, Deo gratum & acceptum eſſe poteſt, 1. Cor. 13. v. 13. hinc omnibus & ſingulis præcipitur, ut miſericordiam faciant, unusquisque cum fratre ſuo, Zach. 7. v. 9. qui non obſervat, amore Dei etiam deſtituitur, 1. Joh. 3. v. 17. cap. 4. v. 20.

Google

3. *Ab officii proprio.* Non enim veni, inquit ad vocandum juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Per juſtos, Phariſæos intelligit & Scribas, qui propria turgebant juſtitiâ, & ſe juſtos eſſe arbitrabantur. Ita quod ante figuratè ſub figura Medici dixerat, nunc detractâ figurâ verbis planis exponit, oſtendens, Meſſiæ adventum nunquã promiſſum eſſe his, qui vel naturâ juſti ſint, qualis inter homines poſt lapſum reperitur nemo, vel ſibi videantur juſti, ut Phariſæi olim faciebant, ſed ſolis peccatoribus. Idcircò ſe, qui munus illud Meſſiæ gerat, veniſſe propter homines peccatores, non ad confirmandum illos in ſtudio propoſitoq; peccandi, ſed ad vocandũ eos ad pœnitentiam, & conſequenter ad æternam ſalutem.

Egregia certè *conſolatio* pro omnibus illis, qui ſe peccatores eſſe ſentiunt, & de amiſſis dolent, cupiuntq; ſarcinâ peccatorum ſuorum liberari, ne deſperent, ſed ad Chriſtum tanquam Dei agnum tollentem peccata mundi, confugiant, & requiem invenient pro animabus ſuis, Matt. 11. v. 28. 29. nam certus ſermo, & dignus quem omnibus modis amplectamur, quod Chriſtus Jeſus venit in mundum, ut peccatores ſalvos faceret, 1. Tim. 1. v. 15.

Non igitur te deterreat indignitas vel impuritas, quò minus ad ipſum confugere velis. *Si dignus eſſes & purus, Salvatore non indigeres. Sed quia peccator es, à Deo diviſus & alienatus, Chriſtus venit in hunc mundum, ut te reconciliaret Patri, & ad pœnitentiam vocaret.* Hoc agnoſce grato animo, & vocanti obtempera, ne obicem pone. Qui enim Chriſtum non apprehendit per fidem tanquam Salvatorem, experietur eum in noviſſimo die, tanquam ſeverum judicem, qui non ampliùs vocabit ad pœnitentiam, ſed ad ignem æternum reprobabit omnes illos, qui Evangelio ſuo non obediverunt, 2. Theſſal. 1. verſicul. 8. Sufficit! O Domine JESU fac nobiſcum ſecundùm nomen tuum,

Amen.

In Die S. Michaelis ſeu Angelorum.

Evangelium Matth. 18. v. 11.

Lectulum Salomonis ambiebant ſexaginta fortes ex fortibus Iſrael omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos, Cant. 3. v. 7. 8.

Lectulus ille eſt quælibet fidelis anima, in qua cœleſtis Salomo Chriſtus Jeſus per fidem quieſcit, Eph. 3. v. 17. fortes ſunt beati Angeli, qui lectum illum cuſtodiunt, & caſtra metantur circa eos, qui timent Dominum, Pſ. 34. v. 8. per gladios & enſes denotatur Angelorum potentia ultrix, quâ nos defendunt adverſus draconem infernalem, qui in tenebras dominatur, Epheſ. 6. v. 12. ut ſine metu & periculo dormire poſſimus. Sunt enim fortes heroës, Pſ. 103. v. 20. & miniſtratorii Spiritus emiſſi in gratiam eorum, qui ſalutem hæreditare debent, Ebr. 1. verſ. 14.

Hodie feſtum Angelorum celebrat Eccleſia, non more Pontificio, qui adorant eos: ſed ut certus eſſet dies, quo doctrina de Angelis in Eccleſia proponeretur, & occaſio laudis divinæ offerretur, quod Deus

Digitized by Google

non tantùm ipſe noſtri curam habet, ſed etiam beatos hoſce ſpiritus comites nobis adjunxit & cuſtodes, ut in vita defendendo, & in morte animas ſuſcipiendo nobis inſervirent. Quid eſt homo, quod memor es ejus, & filius hominis, quoniam viſitas eum? Pſ. 8. v. 5. minores certè ſumus Domine omnibus miſerationibus tuis, Gen. 32. v. 10.

Nos ad manus ſumemus prælectam pericopen, & videbimus

I. Angelorum præſidium.

II. Noſtrum officium.

J. J.

EXEGESIS.

CUm Patriarcha Jacob in Meſopotamiam proficiſceretur, vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram & cacumen illius tangens cœlum, angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, uti legimus Gen. 28. v. 12. Idipſum adhuc hodie contingere docet Chriſtus, Joh. 1. v. 51. qui eſt ſcala per Jacobæam præfigurata, cœlum & terram conjungens. Super hac ſcala Angeli aſcendunt & deſcendunt, id eſt, per Chriſtum nobis hoc beneficium obtigit, ut beatos angelos cuſtodes & protectores habeamus, qui ſignifer eſt militiæ cœleſtis, Apocal. 12. v. 7.

Proponitur autem nobis in prælecta pericope 1. Angelorum cura. 2. natura. Quod Angelorum naturam attinet, Chriſtus de ipſis affirmat, quod ſemper videant faciem Dei. Hâc phraſi multa complectitur, nimirum quod ſint

1. *Spiritus creati.* Non ſunt Creator ipſe, quemadmodum inter Judæos aliqui putarunt. Nam qui condidit omnia Deus eſt, Ebr. 3. v. 4. ſed creaturæ, Pſ. 104. v. 4. Col. 1. v. 16. & quidem ſpirituales, quæ carnem & oſſa non habent, niſi fortè ex diſpenſatione aliqua ſpeciem humani corporis ad tempus aſſumant, ut à corporeis hominibus videri, cum illis colloqui, & miniſteria ſua apud illos obire poſſint. Interim ſunt & manent in ſua natura Spiritus, Ebr. 1. verſ. 14. aliàs faciem DEI intueri non poſſent, quod Moſi propter velum carnis in reſponſum dabatur, Exod. 33. v. 20.

Hoc noſtræ conſolationi inſervire poteſt. Quia enim Angeli ſpiritus ſunt, nullo propter eſſentiæ ſubtilitatem impedimento externo à muneris ſui expletione arcebuntur, ſed undique penetrabunt, & nobis quàm celerrimè in periculis ſubvenire poterunt, ut exemplum Petri teſtatur, Act. 12. v. 7.

2. *Spiritus beati.* Gloria & beatitudo electorum in cœlo ita deſcribitur à Paulo, quod videant DEUM à facie ad faciem, 1. Corinth. 13. v. 12. ſicut eſt, 1. Johan. 3. v. 2. quia igitur hîc angeli ſemper videre dicuntur faciem Patris cœleſtis, ex eo colligitur, quod beatitudinis & gloriæ, quam nos adhuc expectamus, jamdum facti ſint participes. Unde vocantur Angeli Dei, Matth. 22. verſ. 30. quia ſunt domeſtici ejus filii Dei, Job. 1. v. 6. quia hæreditatem cœleſtis gloriæ jamdum obtinuerunt, Angeli lucis, 2. Corinth. 11. v. 14. quia in Dei lumine vident lumen, Pſ. 36. v. 10.

Aſpiremus, Vos mei, aſpiremus ad hanc beatitudinem, & hîc in ſpeculo verbi Deum contemplemur, ut contemplemur eundem tandem aliquando à facie ad faciem, 1. Corinth. 13. v. 12. præſertim cum promiſſionem habeamus ipſius Chriſti, quod futuri ſimus ἰσάγγελοι, Matth. 22. v. 30.

3. *Spiritus confirmati.* In hac vita Deum nemo videre poteſt propter velum peccati,

quod

quod in carne noſtra adhuc hæret, Exod.33. verſic. 20. ſed in vita æterna removebitur illud velum ab electis, & tunc videbunt Deum in ænigmate vel in ſpeculo, ſed à facie ad faciem, 1. Cor.13. v.12. Dum igitur Chriſtus de Angelis affirmat, quod ſemper videant faciem Patris cœleſtis, ex eo intelligitur quod ſint ab omni peccato immunes, perfectè puri & ſancti, ſicut in principio omnes à Deo conditi ſunt, ſed quidam eorum non ſteterunt in veritate, Johan.8. verſ.44. ſed reliquerunt domicilium ſuum, Epiſt. Jud. verſ.6. inde non vident faciem Dei, ſed catenis tenebrarum in tartarum detracti ſervantur in judicium cruciandi, 2.Pet.2. verſ.4. Immiſcent quidem ſeſe Angelorum beatorum coetus, & comparent coram throno Dei, ſicut carnifices coram atrio Regis, Job.1. verſ.6. beatifica tamen faciei divinæ viſione non fruuntur, ſed circumferunt ſecum ſuum infernum, ſicut Angeli faciem Dei videntes ſemper ſecum habent cœlum, unde dicuntur Angeli electi, 1.Tim.5.verſ.21. quia in bono confirmati ſunt, ut amplius labi non poſſint, ſed manent ſancti, juſti & *ἀναμάρτητοι* in perpetuum, ideò laudant nomen Dei ſine intermiſſione, & parati ſunt ad faciendum voluntatem ejus, Pſ.103. v.20.

Tu ſi ſpem habes videndi Deum, ſanctifica te, ſicut & ipſe ſanctus eſt, 1.Johan.3. verſ.3. nam beati mundo corde, inquit Salvator, quoniam Deum videbunt, Matth.5.v.8.

4. *Spiritus egregiè donati.* Dotes autem præcipuæ ſunt

1. *Sapientia*. Vide 2.Sam.14.verſ.20. ſed illa ſapientia non eſt infinita, quemadmodum ſapientia DEI. Non enim omnia ſciunt Angeli, præſertim interiores cordis motus ſiquidem hoc ſoli DEO ſcriptura attribuit, 1.Reg.8. verſ.39. Hinc apparet, quod Pontificii graviter peccent, dum Angelos adorant, quem honorem ipſi repudiant, Apoc.22.v.9.

2. *Potentia*, quæ certè magna eſt. Vide Exod.12.v.29. 2.Reg.19.v.35. 2.Sam.14. verſ.15. inde vocantur throni, poteſtates, Principes, & Angeli virtutis Dei, Epheſ.1. v.21. Col.1.v.16.

3. *Continentia*, Keuſchheit und Heiligkeit. Hinc à CHriſto ſancti Angeli dicuntur Luc.9. v.26. qui pœnitentia & converſione peccatorum delectantur, Luc.15.v.10.

Hæc *de angelorum natura*, ſequitur *ipſorum cura*, quæ conſiderari poteſt

I. *Reſpectu* Dei, ibi duplici funguntur officio, quod eſt

1. *Collaudatorium.* Viſio Dei efficit in illis perfectam ſummi boni agnitionem, perfecta agnitio efficit in illis ſummam dilectionem, perfecta dilectio efficit continuam prædicationem & laudationem. Illam cœperunt cum ponerentur fundamenta terræ, Job.38. verſ.7. & in hunc usque diem continuant, canentes quotidie, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth, Eſa.6.v.3. & requiem non habent die ac nocte, Apoc.4.v.8.

Conjungamus laudes noſtras cum laudibus Angelicis, non ſolum ore, ſed etiam opere, hæc bona & decora laudatio, Pſ.147.v.1.

2. *Miniſtratorium.* Videre faciem Dei, eſt idem juxta ſtylum ſcripturæ, quod aſſiſtere throno Dei, ac præſtò illi eſſe ad miniſteria. Sicut enim de Proceribus regni Perſici dicitur, videbant faciem Regis, & primi ſedebant in regno, Epheſ.1. v.14. ita quoq; hâc phraſi de Angelis uſurpata notatur, quod ſint Deo proximi, principes cœli, parati

Digitized by Google

parati ad exequenda ejus miniſteria, Pſ.103. v.20. Daniel.7.v.10. Hoc miniſterium exequuntur ſummâ alacritate, hinc tribuuntur ipſis alæ, Eſ. 6. v. 2. accomparantur vento, Pſalm.104. v.4. hic eſt ipſorum cibus facere voluntatem Dei ſicut Chriſtus de ipſo dicit, Joh.4. v.34. quia cibo corporeo non indigent, Tob.12. v. 19.

Eadem promptitudine ſerviamus Deo, quotidie ingeminantes ex Matth.6.v.10. fiat voluntas tua ſicut in cœlo, ſic & in terra.

II. *Reſpectu noſtri.* Dum enim à Chriſto Angeli puerorum vocantur, rectè colligimus, quod pueris, & conſequenter omnibus verè piis aſſiſtant, eos tueantur & cuſtodiant, ſunt enim adminiſtratorii Spiritus, &c. Ebr.1. v.ult.

Diabolus eſt hoſtis noſter infenſiſſimus, & ſi unus non ſufficit, aſſumit alios ſeptem nequiores, Luc.11.v.26. præſertim in hac ultima mundi ſenecta valdè negotioſus eſt, & magnam concepit iram, ſciens quod modicum tempus habet, Apoc.12.v.12.

Graſſatur *in Eccleſia*, 1. Reg. 22. verſ. 22. Matth.13. verſ. 25. Epiſt. Jud. v.9. 1.Tim. 4. verſ.3. 2.Theſſ.2.v.9. 1.Theſſ.2.v.18. Matth. 13. v.19.

Graſſatur *in politia*, Daniel.10. verſ. 13. Graſſatur *in œconomia*, Tob.3. v.8. Geneſ. 4.v.8. 27.v.41. 31.verſ.2. ſeqq. Summa in omni ſtatu quærit quem devoret, 1. Petr.5. verſ.8.

Interim ſed nos tegit Angelorum,
Quæ ducem Chriſtum ſequitur, caterva,
Atque graſſantis reprimat cruenta
Arma draconis.

Præſident illi *ſtatui Eccleſiaſtico*: Per Angelos Deus legem ſuam promulgavit, Gal.3. v.19. Conceptionem, Luc.1. v.31. nativitatem, Luc.2.v.10. reſurrectionem Chriſti annunciavit & manifeſtavit, Luc.24. v.5. ſeqq. adfuerunt etiam in adſcenſione, Act. 1.v.11. ipſi cupiunt introſpicere, quod per Evangelium proponitur, 1.Petr.1. v.12. in Eccleſiæ congregatione præſentes ſunt, 1.Corinth.11. v.10. preces noſtras Deo offerunt, Tob. 12. v.12. nobiſcum orant, Apoc.8.v.3.

Præſident *ſtatui politico*, dum Magiſtratus pios comitantur & defendunt, Eſa. 37. v.36. Macc.10.v.29. 11.v.8.

Præſident *ſtatui œconomico*, quemadmodum hiſtoria Tobiæ & Saræ prolixè teſtantur. Promovent matrimonium, Geneſ. 24. verſ. 7. ſtant coram parturientibus, Apoc. 12. verſ.7. puerorum curam gerunt & eorum ſunt Angeli, Matth.18. verſ.10. Hagar Sarai ancillæ fontem oſtendunt, Gen.21. v.17. ſeqq.

Angeli ſunt *noſtri Satellites*, qui caſtrametantur in circuitu timentium Deum, & eripiunt eos, Pſal.34. v.8. *Noſtri vigiles*, qui quando nos dormimus, ipſi vigilant, & omne malum à nobis arcent, Daniel.4. v.10. *Noſtri cuſtodes*, Pſalm.91.v.11. hic eſt murus igneus, quo Deus nos & omnia noſtra tuetur, Zach.2. v.5. ſicut civitatem Dothan, 2. Reg.6.v.17. *Noſtri monitores*, qui prohibent nos à malis operibus, & excitant nos, ut in via Domini ambulemus. Ita Angelus dehortatur Bileamum à malo propoſito, Numer.22. verſ. 32. & Eliam ex ſomno excitat, 1.Reg.19. v.5. *noſtri portatores*, non ſolùm in hac vita, Pſal.91. v.12. ſed etiam ex hac vita, Luc.16. v.22.

Hoc ſummum Dei beneficium grato pectore agnoſcamus. Ecquid enim majus, quàm quod angelos ſuos, qui tàm naturâ quàm conditione ſtatus nobis priores ſunt & præſtantiores, nobis miniſterium adjunxit. Domine quid eſt homo, quod

memor

Digitized by Google

memor es ejus, & filius hominis, quod ita curam ejus agis? Minuiſti eum paulò ab Angelis naturâ, ſed prætuliſti cum gratiâ, exclamat cum Davide Bernhardus, & nos cum illis ex Pſ. 8. v. 5.

De Secundo.

Reſtat, ut noſtrum etiam contemplemur officium, quomodo nimirum erga Deum & proximum nos gerere debeamus, ſi angelorum præſidio frui velimus. Requiritur igitur ad conciliandam angelorum amicitiam

I. *Studium pietatis*, quod teſtari debemus

1. *Chriſti acceſſione.* Nam de Apoſtolis ſcribit Matthæus, quod poſt altercationem de primatu in regno Meſſiæ, Marc. 9. v. 34. Chriſtum acceſſerint, ut ipſe controverſiam decideret. Ita Chriſtum accedat oportet, quicunque angelicam ſocietatem expetit. Nam ubi Dominus eſt, ibi ſunt quoque ejus ſervi. Vbi degit Imperator belli, ibi exercitum quoque in procinctu habet. Jam verò Chriſtus Jeſus eſt Angelorum Dominus & Imperator, Apoc. 12. v. 7. cui millia millium ſemper aſſiſtunt, Dan. 7. v. 10. per fidem ergò & pœnitentiam accede ad hunc Dominum, nec accede tantùm, ſed conſtanter etiam perſevera, & ita ſine dubio venies unà ad militiam cœleſtem & ſtabis in medio Angelorum, qui te ex omni latere cingent, & contra quosvis adverſarios defendent, ut teſtantur exempla Lothi, Gen. 19. v. 15. Eliæ, 1. Reg. 19. v. 5. Danielis, c. 6. v. 22. Petri, Act. 12. v. 6. ſeqq.

2. *Devotâ oratione.* Diſcipuli non tantùm accedunt, ſed etiam alloquuntur Chriſtum. Id potes adhuc per orationem. Oratio tua eſt locutio ad Deum, quando legis in Scriptura, Deus tibi loquitur, quando oras, tu loqueris cum Deo, inquit Auguſtinus. Ergò frequenter ora, tunc beati angeli tibi non deerunt, ut docet exemplum Hagar, Gen. 21. v. 17. Hiskiæ, Eſ. 37. v. 36. Danielis, c. 9. v. 21. Cornelii, Act. 10. v. 3.

3. *Seriâ converſione* v. 3. Apoſtoli ſolliciti erant de rebus terrenis, & de primatu diſceptabant, ore quidem regnum cœlorum præferentes, ſed corde interim de regno terreſtri ſuperbas cogitationes conceperant. Ideò Chriſtus tanquam καρδιογνώστης ipſis de converſione concionatur, & amen, inquit, dico vobis: Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

Pœnitentiâ igitur opus eſt, ſi puerorum angelos cuſtodes deſideramus, ſiquidem gaudium eſt in cœlo, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15. v. 7.

II. *Studium humilitatis.* Nam puerum Chriſtus vocat, & in medio ſtatuit, cum expreſſa affirmatione, niſi efficiantur ſicut parvuli, quod in regnum cœlorum non poſſint introire. Quibus verbis ad humilitatem reſpicit. Pueri enim alta non ſapiunt, honores & dignitates nihil æſtimant, nec alios præ ſe contemnunt: Idem exigitur ab omnibus, qui Deo placere, angelosq; cõites habere geſtiunt. Diabolus eſt Rex ſuperborum, Job. 41. v. 25. qui ergò ſuperbiam amat & ſectatur, ad regnum ejus pertinet, & gratiam Dei amiſit, 1. Pet. 5. v. 5. Altum quidem eſt cœlum, & ſublimes ſpiritus ſunt Angeli: Nos tamen debemus eſſe humiles, ſi cœlo potiri, & angelorum conſortio frui volumus. Excelſa eſt patria, ſed humilis ſemita, cui placet patria, illi ſemita non diſpliceat, inquit

 Augu-

Auguſtinus. Apud humilem Abrahamum divertunt Angeli, Gen. 18. v. 3. ſeqq. humilem Mariam viſitat & ſalutat Gabriel, Luc. 1. v. 28. humiles Paſtores vident charitatem angeli, Luc. 2. v. 9. Humilitatem igitur ſectamini fratres, ſi angelorum conſortium expetitis, ſi quidem quod hominibus altum, eſt abominatio ante Deum, Luc. 16. v. 15.

III. *Studium honeſtatis*, ne cui ſcandalum præbeamus, ſed potius lucem fidei noſtræ per bona opera lucere faciamus, ut colluſtrentur etiam alii & Deum Patrem glorificent, Matth. 5. v. 16. Hoc Chriſtus inculcat diſcipulis ſuis, v. 6. 7. 8. 9.

Scandalum dicitur à σκάζω, hoc idem eſt quod claudico, quia objectum offendiculum claudicare facit, & ruinam ſæpe cauſatur. Metaphoricè transfertur ad omne id, quod in via ſalutis ambulantibus obſtaculo eſt, aut peccandi occaſionem præbet. Aliàs duplex eſt datum & acceptum. Hic verò de dato Chriſtus propriè agit, quando *vel dictis vel factis* proximus ſcandalizatur.

Ad dicta pertinet falſa doctrina, χρηστολογίαι καὶ εὐλογίαι Pſeudoprophetarum, quibus ſimpliciores ſeducuntur, Rom. 16. v. 18. itemque prava colloquia, quæ bonos mores corrumpere ſolent, 1. Cor. 15. v. 34. Eph. 5. v. 4.

Ad facta pertinet, ſi quis palàm facit ea, quæ ſunt illicita, & legi Dei adverſantur, aliosque exemplo ſuo inducit, ut illud imitentur, vel etiam in illis, quæ ſuo genere non ſunt mala, imprudenter & indiſcretè verſatur, & actione illa infirmioribus ſcandalum præbet, exempla vide Exod. 23. v. 33. 32. v. 21. Roman. 14. v. 1. ſeqq. 1. Cor. 8. v. 1. ſeqq. Hoc ſcandalum multò atrocius eſt & celerius ſerpit, quando à perſona publica, quæ in officio conſtituta eſt, proficiſcitur. Nam qualis Rex, talis grex, inquit Siracides c. 10. v. 2.

Quod ſi igitur ſanctos Angelos cuſtodes habere deſideramus, ſcandala devitanda ſunt. Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, inquit Chriſtus, abſcinde eum, & projice abs te, &c: Non loquitur de membris ipſius, ſed de ἀταξία, quæ membris per peccatum adhæret, & hoc vult dicere, quod nihil adeò carum & gratum nobis eſſe debeat, quin illud abjiciamus & repudiemus, ſi per ſcandalum à lege Dei & via ſalutis nos avertat. Fit illud dupliciter

1. *Reſpectu noſtri*, quando corpus peccati deſtruitur, Roman 6. verſ. 6. & membra, quæ ſunt ſuper terram, mortificantur, Col. 3. verſ. 5.

Si manus eſt ſcandalo, ut contrectare velit illicita, amputanda, id eſt, mortificanda eſt illa avaritiæ concupiſcentia. Si pedes velint nos deportare ad luxus, levitates, &c. abſcindendi ſunt. Si oculi nobis ſint ſcandalo, dicamus cum Davide Pſ. 119. v. 37. averte oculos meos, ne videant vanitatem, & ſequamur conſilium Siracidis c. 9. v. 8. ſatius enim eſt per brevi voluptate carere, & concupiſcentiæ reſiſtere, quàm in inferni ignem conjici, ex quo nulla liberatio, Pſal. 49. verſ. 15.

2. *Reſpectu proximi.* Hoc enim Chriſtus vult dicere: Si quis tibi tàm proximus, tam charus, tam utilis & neceſſarius eſt, ut oculus, pes & manus, & ſcandalum tibi præbet, ſegrega te ab ejus conſortio, ſatius eſt, ejus converſatione cum damno & moleſtia in hac vita carere, quàm illa fruendo in æternum damnari. Nam neque frater redimendo fratrem redimere poteſt, Pſal. 49. v. 8.

Deter-

Digitized by Google

Deterreat nos *graviſſima pœna.* Væ mundo, inquit Chriſtus, propter ſcandala, væ homini per quem ſcandalum venit. Melius foret tali homini, ut mola aſinaria de collo ſuſpenſa, ſubmergeretur in profundum maris. Fuit hoc ſupplicii genus inter Iudæos in pœna graviſſimorum ſcelerum uſitatum, ut lapide molari de collo ſuſpenſo, facinoroſum hominem in profundum maris demergerent, judicantes eum indignum, qui vel ſolis aſpectu, vel aeris beneficio, vel terræ gremio frueretur, 2. Maccab. 12. v. 4. Hoc ergò Chriſtus vult, quod qui ſcandalizaverit alios, præſertim puſillos, graviſſimam pœnam ſubiturus ſit, Deut. 27. v. 18. maledicitur, qui errare facit cœcum in itinere. Quantò magis, qui hominem à pietatis ſemita abducit, maledictioni ſubjectus erit, & æternæ ſe perditioni mancipabit, quæ per projectionem lapidis molaris in mare deſcribitur, Apocalypſ. 18. v. 21.

Hoc operetur in cordibus noſtris Chriſtus Ieſus per Spirit. S. ne per data ſcandala ſanctos angelos contriſtemur & abigamus, ter benedictus in ſecula, Amen.

In Die Simonis & Judæ.

Evangelium Joh. 15. v. 17. 21.

DE Joſepho legitur Gen. 45. verſ. 24. quod fratres dimittens proficiſcentibus dixerit: nolite rixari in via.

Idem facit Ioſephus cœleſtis, Chriſtus Jeſus in prælecta pericope, cum jamjam ab Apoſtolis diſcedere & ad patrē abire vellet. Quia enim à mundo nihil niſi odium & perſecutionem expectare poterant, neceſſaria cumprimis erat ipſis fraterna charitas, ne fortè invicem mordendo ſeipſos, conſumantur, ſed per dilectionem combinati & conglutinati mundi furorem eò melius perferre & ſuperare poſſint. Hinc ſine dubio præſens Evangelium à veneranda antiquitate divorū Simonis & Iudæ memoriæ conſecratum eſt, quia fratres fuiſſe perhibentur, à Cleopha & Maria parentibus in lucem progeniti, & conjuncta opera in Orientalibus regionibus doctrinam de Chriſto propagarunt, tandem in Perſia impetu Pontificum tyrannicorum trucidati ſunt. De vocatione eorum & rebus geſtis nihil Scriptura commemorat, niſi quod in reliquorum Apoſtolorum numero ipſos quoque recenſet Matth. 10. v. 3. 4. Marc. 3. v. 18. Luc. 6. v. 15. 16. Act. 1. v. 12. Simon aliàs Cananæus dicitur, Mat. 10. v. 4. quia ut quibuſdam placet, ex Cana in Galilæa oriundus fuit, itemq; Zelotes, Luc. 6. v. 15. propter zelum, quo in propaganda & aſſerenda cœleſti veritate, uſus eſt, quanquam alii ab Hebræo Kana, quod ſignificat ζηλοῦν, id eſt, æmulari, utrumque ipſum nomen obtinuiſſe putent.

Iudas verò ad differentiam Iudæ Iſchariotæ proditoris Domini, Iudas Jacobi ſcilicet minoris frater, Luc. 6. v. 16. vel Thaddæus, Marc. 3. v. 18. vel Lebbæus, Matth. 10. v. 3. dicitur. Creditur vulgò ſcripſiſſe Epiſtolam Judæ, ſed incertum eſt, quia à veteribus etiam inter libros Vet. Teſtam. apocryphos numeratur. Curavit Edeſſenorum Regem Abgarum, de quo Euſebius refert,

Digitized by Google

refert, quod ad Chriſtum ſcripſerit, ut veniret & curaret ipſum, ſed reſpondit Chriſtus, ſibi Hieroſolymis adimplenda eſſe omnia, quorum gratiâ miſſus ſit, & tunc ad patrem redeundum. Sed poſt adſcenſionem ſuam ad cœlos miſſurum aliquem ex diſcipulis, qui paſſioni ejus medeatur, vitamque & ipſi & omnibus domeſticis ſuis præſtiturus ſit. Hæc provincia poſtmodum Judæ Thaddæo demandata eſt, qui Edeſſam profectus Regem Abgarum promiſſioni in literis Chriſti ſibi factæ firmiter credentem ſanavit, & prædicatione Evangelii multis miraculis confirmata tum Regem tum ſubditos ad lucem veritatis adduxit.

Nos conſuetum & prælectum Evangelii ordinarii textum ad manus ſumemus, & duas partes tractabimus, ut ſunt

I. Dilectionis præceptio.

II. Perſecutionis prædictio.

J.J.

EXEGESIS.

IN V. T. Levitis mandatum fuit, ut ignis in altari ſemper arderet, Lev. 6. verſ. 12. Ignis charitatis ſymbolum eſt, quæ in ara cordis noſtri ſemper ardere debet. Hâc delectatur Dominus plus quàm ſacrificiis, Oſ. 6. v. 6. Matth. 9. v. 13. ideò Chriſtus tam ſollicitus eſt ante ſuum diſceſſum, & varia argumenta producit, quibus charitatem mutuam diſcipulis ſuis perſuadeat. Hæc nos pari vinculo obligant. Quod enim vobis dico, dico omnibus, Marc. 13. v. 37. Potiſſima ſunt

1. *Mandantis autoritas.* Hæc præcipio vobis, inquit Salvator, ut diligatis vos invicem. Hoc præceptum omnes Chriſtiani meritò attendere & magnifacere debent, quia non à Domino aliquo terreno, ſed à Rege Regum & Domino **Dominantium** nobis injungitur, cujus dominio parent angeli & archangeli, ignis, grando, nix, fumus, ſpiritus procellarum, & omnes creaturæ, Pſ. 148. v. 8. quantò magis nos præcepto ejus obedientes eſſe decet. Sumus enim factura ejus, creati in Chriſto Jeſu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, Eph. 2. v. 10.

Pharao præcipiebat obſtetricibus ſuis, ut parvulos Hebræorum enecarent, Ebr. 1. v. 16. Saul miniſtris ſuis imperabat Sacerdotum trucidationem, 1. Sam. 22. v. 17. Nebucadnezar edicto urgebat adorationem ſtatuæ ſuæ quam erexerat, Dan. 3. v. 15. Talia Chriſtus non præcipit. Mandata ejus ſunt fidelia Pſ. 111. v. 7. & veritas, Pſ. 119. v. 86. Nam utilia docet nos, Eſ. 48. v. 17. Conſervanda igitur ſunt inſtar theſauri, & cordi imprimenda, ne impingamus. Cum ambulaveris, deducant te, cum dormieris, cuſtodiant te, & evigilans loquere cum eis, quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ, inquit Salomo, Prov. 6. v. 22.23.

Chriſtus eſt *Præceptor noſter*, Johan. 13. v. 14. *Paſtor, noſter*, Joh. 10. v. 14. *Rex noſter*, Pſ. 2. v. 6. Quidni igitur nos diſcipuli mandatum Præceptoris exequi, oviculæ vocem Paſtoris audire, ſubditi nutum Regis exptimere deberemus? præſertim, cum, quod hîc dictum eſt Apoſtolis, in V. & N. Teſt. ſæpius inculcatum & repetitum ſit. Dictum eſt in Lege, Lev. 19. v. 18. dictum in Prophetis, Mich. 6. v. 8. dictum in Evangelio, Joh. 13. v. 34. 1. Joh. 4. v. 21. Breviter: Tota lex uno verbo completur, nempe hoc: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum, Gal. 5. verſ. 14. unde Lex Regia appellatur, quia omnes Regis cœleſtis ſubditos obligat,

gat,

gat, & qui hanc præſtat, benefacit, Jac. 2. v. 8. qui verò negligit, ad regnum Chriſti non pertinet, ſed homicida eſt, 1. Joh. 3. v. 15. & foràs ejicietur cum canibus, Apoc. 22. v. 15.

Chriſtianiſmi ſanctitas. Sumus enim, aut ad minimum eſſe volumus Chriſti diſcipuli. Proinde ad nos quoque mandatum illud pertinere ſciamus. Ex hoc enim cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eritis, ſi charitatem alii in alios habueritis, Johan. 13. verſ. 35. 1. Johan. 3. verſ. 10. 11. Per hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii diaboli, &c.

Si quis igitur dici amat Chriſtianus & Chriſti diſcipulus, nec tamen charitatem ſectatur, hypocrita eſt, qui nomen habet quod vivat, & revera mortuus eſt, Apoc. 3. verſ. 1.

3. *Operis ſuavitas.* Nam dilectionem requirit, quâ quid amabilius? Jacobus Patriarcha ſerviebat Labani 7. añis pro Rahele, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, Gen. 29. v. 20. Ita charitas omnia perfert & tolerat, 1. Cor. 13. v. 7.

Charitas eſt fructus Spiritus ſancti, Galat. 5. v. 22. Ubi igitur charitas eſt, ibi Spiritus ſanctus habet templum ſuum, 1. Cor. 3. verſ. 16.

Charitas eſt teſtis fidei, Gal. 5. v. 6. Ubi igitur non eſt fides, quæ per charitatem ſe exerit, & abſque operibus mortua eſt, Jac. 2. verſ. 26.

Charitas eſt vinculum perfectionis quo membra Eccleſiæ Capiti ſuo, quod eſt Chriſtus, alligantur, Col. 3. v. 14. ſicut in V. T. cortinæ tabernaculi certis anſulis copulabantur, Exod 26. v. 4. ſeqq. Qui igitur charitatem non amplectitur, ſed proximum odio habet, non eſt membrum genuinum in ſpirituali corpore Chriſti, ex hoc enim ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, 1. Joh. 3. verſ. 14.

Charitas eſt condimentum omnium aliorum donorum, quæ deſtituta charitate nihil proſunt, 1. Cor. 13. v. 2. ſeq.

Charitas nunquam excidit, ſed in vita æterna demum perfectionem ſuam aſſequetur, unde Paulus illam ſpei & fidei præfert, 1. Cor. 13. v. 13.

Charitatem igitur commendatam vobis habere, ſequetur enim largiſſima remuneratio, Matth. 25. v. 34.

4. *Mundi hoſtilitas.* Mundus eſt inſtar cardui, quacunque parte illum attrectaveris, aculeo ſuo te lædit: Ita mundus in maligno poſitus eſt, 1. Johan. 5. verſ. 19. & ſi interficit pios & fideles Chriſti aſſeclas, arbitratur cultum ſe præſtare Deo, Johann. 16. verſ. 2. Nam principem habet diabolum qui homicida eſt ab initio, Johann 8. verſ. 44.

Quantò magis autem mundus nos odit, & perſequitur, tantò intenſius nos invicem diligere debemus, ut conjunctis precibus & ſuſpiriis molimina ejus declinemus, & ſuperemus. Nam major eſt, qui in nobis eſt, quàm qui in mundo eſt, 1. Johan. 4. verſ. 4.

5. *Vocationis dignitas,* quia Chriſtus nos à mundo ſelegit. Non igitur cum mundo inſanire debemus, qui nemini cedere, & per jurgia & contentiones res ſuas obtinere, ſibi laudi ducit. Nam beati manſueti, inquit Chriſtus, quia terram hæreditabunt, beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur, Matth. 5. verſ. 5. 9. Hæc eſt vocatio noſtra, in qua ambulare debemus cum omni modeſtia ac manſvetudine, &c. Eph. 4. v. 1. ſeqq.

Videte, Dilecti, quodnam ſit veri Chriſtiani officium, nimirum in Chriſtum credere.

Digitized by Google

dere, & proximum diligere. Quanquam enim ſola fides juſtificat, Rom. 3. v. 28. non tamen eſt ſola, ſed charitatem habet comitem, quemadmodum Sol ſplendorem, & ignis calorem, Iac. 2. v. 17. 18.

De Secundo.

Videbimus etiam *Perſecutionis prædictionem*, & inprimis argumenta, quibus ille præmunit ſuos Apoſtolos, ut ſunt:

1. *Dei voluntas.* Nam mementote, inquit, ſermonis, quem ego dixi vobis. Q. d. Non caſu aut fortuitò perſecutio illa vos exagitat, ſed quicquid venit crucis & calamitatis, Deo permittente venit, qui capillos capitis veſtri numeravit, & non decidit unus ſine ejus voluntate, Matth. 10. v. 30.

Hæc maxima eſt *conſolatio*. Non Diabolus, non Veneficæ, non hoſtes noſtri, malum, quo premimur, fabricarunt, ſed Deus ipſemet autor eſt, Am. 3. v. 6. Ergò confidite vos mei non cum carnifice aut tyranno nobis res eſt, ſed cum benefico Patre, qui fidelis eſt, & neminem ſinit ultra vires tentari, 1. Corinth. 10. v. 13. Confer Pſ. 103. v. 13. 14. Pſ. 55. v. 23.

2. *Chriſti conformitas.* Si mundus vos odio habet, inquit Chriſtus, ſcitote, quia me prius odit. Evolvite mecum, dilecti, Chriſti vitam à primordio, nil niſi perpetuam paſſionem invenietis: Pudeat igitur membrum, deliciari ſub capite ſpinis coronato, inquit Bernhardus. Si conformes reddimur imagini Chriſti crucifixi, conformes etiam reddemur imagini Chriſti glorioſi, confer 2. Tim. 2. v. 11. 12. Luc. 24. v. 26.

3. *Electionis firmitas.* Si de mundo eſſetis, inquit Chriſtus, mundus, quod ſuum eſſet, amaret, quia verò de mundo non eſtis, ſed ego vos elegi de mundo, propterea mundus vos odio habet. Unde patet, quod omnes & ſingulæ, quæ nobis in hoc mundo tribulationes inferuntur, indubitatum electionis & adoptionis noſtræ argumentum ſint.

Principum & magnatum aulici certis veſtimentorum coloribus diſtinguuntur: Ita Chriſti ſymbolum eſt crux, Gal. 6. verſ. 17. quam ſi geſtas in corpore tuo, de numero aulicorum ejus quod ſis, inde cognoſce. Quos enim mundus ut abortivos ejicit, hos Chriſtus ut filios chariſſimos ſuscipit, inquit Cyrillus. Propter glorianter in tribulationibus, Rom. 5. v. 3. expectare mercedem copioſam in cœlis, Matth. 5. v. 12.

4. *Cauſa bonitas.* Hæc omnia facient vobis, ait porrò Chriſtus, propter nomen meum, quod certè non contemnendum, conſolationis monumentum eſt. Si quis enim affligitur, non ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inſpector, ſed ut Chriſtianus, non pudefiat, ſed glorificet DEUM hac in parte, inquit Petrus, 1. c. 4. v. 15. 16.

Ita *Moſes* eligebat potius affligi cum populo Dei, quàm temporalem peccati jucunditatem habere, Ebr. 11. v. 25. Apoſtoli gaudentes diſcedebant à conſpectu Concilii, quod digni habiti eſſent, qui pro nomine Ieſu contumelias ferrent, Act. 5. v. 41.

Babylas, Antiochenus Epiſcopus, ſub Decio Imperatore martyrio coronatus, tanti æſtimabat catenas, quibus vinctus erat, ut liberari nollet, cum ad ſupplicium raperetur, ſed rogaret, ut in hoc ornatu ſibi mori liceret.

Videte igitur, vos mei, ut bonam habeatis conſcientiam, quæ neque in morte trepidat, Prov. 14 v. 32.

5. *Hoſtium cæcitas.* Nam non noverunt

eum,

eum, inquit Chriſtus, qui miſit me. Hæc affectata eſt ignorantia, quæ non excuſat, debebant enim ſcire, quod Chriſtus ipſi ſæpius hactenus inculcaverat. Si non veniſſem, inquit in ſequentibus, peccatum non haberent, jam verò nihil habent, quo peccatum ſuum excuſent, v. 22. Interim Chriſtianis in ſolatium cedit, quando injuſtè damnatur ab iis, qui nullam cauſæ cognitionem habent, ſed cœco impetu ex mera invidia ſententiã ferunt, & exequuntur. Dum igitur nos condemnant ad mortem temporalem, ſibi ipſis æternam mortem accelerant, ex qua nulla redemtio, Pſ. 49. v. 15.

Eadem cœcitate laborant adhuc hodie omnes adverſarii noſtri, qui veritatem impugnant, & confeſſores ejus genuinos perſequuntur, nulla alia de cauſa, quàm quod Deum & Filium ejus Chriſtum Jeſum ignorant, & non credunt, quod Chriſti fratres & membra ſumus, quæ defendit ipſe, tanquam pupillam oculi, Zach. 2. v. 8. hinc parem etiam pœnam aliquando experiuntur in revelatione Domini Jeſu de cœlo, cum angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti, 2. Theſſ. 1. v. 7. 8.

Quod ſupereſt, quæſumus te, piiſſime Jeſu, ut corda noſtra flectas ad amorem, & contra perſecutionem mundi argumenta, quæ jam audivimus, conſolatoria nobis ita per Spiritum ſanctum applices, & obſignes, ut per te vincamus, & triumphemus, Amen, ô DOMINE JESU, Amen.

Soli Deo gloria!

Digitized by Google

Digitized by Google

Sciat Lector benevolus, Authores ſubſequentes ſumptibus noſtris excuſos, apud nos extare venales.

Angeli Ritus & Status Eccleſiæ Græcæ Fehlavii	12
Becks Lutherthumb vor Luthero	4
Bachmans Beneficium Redemptionis	12
Binchii Mellificium Theolog.	4
Catechiſmus Pſalmodicus	4
Contra Warendorp	4
Jeſus-Schatz	8
Carpzovii Conſiſtorialia	4
Creidii Evangelia 1. Jahrgang	4
Noſſe me & Noſſe te 2. Jahrgang	4
Querela, Medela, Cautela, 3. Jahrgang.	4
Poſtilla Epiſtolica	4
Meditationes Epiſtolicæ	4
Jacob-Schatz	4
Klaglieder Jeremiæ	4
Hochzeit-Predigten 1. und 2. Theil	4
Miſcellan. Concion. 1. und 2. Theil	4
Leich-Predigten	4
Regale Sacerdotium	12
Precationes Avenarii Carm.	12
Friedens-Predigten.	4
Danhaueri Homiliarum 1. Pars.	8
Dorſchæi Theologia Zachariana	4
Flacius in Novum Teſtamentum.	fol.

Digitized by Google

Fuchſens Via tuta	12
Gerlachs Suſpiria Sancta	12
Gerhardi Hohe Feſt-Bündlein	4
Kirchbachs Klaglieder Jeremiæ	4
Murſchels Aurora Vitæ ac Mortis	8
Pruckneri Comment. in Biblia Sacra	fol.
Salomonis Demonſtrationes	4
Suſtmans Evangel. Poſtill.	4
Urſini Salomoniſche Spruch-Poſtill	4
Jonas	8
Amos	8
Waldſchmidts Juden-Predigten	4
Wieders Evangel. Kirchen-Jahr	4
Leich-Poſtill.	4

ANT 174260

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5629

Digitized by Google

Digitized by Google